

TANO

C G R

~~L 12~~



OCCASIO

ARREPTA. NEGLECTA.

Ex Bibliotheca Monastery Brigantini

HVIVS COMMODA:

ILLIVS INCOMMODA.

Auctore

R. P. IOANNE DAVID,

Societatis IESV Sacerdote.

ANTVERPIÆ,

Ex officina Plantiniana,

apud Ioannem Moretum.

M. DC. V.

SERENISS^MIS AC REVEREND^MIS

PRINCIPIBVS,

DOMINO D. LEOPOLDO,

EPISCOPO PASSAVIENSI,

EPISCOPATVS ARGENTORATENSIS COADIVTORI, ETC.

ET

DOMINO D. CAROLO,

CANONICO SALISBVRGENSI, ET PASSAVIENSI, ETC.

ARCHIDVCIBVS AVSTRIÆ,

DVCIBVS BVRGVNDIÆ, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, AC VVIRTEMBERGÆ, ETC.

COMITIBVS TIROLIS ET GORITIÆ, ETC.

IOANNES DAVID

SOC. IESV SACERDOS

L. M. DEDICAT CONSECRATQ.

RBR. D-6 D2490

FATVM! fatum! profanus hîc quiſpiam Ethnicorum exclamet, SERENISSIMI PRINCIPES: At ego, numen nutumq́; diuinum non obſcuris hîc argumentis agnoſco. Dum ſiquidem OCCASIONEM mundo muliebri adorno, ac pro mea tenuitate polio comoq́ue, vt ne publico ſemper careat; deq́ue patrono, ad quem ſe applicet, cogito; GENIVS quidam bonus adſtare mihi viſus eſt, qui dextram ſuauiter auriculam vellicans diceret; Opus hoc nouum de OCCASIONE, *Sereniſſimis* LEOPOLDO *&* CAROLO *Archiducibus Auſtriæ*, dicatum oportere: vt qui iampridem, cōſpectis OCCASIONIS iconibus, aliquid, quod VERIDICI noſtri formam æmularetur, à me deſuper elaborari peroptarint.

Ad hæc ego quod dicerem non habebam, niſi quod Propheta Habacuc Angelo reſpondebat iubenti dicentiq́ue; *Fer prandium, quod habes; in Babylonem Danieli, qui eſt in lacu leonum. Dixit Habacuc; Domine, Babylonem non vidi, & lacum neſcio.* Ita mihi res iſta longè petita, & à meo hemiſphærio procul diſſita videbatur; tametſi GENIVS ille mihi fidem amica manu abundè faceret.

Sed benè habet, quòd felicioribus AV-

STRIS

STRIS ad aures SERENISSIMI ARCHIDVCIS NOSTRI ALBERTI animi mei fluctuatio perlata eſt: qui nutu ſuo non obſcurè ſignificauit, me rectè eque mentis ſuæ facturum ſententia, ſi VESTRIS SERENITATIBVS, ſuis nempe nepotibus cariſſimis, fœtum hunc, OCCASIONIS titulo inſignitum dedicarem; quem L. M. DICO, CONSECROQVE.

Eſt ſanè quod OCCASIONI meæ mihiq́ue gratuler, vt qui ſpontaneâ CÆLI benignitate hoc conſecuti ſumus, quod tanta ſolicitudine Lyricus ſibi ſuoq́ue labori exoptabat; dum Auguſto librum mittens, eum qui laturus eſſet, tam ſedulò, vt opportunè id faceret eumq́ue tempeſtiuè accederet, admonebat.

Si validus, ſi lætus erit, ſi denique poſcet.

Eat itaque bonis auibus, ſibiq́ue eapropter gratetur OCCASIO, quòd vltrò quoque magni illius Alexandri adhuc adoleſcentis voto frui conceſſum ſit: quem cùm pater eius Philippus (ob egregiam agilitatem qua in curſu pollebat) hortaretur, in Olympiis vt curreret; Facerem (inquit) mi pater perlubenter, *ſi cum Regibus currendum foret.*

Neque eſt (SERENISSIMI PRINCIPES) quòd illa, vobiſcum in arenam deſcendens, palmam vereatur amittere; cùm capi, teneri,

ſtringiq́ue deſideret; ſeq́ue tum demum exiſtimet vincere, cùm vincitur, victaq́ue vincitur. Illud tantùm in hac palæſtra lege cautum velit, quod Demoſthenes olim, cùm fugientis è prælio chlamydem ſentes implicuiſſent, conuerſus dixit; *Cape me viuum*. (Cuiuſpiam fortè tergo inhærentis manibus ſe correptum credebat.) Viua ſic cupit OCCASIO capi, & in VICTORIS obſequium lubens lætaq́ue concedere.

Habete itaque (PRINCIPVM, REGVM, IMPERATORVM PROSAPIA) OCCASIONEM noſtram ſummiſſis manibus animoq́ue VV. SERENITATIBVS oblatam, dedicatam: illamq́ue non ſolùm ab omni maleuolorum iniuria veſtræ auctoritatis clypeo tegite; verumetiam ad præclara quæque facinora, ad honoris trophæa, & gloriæ ſempiternæ faſtigium conſequendum, omnem ipſius facultatem veſtris vſibus mancipate.

Sed, quid dico, mancipate? Nónne potiùs ipſa mirabitur, dum ſe tantò antè apud vos fuiſſe comperiet, quàm aduenerit? Quantis verò lætitiis cumulata incedet, cùm ſe ipſa in vobis veriùs contemplabitur, ſecumq́ue ſuauiùs loquetur, quàm olim Acco (illa apud Cælium anicula) ſuam in ſpeculo imaginem compel-

compellarit! Quod enim ſplendidius ſpeculum, viuæque & benè habitæ OCCASIONIS exemplum, quàm eximia illa pietas, & auitæ Religionis integritas, quæ in illuſtri poſita monimento ſic radiant in vobis, vt gemmulas carbunculi agnoſcas in aureo Eccleſiæ diademate illigatas? Nimirum vobis non tantùm præ oculis heroicæ antiquiſſimæque maiorum veſtrorum imagines, ſed viuis ſpirantem exemplis OCCASIONEM præbet ad faſtigium pietatis, in primis SERENISSIMA MATER, quæ veluti tot Reginarum ſe parentem oblita, Religioſarum modò familiarum & pauperum ſe matrem commeminit, munificam magis neſcias an officioſam; ita eis raro exemplo, etſi quotidiano, in hoſpitali domo, ſuis ipſa filiarumque ſuarum manibus miniſtrat. Quid SERENISSIMVS FERDINANDVS Parens veſter, cum CONIVGE, & fratre MAXIMILIANO, optimis piiſſimiſque Principibus? Cùm Collegium SOCIETATIS IESV, atque ARCHIDVCALEM illam Academiam, ſapientiæ domicilium, fundauit, amplificauit, ornauit; quàm præclaram de ſua atque adeò Chriſtianâ Republicâ benè merendi OCCASIONEM arripuit, facemque præluxit poſteritati! Vobis

iſta

iſta hereditario iure tenenda, vſurpanda, traditur, SERENISSIMI REVERENDISSIMIQVE PRINCIPES. Et verò excelſa vtriuſque veſtrûm ad Virtutem ac Sapientiam indoles, nihil non magnum, non eximium pollicetur. Spondent hoc prima elegantiſſimæ adoleſcentiæ veſtræ rudimenta, maturioris ætatis ſeges: clamat ille Philoſophicus puluis, Ariſtotelicus ſol, in quem nuper SERENISSIME ac R^{ME} LEOPOLDE (ô quem LEOPOLDVM AVSTRIACI SANGVINIS æmularis!) magno orbis theatro ſpectante, plaudente, deſcendere non es veritus; eamque, propugnatis è tota Philoſophia Poſitionibus, ingenij ac doctrinæ gloriam conſequi, quæ ad has quoque aliaſque remotiores oras penetrauit. Deus Opt. Max. tam læta captatæ OCCASIONIS principia in vobis prouehere & proſperare dignetur, SEREN^{MI} & R^{MI} PRINCIPES. Ipris Flandrorum. VI. Non. Iul. CIↃ. IↃC. V.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

LEGENDAM, *ſpectandam, arripiendam tibi, bone Lector, damus* OCCASIONEM, TEMPORE *tamen* NVTVQ. *diuino comitatam, ſine quo nihil cetera. Cæleſtem aligerum, Angelum puta tutelarem, horum facimus adminiſtrum; cui cuncta noſtræ vtilitati ac ſaluti opportuna, à diuina ſint maieſtate commendata.*

OCCASIONEM *vſqueadeò olim venerabatur Antiquitas, vt, teſte Calliſtrato, diuinitate eam ſuo more donarit: ſic tamen, vt Græci Deum, Deam verò Latini gentiles effingerent. At nos Chriſtiani, qui vnum Deum auctorem omnium profitemur, reiectâ illâ ſuperſtitioſâ idololatriæ ſcoriâ, aurum quod in abdito* OCCASIONIS *receſſu velut ſinu deliteſcit, purum ſeligamus; & in Chriſtianæ Religionis ſalutiſque propriæ vtilitatem prudenter & ſeriò conuertamus.*

Erit interim pretium operæ, quid ad hæc fingenda veteres mouerit, penitiùs inſpexiſſe. Quæcumque enim bona, honeſta, ac vtilia, ab ipſis inuenta aut excogitata ſunt, vt quæ à Deo vero bonorum omnium fonte promanarint, nobis vel iure hereditario vt propria debentur, vel certè vt hoſtiles manubiæ iuſto bello partæ, Ægyptíve ſpolia ad mundum muliebrem ſponſæ ſuæ Eccleſiæ à Deo data, noſtris meritò vſibus veniunt applicanda.

In primis, quòd Latini OCCASIONEM *Deam, Græci verò Deum indigitarint; non alia videtur ratione factum, quàm quòd Græci tempus ipſum opportunum, Latini verò temporis opportunitatem ſpectarint; eoq; rem eamdem ſub diuerſo ſexu conſideratam, illi maſculinâ hi muliebri*

voce expreſſerint. Quod enim Latinis femineo genere OCCASIO, id Græcis virili καιρὸς effertur & pingitur. Tempus, inquit Volateranus, quod Græci καιρὸν, nos Occcaſionem ſiue tempeſtiuitatem dicimus; quod idem eſt, atque temporis opportunitatem dicere.

Huc ſpectat quod Romanus Orator libris Officiorum diſſerit, quando OCCASIONIS naturam, ab ipſamet eius origine, licet alio ſcopo, inueſtigatam enucleat. Modeſtia, inquit, ſecundùm Stoicos, eſt ſcientia earum rerum, quę aguntur & dicuntur, loco ſuo collocandarum. Videtur autem eadem vis ordinis & collocationis fore: nam & ordinem ſic definiunt; Compoſitionem eſſe rerum aptis & accommodatis locis. Locum autem actionis, opportunitatem temporis dicunt eſſe. Tempus actionis opportunum εὐκαιρία, latinè appellatur OCCASIO. Sic fit, vt modeſtia hæc, ſcientia ſit opportunitatis idoneorum temporum ad agendum. Hæc ille: qui primo quoque de Inuentione; OCCASIO, inquit, eſt pars temporis, habens in ſe alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. Et hæc eſt propria OCCASIONIS definitio.

Quia verò illa, licet optata, plerumque tamen nec opinanti ſolet accidere, rectè inquit Feſtus; OCCASIO eſt opportunitas temporis caſu proueniens. Et quoniam in illa temporis opportunitate, rei ſemper aliquid obuenit, quæ partem illam temporis, qua accidit, ad aliquid vel faciendum vel omittendum opportunam & tempeſtiuam reddit; hinc aliquando indifferenter, & partem illam temporis, & rem ipſam tunc obtingentem (in quâ & locum rei aptum complectimur) OCCASIONEM appellamus, vt & Veteres videmus vſurpaſſe.

Videtur quoque nomenclaturæ ipſius ratio, ſeu etymologia id ſubindicare; cùm & tempus illud opportunum, & res

ipſa

*ipſa tam tempeſtiuè proueniens, circum & propter te, &
velut ob oculos tibi cadat, atque occaſu vel euentu ſuo* OC-
CASIONEM *tibi præbeat opportunam.*

Quia porrò opportunitas illa ferè momentanea eſt, modico nempe tempore conſiſtens, immo pręteruolans; hinc manu quamprimùm iniecta arripiendam cenſuerunt: alioqui, ſi vel tantillum hæſeris, eam pertranſire, fruſtraq́; deinde elapſam quæri. Hęc cùm ob oculos ponere vellent, OCCASIONEM *velut Nympham alatis talaribus, volubili rotæ inſiſtẽtem effingebant, vertigine quàm citatiſſima ſemet in orbem circumagentem, priore capitis parte capillatam, poſteriore verò caluam, nouaculam manu tenentem, vt quæ acie quidem eſſet acutiſſima, oppoſita verò parte planè obtuſa vſuiq́ue inepta. Quæ omnia quia Auſonius de Græco, vt Politianus monet, eleganti carmine explicat, illud hic ſubijciendum duxi.*

Cuius opus? Phydiæ qui ſignum Pallados, eius
  Quiq́ue Iouem fecit: tertia palma ego ſum.
Sum Dea, quæ rara & paucis OCCASIO nota.
  Quid rotulæ inſiſtis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris ſum; Mercurius quæ
  Fortunare ſolet, trado ego, cùm volui.
Crine tegis faciem. Cognoſci nolo. Sed, heus tu,
  Occipiti caluo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iũcta comes? Dicat tibi. Dic, rogo, quę ſis?
  Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea, quæ facti non factiq́ue exigo pœnas:
  Nempe vt pœniteat; ſic METANOEA vocor.
Tu modò dic, quid agat tecum? Si quando volaui;
  Hæc manet: hanc retinent quos ego præterij.
Tu quoque, dum rogitas, dũ percontando moraris,
  Elapſam dices me tibi de manibus.

Additur in hoc Auſonij Epigrammate METANOEA, *ſiue pœnitentia* OCCASIONI *comes, & rectè, tametſi in Græco non habetur: Nam quanta eſt negligentia in* OCCASIONE *oblatâ nec arreptâ, tanta mox ab elapsâ oboritur pœnitudo. Hinc verè dici ſolet; Nemini vmquam ſera defuiſſe conſilia. Eſto enim aliquando accidat, vt in rebus aggrediendis inops planè quis ſit conſilij; poſtquam tamen elapſa eſt Occaſio, & commoda rei gerendæ tempeſtas cum deſtituit, tum demum plurima ſolent occurrere, & quidem vt apparet valdè opportuna, ſi modò res eſſet integra; liceretque, vt ait Lucianus, ad præterita repedare. Quo fit vt hi talia vſurpent cum Phrygibus ſerò ſapientes; Id mihi ſi denuò agendum foret, vel res illa à capite tractanda, de integro obeunda; ſcio quid agerem; cauerem vtique amplius, aliter mea inſtituerem conſilia, nec mihi tam facilè per fucum os ſublini ſinerem. Verùm, poſthuma eſt hæc* OCCASIONIS *elapſæ ſoboles, eamque meritò ſemper ponè comitans* METANOEA.

Nos TYPVM OCCASIONIS *aliquot nuper iconibus in ſtudioſæ Iuuentutis gratiam exprimendum curaueramus; ita tamen vt non per omnia Veterum veſtigiis inſiſtendum nobis exiſtimaremus; ſed ea tantùm ex ipſorum deſcriptione ſumeremus, quæ præcipuè in* OCCASIONE *videbantur expendenda. Vtpote quod rerum hîc benè gerendarum, & ſalutis æternæ poſteà conſequendæ, copiam vberrimam faceret; quique eam, quaſi fronte capillatam arriperent, felices fore atque beatos: qui verò negligerent, illos fruſtrà eam vt occipitio caluam conari apprehendere elapſam: eiſque meritò, ob eam amentiam, comitem eius relinqui* METANOEAM, *quò ſerâ pœnitentiâ ſuam inſipientiam deplorent.*

Quia tamen, quod in TYPO *hoc ſolis Iuuenibus applicuimus,*

mus, cuiuis hominum generi conuenire quoquè cognoſcitur; vt videlicet pro ſuo quiſque ſtatu & gradu ſe probè gerat, Occaſionemque ſibi à Deo datam ad rectè agendum non negligat; ideò in iſtâ OCCASIONIS *explicatione, ſingula imaginum ſchemata ita viſum fuit interpretari, vt vnicuique mortalium vſui eſſe poßit. Sic etenim fiet, vt quod quiſque vmbraticè tantùm de ſe ſibiq́ue oblatâ* OCCASIONE *in iconibus ſub Iuuenum figura expreſſum animaduertebat; hoc in ipſo decurſu orationis clarè diſtinctéque ſit lecturus. Vt, quemadmodum in parabola Euangelica, à Chriſto Domino nobis ſub decem Virginum typo adumbrata, omnes cuiuſvis ordinis homines habent quo ſe certò ſciant admonitos, vt quinque Sapientum prudentiam imitentur, niſi cum quinque fatuis & ingreſſu Regni cæleſtis excludi velint, & damnationis æternæ vinculis mancipari; ita heîc quinque prudentes adoleſcentes, Dei gratiam, Angeli tutelaris auxilium, & temporis* OCCASIONISQ. *opportunitatem, ad eruditionem, honorem, & ſalutem aſſequendam, ſibi Dei munere oblata ſtudioſè amplectentes, omnibus ſint exemplo, vt in ſuis quiſque idem præſtet; niſi malint cum inſipientibus, ſerò poſteà ſuam imprudentiam, ob ſpreta tam opportuna ſalutis conſilia, lamentari, & tali pretio* AETERNVM MERCARI POENITERE.

Operam itaque hanc noſtram boni conſule, Lector bone; nam & iſtam OCCASIONIS BONAE *non exiguam eſſe particulam, ſi attenderis, cenſebis. Vale.*

AD OCCASIONEM R. P. IOANNIS DAVID

Proſopopœia.

VIue OCCASIO, viue; inauſpicati
Nec te nominis huius vrat omen,
Ceu merè OCCIDVAS ſonet tenebras.
Tandem, quod benè vertat, ORTA es Orbi.
Non caduciferi excitata virgâ,
Non Amphionis, Orpheíve plectro,
Quod feræ, & trepidi audiere manes:
DAVIDIS ſed enim potentioris
Docto pollice, dædalaque pennâ;
Pennâ remige candidum per æquor:
Quâ quiſquis volitat virûm per ora,
Huîc Lethen datur aut videre numquam,
Aut poſtliminio indidem reuerti.
Hæc lucem tibi dat, dabitque porrò
Nec lucem modò ſimplicem fruiſci,
Myſis & miſeris abominatam;
Sed vitæ decus eminentioris,
Famam quæ ciet ac fouet perennem.
Quippe diuitias tuas, honores,
Penum commoditatibus refertam,
Lautam Syntheſin, anulos, inaures,
Et mundum omnibus explicat nitentem.
Vnum fòrs vereare; ne comanti
Fronti caluitium ſiet pudori;

Neu

Neu quis de triuio dicaculorum,
Ridendam Glabrionibus propinet.
Non eſt quod metuas, amica, non eſt:
Namque idem ille Pater facetiarum
DAVID, areolam comâ carentem,
Aptè ſic radio ingenI figurat,
Sic diſcriminat, expolitque; vt aureîs
Qui frontem tibi ventilant, capillis,
Videri faciat venuſtiorem.
Quid? Ceſton Veneriſque, Gratiaſque,
Quòd iungit tibi, vt implicare dextram
Horæ atque Aligeri ambiant beati?
His OCCASIO perpolita ad vnguem,
Qualis Nympha thoros petit iugales,
Num magna atria, Principeſque turres;
Num vultus Procerum SERENIORVM,
Num vel Auſtriacas pauebis aulas?
Quas primùm attigeris, probè inſtituta,
Geſtu nec tetrico, nec indecoro,
Paſſam cæſariem reductam vtrimque,
Prætendes venerans; at hi prehenſam
Stringent molliter, & volens ſequeris,
Tali docta laciniâ teneri.
Hæc te heroica ſi fouebit vmbra,
(Vmbra ô ægide tutior Mineruæ!)
Viue OCCASIO; viue; inauſpicati
Nec te nominis huius vrat omen,
Ceu merè OCCIDVAS ſonet tenebras.

J. D. C.

TEMPVS ET OCCASIO SVA EXPLICANT MVNIA. 1.



A. TEMPVS *ego, ſine quo nihil eſt quodcunq; creatum eſt.*
Me ſine nec cælum, neq; cælo ſidera, nec ſol
Aureus irradient: ſine me, nec terra, nec æquor,
Et quidquid vaſta Mundi compage tenetur,
Existant: Sed enim, per me, velut omnia conſtant;
Omnia ſic rurſum, per me, revoluta labascent.

B. *Illa ego, quæ priſcis* OCCASIO *cognita Seclis.*
Me quicunque catus non faſtidiuit, amico
Sed vultu acceptam tenuit, mandata capeſſens;
Ille ſibi, compos voti, decora ampla parauit.

OCCASIO ARREPTA. NEGLECTA.

ILLIVS COMMODA, HVIVS INCOMMODA.

Schematis I. explicatio;

Quo TEMPVS *&* OCCASIO *ſua munia in Typo declarant.*

Schematis I. Caput I.

Quæritur, quid ſit Tempus.

QVEMADMODVM in præſenti Typo, TEMPORIS OCCASIONISQVE videmus effigiem; ita hoc ſchemate quid eiuſmodi vtriuſque delineatio ſibi velit, nobis eſt interpretandum: & primùm quidem, quid ſit Tempus.

Quàm facilis eſt in labyrinthum ingreſſus, quin & progreſſus, cùm nuſquam ſe non pandat via progreſſuro; tam eſt difficilis exitus, cùm obuia quæque ad maiorem ſemper magiſq; intricatam abducant viæ difficultatem & regrediendi perplexitatem. Non aliter hîc quoque nobis accideret, ſi inuiam illam ingredi vellemus obſcuritatem, ſolicitamque diſquiſitionem, qua quæri ſolet, quid propriè ſit Tempus: cùm alioqui ſit ſatis obuium, mente complecti, quid communi modo loquendi Tempus appellemus.

Verumtamen, animi gratiâ, quantum quaſi ductu fili cuiuſdam tutò licet, veſtibulum ſaltem paſſibus aliquot tentemus; vt ſolent qui iuxta cymbam natant, in quam ſe vel periclitantes vel nando feſſi recipiant; quandoquidem tam ſpeciatim in hoc typo TEMPORIS formam vſumque in medium conſtituimus.

Auguſt. Confeſſ. lib. XI. cap. 14.

Temporis inueſtigatio.

D. Auguſtini aliquouſque ad id ponè legamus veſtigia. Quid, inquit ille, eſt tempus? Quis hoc facilè breuiterque explicauerit? Quis hoc, ad verbum de illo proferendum, vel cogitatione comprehenderit? Quid autem familiarius & notius in loquendo commemoramus, quàm tempus?

Et intelligimur vtique, cùm id loquimur; intelligimus etiam, cùm alio id loquente audimus. Quid eſt ergo tempus? Si nemo ex me quærat, ſcio; ſi quærenti explicare velim, neſcio. Fidenter tamen dico, ſcire me, quòd ſi nihil præteriret, non eſſet præteritum tempus; & ſi nihil adueniret, non eſſet futurum tempus; & ſi nihil eſſet, non eſſet præſens tempus. Ita Doctor ille Eccleſiæ ſingularis. Cuius ſi quis penitiùs ingrediatur ſtudioſam conſtantemque temporis inueſtigationem, varijs ambagibus circumuentus, non facilè, niſi ipſi inhærendo, regreſſum repererit. Nam & ipſe, totis libri illius viginti duobus pluribuſque capitibus, non ſemel, vt nauarchus in altum deuectus oceanum ſidus intuens, ad benignam Dei opem recurrit, vt ſe queat extricare. Quæro (inquit) Pater; non affirmo. Deus meus, præſide mihi, & rege me. Item alibi: Sine me, Domine, ampliùs quærere: Spes mea, non conturbetur intentio mea. Aliàs ſic: Exarſit animus meus, noſſe iſtud implicatiſſimum ænigma. Noli claudere, Domine Deus meus; bone Pater, per Chriſtum obſecro; noli claudere deſiderio meo iſta, & vſitata & abdita, quò minùs in ea penetret, & diluceſcant allucente miſericordia tua, Domine. Ita alio loco: Dicimus, tempus & tempus, tempora & tempora: quamdiu dixit hoc ille, quamdiu fecit hoc ille, & quàm longo tempore illum non vidi: & duplum temporis habet hæc ſyllaba, ad illam ſimplam breuem. Dicimus hæc, & audimus

dimus hæc; & intelligimur & intelligimus: manifeſtiſſima & vſitatiſſima ſunt, & eadem rurſus nimis latent, & noua eſt inuentio eorum. Alibi idem Aurelius: Confiteor tibi, Domine, ignorare me adhuc, quid ſit tempus. Et rurſus confiteor tibi, Domine, ſcire me in tempore iſta dicere, & diu me iam loqui de tempore, atque id ipſum diu, non eſſe niſi moram temporis.

Schematis 1. Cap. 2.

Definitur, ſeu potiùs deſcribitur Tempus, & quando inceperit.

NON piguerit, ſpero, ſecutos fuiſſe per hæc diuerticula præeuntem, quamdiu clarior ſemper manifeſtiorque redderetur egreſſus, quem poſtremorum verborum ipſius luce iam facile eſt inuenire. Tametſi enim nouis ſemper quæſtionum inuolucris, quaſi denſorũ implexu ramorum, rem quam quærit, videatur obſcuriorem efficere; tamen, dum ſuo more ita ventilando intricata diſcutit tandemque explanat, ſatis animaduertitur, omnem in eo conſiſtere difficultatem, vt non ſit facile definire, quid ſit tempus; cùm alioqui, vt ait, facillimè à quolibet intelligatur cogiteturque.

Rem ſiquidem perplexam Philoſophi nonnulli reddiderant, & ſtulti ſapientes ſæculi; quorum quidam docuerant, tempus eſſe rem aliquam corpoream, alij tempus eſſe motum corporum cæleſtium, alij aliorum corporum motum, nonnulli verò, vt Pythagoras, animam eſſe vniuerſi. Dum autem his nodis & tricis ſe explicare contendit Auguſtinus, neceſſe fuit vtcunque cum illis implicari, & per illorum placita, quaſi per varios errorum calles, palpato ferè greſſu tentare veſtigia. Alioqui, quàm obſcurus tali de cauſa in diſquiſitione, tam clarus & certus eſſe ſolet in reſolutione.

Nos itaque hîc omiſſa penitiore indagatione & definitione

Temporis deſcriptio.

naturæ ipſius temporis, accipimus illud vulgari modo, quo res aliqua vulgò dicitur longæ aut breuis durationis, aut ſimul eſſe cum altera, vel ab ea tempore diſtare: quæ licet penes durationem motus cælorum, tamquam menſuram à Deo datam, & à nobis vt notiſſimam & æquiſſimam acceptam, metiamur; non tamen ab illa præcisè & proximè accipiuntur, cùm etiam ceſſante motu cælorum, aut ſi cæli non eſſent, vel celeriùs aut tardiùs mouerentur, res quælibet habitura eſſet ſuam durationem, æquè in ſe longam vel breuem, & æquè eſſet cum alijs ſimul futura, aut ab alijs abfutura. Tempus autem eſt mora quædam ſucceſſiua, ſiue fluens, aut tranſiens æquabili fluxu: ſecundùm quam omnia ſunt vel ſimul vel diſtantia tempore, ſicut ſecundùm ſpatium ſunt vel ſimul vel diſtantia loco. Et vt ſpatium hoc à rebus abſtractum ac in immenſum diffuſum imaginarium vocatur, quòd tale non ſit in rebus, quale intellectus apprehendit; ita D. Gregor. Nazianzenus, Oratione de Paſchate, & Pſellus commentarijs in eandem Orationem, moram hanc vocant imaginariam: & concipi poteſt etiam ab æterno fluere in æternum. Sicut autem ſpatij localis pars nobis eſt notiſſima, quæ ab hoc mundo occupatur; ita pars huius moræ ſiue durationis æternæ nobis notiſſima eſt ea, quæ ab exordio mundi vſque ad diem iudicij protenditur, & ab aliquibus non malè pars æternitatis vocatur: ſiue quòd pars ſit illius moræ imaginariæ æternæ, ſicut ſpatium huius mundi pars ſpatij immenſi, cui Deus eſt præſens; ſiue quòd coexiſtat æternitati Dei, quaſi ſecundùm partem, ſicut mundus coexiſtit immenſitati Dei; quia illi non adæquatur, cùm in vtramuis partem ſit finita. Hoc igitur tempus ſiue mora ſucceſſiua, quæ ab exordio mundi ad finem eiuſdem extenditur, eſt ea de qua loquimur. In hac enim rerum gerendarum occaſiones eueniunt, & labuntur: eſt enim menſura durationis & exiſtentiæ eorum omnium quæ ſibi coexiſtũt, aut ab origine mundi in finem exiſtent; ſic vt etiam durationem Angelorum & cælorum hac menſura extrinſeca menſuremus, licet propriam habeant intrinſecam durationem, Æuum.

Gregor. Nazianzen.

Dum

Dum autem hanc moram, quam tempus vocamus, varijs modis, vt ſæculorum, luſtrorum ſeu olympiadum, annorum, menſium, hebdomadum, dierum, horarum, minutorum momentorúmue interuallis metimur, tot temporis partes nominamus: tametſi non dicimus, tempus idcircò eſſe tempus, quia talibus diſtinctionibus iuxta ſolis & ſiderum motum menſuratur; neque etiam ideò minus fore tempus, ſi durante hoc fluxu ſpatij & moræ, eam metiri deſinamus. Nam, vt inquit D. Auguſtinus, etiamſi ceſſarent cæli lumina, tamen eſſet tempus: vt quando iubente Ioſue, ſtetit ſol.

Quia verò tempus, vt hîc deſcribimus, ante mundi initium non erat, ſed ſimul cum creaturarum exordio cœpit & initium temporis; hinc tam efficaciter illos refutat idem Doctor Eccleſiæ, qui non minùs ſtolidè quàm impiè ita rogare non verebantur: Quid faciebat Deus, antequam faceret cælum & terram? Et, quid venit illi ſubitò in mentem, facere quod nunquam fecerat? Ecce (inquit Aurelius) reſpondeo: non illud, quód quidam reſpondiſſe perhibetur, ioculariter eludens quæſtionis violentiam: Alta (inquiebat ille) ſcrutantibus, gehennas parabat. Sed, da illis, Domine, benè cogitare, quid dicant; & inuenire, quia non dicitur [nunquam] vbi non eſt tempus. Videant itaque, nullum tempus eſſe poſſe ſine creatura tua, & deſinant iſtam vanitatem loqui. Extendantur etiam in ea, quæ antè ſunt: & intelligant, te ante omnia tempora æternum creatorem omnium temporum: neque vlla tempora tibi eſſe coæterna. Et alibi idem. Si autem ante cælum & terram nullum erat tempus; quid quæritur, quid tunc faciebas? Non enim erat [tunc] vbi non erat tempus: nec tu tempore tempora præcedis; alioquin non omnia tempora præcederes. *D. Auguſt. Confeſſ. lib. 11. cap. 12 & 30.*

Sed præcedis omnia tempora præterita, celſitudine ſemper præſentis æternitatis. Hodiernum tuum, æternitas: ideò coæternum genuiſti, cui dixiſti: *Ego hodie genui te.* Omnia tempora tu feciſti, & ante omnia tempora tu es; nec aliquo tempore non erat tempus. Nam vt alio loco idē dicit: Deus fecit tempora; & ideò, antequam faceret tempora, non erant tempora: *Pſalm. 2.* *Auguſt. de Geneſi, cōtra Manich.*

non ergo poſſumus dicere, fuiſſe aliquod tẽpus, quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus, quod Deus non fecerat, cùm omnium temporum ſit fabricator? Et, ſi tempus cùm cælo & terra eſſe cœpit, non poteſt inueniri tempus, quo Deus nondum fecerat cælum & terram. Non enim coæuum Deo mundum iſtum dicimus; quia non eius æternitatis eſt hic mundus, cuius æternitatis eſt Deus. Mundum quippe fecit Deus, & ſic cum ipſa creatura, quam Deus fecit, tempora eſſe cœperunt.

Schematis 1. Cap. 3.

Quando Tempus finietur; & quomodo ſe habeat ad Æternitatem.

EN euaſimus; & quaſi per Theſei filum in claram educti lucem prodimus. Iam ex his omnibus, vt antè dixi, id ſtatuimus; Tempus eſſe ſpatium illud moræ ſeu durationis, fluentis ab initio creationis mundi, vſque ad eiuſdem conſummationem: reliquum verò, & quod ante mundi primordia erat, & quod eius finem conſequetur, magis propriè ad Æternitatem pertinere.

Temporis Aeternitatiſque deſcriptio.

Nam, licet ſpatium hoc moræ ſeu durationis, quod tempus appellamus, pars ſit iſti æternitati (quoad Deum immobili, & ſemper eidem) incluſa; tamen, quia cæleſtium corporum motu menſuratur, computatur, alióue modo diſtinguitur, & in certas partes, vſque ad momentum ictumque oculi, determinatur; temporis propriè nomine inſignitur.

Ante igitur initium creaturarum tempus eiuſmodi, quo de agimus, non erat, quia cum illis eſt concreatum; & poſt generale iudicium, vt Angelus iuramento affirmauit, *Tempus non erit amplius*. Quod autem ante omnem creaturam fuit, & poſt iudicium eſt futurum, ad æternitatem illud omne potiùs dicitur pertinere. Et hoc (per modum loquendi) tem-

Apoc. 10.

pus

pus Dei poteſt appellari, ſecundùm D. Hieronymum, qui ſic habet; Vt ita dicam, vnum tempus Dei eſt, omnis æternitas. *Hieron.*

Scimus tamen, his non obſtantibus, partem illam æternitatis, extrinſecè loquendo, poſt iudicium, non eiuſdem fore conditionis, cum illa æternitatis natura, qua ante principium creationis, Deus ſolus, in ſe omnia complens, ſubſiſtebat. Quia, tametſi motus ſiderum cæleſtiumq; corporũ, per quem iam tempora diſcriminantur, ceſſabit; & non erit quòd vltrà homines temporum ſpatia dimetiantur; erunt tamen illa, & illi, in quorum gratiam tempora primùm creata noſcuntur; quod ante omnem creationem non erat vllo modo.

Eapropter, etiam ſi (vt dicit egregiè Eloquentiæ Princeps) infirmæ terrenæque mentis ſit, memorare annos; integrum tamen erit beatis in cælo (ceſſante interim poſt diem iudicij cælorum motu temporiſque dimenſione) æſtimare, quot annorum myriadúmue ſpatio in cælis fuerint, ſiue fuiſſe dici poſſint, ſi ſpatium illud, priſtina adhuc annorum diſtinctione menſuraretur. Iuxta iſtam quoque æſtimationem accipi poteſt, quod Regius Propheta dicit: *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna quæ præterijt.* Quod è contrario apud damnatos aduerſo prorſus computu euenire certum eſt. *Cicero 2. de Diuin.* *Pſalm. 89.*

Vtriſq; verò congruit quod Ariſtoteles quarto Phyſicorum habet. Dormientibus, & ijs qui faciunt opus delectabile, videtur tempus breue: quia delectatio prohibet eos comprehendere motum. Et econtrà eis qui laborant. At nunc ad perſonarum ſchematis explicationem tranſeamus. *Ariſtot. 4. Phyſic.*

Schematis I. Cap. 4.

Quare TEMPVS *ita deſcribatur, vt in ſchemate depingitur.*

AD perſonatum tandem *Typi* noſtri TEMPVS veniamus. Non immeritò omnibus conſideratis, dicit, qui tempus in ſchemate repræſentat:

Tempus

Tempus ego, ſine quo nihil eſt, quodcumq; creatum eſt. A

Et tandem ſubdit: *Sed enim, per me velut omnia conſtant,*

Omnia ſic rurſum per me reuoluta labaſcent.

Indicat, quod antè fuſiùs dictum eſt, Omnia ſcilicet cum initio temporis ſumſiſſe principium, quæcumque creata ſunt; & cum tempore omnia ſimiliter terminanda. Tametſi enim neque cæli, neque elementa ſint in nihilum vnquam reducenda; ſcitur tamen quo ſenſu quamque ob cauſam dicantur non futura ampliùs: ob inſignem ſcilicet mutationem, quæ in ea cum ſæculi conſummatione inducetur. Et propterea, quia tempus tunc non erit ampliùs, quis dubitet maximam temporis habendam rationem, vt cuius vſurâ & opportunitate id conſequi datum ſit, quod eſt *æternum*?

Temporis depicti inſignia. Iam verò, quare Tempus ita depingatur, vt in imagine ipſa videre eſt, notam puto omnibus rationem; quapropter hîc obiter tantùm illam attingemus. Sphæra enim in capite, motum cæleſtium corporum ſignificat, quo tempora diſtingui ſuprà declarauimus. Clepſydra verò, irrequietum temporis fluxum adumbrat; vt & alata talaria celeritatem. Volare ſiquidem fingitur tempus; adeò vt præteriti quidem & futuri ſpatia ſatis perceptibilia queant cogitari, præſentis verò tam exiguum, vt non quamdiu illud nomines, ſubſiſtere æſtimetur. Falx ei in manus datur, quæ ſit indicio, omnia ſucceſſu temporis quaſi falce demeti & proſterni; iuxta illud Ciceronis: Nihil eſt opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat & conſumat vetuſtas.

Sphæra.

Clepſydra.

Falx.

Cicero pro Marcel.

Reſtat nunc tantùm, vt verbo explicemus, quare iuuenili ætate Tēpus effingi curauerimus, cùm Veteres ſenem virum ſoleant vice Temporis adornare. Dicam vt res eſt: Nos conſiderauimus, non quod dicit Poëta de tempore in vniuerſum;

Ouid. lib. 15. Metā.

Tempus edax rerum, tuq; inuidioſa vetuſtas:

ſed præſentiam potiùs temporis opportuni; cuius quaſi ductu coràm ſiſtatur OCCASIO; de qua potiſſimùm in præſenti argumento diſſeritur. Tali ſiquidem vultu contemplandum præbemus, quale eſt tempus dum præſens eſt, recens, nouum, floridum; ad omnia, ad quæ quis illo vti volet, accommodatiſſimum.

Temporis apti præſentiſque adumbratio.

tiſſimum. Quo ſenſu præclarè Plato locutus eſt, partem illam temporis expendendo, quæ opportunitatem coniunctam habet. *Occaſio*, inquit, eſt temporis vigor, ad id quod conducit tempus, quod bonum aliquod cooperatur. *Plato in Philoſoph. rer. defin.*

Mouit me quoque, ne diffitear, quòd iuuenibus (quibus Icones primùm dedicatæ fuerunt) aptior gratiorque illa forma futura eſſet, quàm ſenis, & neſcio cuius (iuxta Ciceronem) ſaturi annis Saturni; qui, quòd tempus tempore nata conſumeret, ipſe ex ſe natos deuorare fingebatur. Saturnus enim Græcè κρόνος, quaſi χρόνος, hoc eſt tempus, dicitur. Impulit me denique, vt tempus iuuenili ſpecie occaſionis occaſione efformarem, quòd Græci (teſte Calliſtrato & alijs) dum Occasionem, ſeu ſuo more tempus opportunum pro Deo fingebāt, pulchrum iuuenem ſiue puerum formabant, ſummis pedum digitis rotulæ volubili inſiſtentem. Saturni deſcriptio.

Tempus itaque quaſi virens, vernum, & vegetum, quale expreſſum cernitur, idoneam ſuæ præſentiæ opportunitatem commendat, quam prudens quiſque debeat in ſe rebuſque ſuis obſeruare: iuxta illud celebratum Pittaci (vnius è ſeptem Græciæ ſapientibus) dictum, γνῶθι καιρόν, Noſce tempus. Ac ſi doceat, Noueris diſtinguere, æſtimare, & captare, rerum gerendarum tempeſtiuitatem, eamq; cordi habeto. Nihil, non ſuo tempore factum, vtile poteſt eſſe aut gratum. Noſce tēpus.

Hac de cauſa tam varij loquendi modi de tempore, vel potiùs, de rebus quæ in tempore accidunt, apud auctores leguntur: quæ omnia, ſi quis animum aduerterit, ad maiorem deſcripti iam temporis illuſtrationem adiuuabunt. Horum nonnulla, in ſtudioſæ iuuentutis gratiam, hiſce ſubnectemus, ad quorum imitationem, plura ipſi per ſe poterunt ex ipſis fontibus haurire.

Ita Lycurgus: Rectè eruditi temporis rationem habent. hoc eſt, Tempus impendunt vtiliter, atque ſtudioſè obſeruant, quid per temporis opportunitatem agendum omittendumque ſibi videatur. *Lycurgus apud Plutarch. in apophth.*

Thales: Sapientiſſimum omnium eſt tempus. Quia nempe vſus & tempus, docent, inueniunt, & eruunt omnia. Vnde & *Thales. Diogenes Laërt. li. 1.*

B

de & vulgò dici ſolet; Tempus docebit. Et Pſalmiſta eodem
Pſalm. 18. ſpectans; *Dies diei eructat verbũ: & nox nocti indicat ſcientiam.*
Theophr. Diog. li. 1. Theophraſtus: Sumtus pretioſiſſimus tempus. Nam præterquam quòd elapſum nullo pretio queat recuperari, etiam Regni cæleſtis copiam facit. Sic tempus fortiſſimum dicitur; quia tempore omnia ſuperantur: ſicut de labore dici ſolet; *Labor improbus omnia vincit.* Nihil (inquit Tullius) eſt, quod longinquitas temporis efficere non poſſit.

Cicero li. 2. de Diuin. Item. Mendacij lupus, tempus. Quòd ſucceſſu temporis mendacium euaneſcat, & quaſi abſumtum vertatur in nihilum. E contrario; Veritas temporis filia vocatur, teſte *Gellius.* Gellio. Quòd, licet aliquando lateat, progreſſu tamen temporis in lucem inſtar ſuberis emergat. Quin & illud vſitatum eſt *Plutarch. in Problem.* æquè; Tempus omnia reuelat. Eam ob rem dicit Plutarchus olim aperto capite Saturno conſueuiſſe ſacrificari; quòd veritas, plerumque tecta & ignorata, cum tempore aperiatur & innoteſcat. Saturnum porrò TEMPVS apud antiquos repræſentaſſe paulò antè ex voce Græca monſtrauimus. Tempus *Matth. 10.* itaque omnia reuelat: iuxta illud Domini, *Nihil eſt opertum, quod non reuelabitur; & occultum, quod non ſcietur.*

Schemat. 1. Cap. 5.

Cur OCCASIO *ita depingatur, & quare ipſi* TEMPVS *ceu dux vel comes detur.*

Occaſionis deſcriptio. OCCASIO iam, quantum quidem res tam manifeſta indiguerit, venit nobis deſcribenda. Quare fronte capillata, caluoque pingatur occipite, dictum, & notum ſatis: arripiendam ſcilicet, dum ſe prima fronte offert; alioqui ſi neglectam præterire permiſeris, elabetur, nec ita à tergo, vtpote calua, poterit apprehendi, vt maximè coneris.

Quæ dextrâ læuaque confertim geſtare conſpicitur, omnium videlicet delectabilium deſiderabiliumque inſignia, docent, per occaſionem obtineri poſſe verum honorem & gloriam, diuitias, victoriæ palmam, pacis oliuiferæ

bonum,

bonum, eruditionem, rerum omnium quaſi cornucopiæ affluentiam, gratiam Spiritus ſancti, ſalutem veram in Chriſto Ieſu; & demum, tam opportunè nobis in hac vita regnum cæleſte proponi promerendum, atque ſi propinetur, modò lubeat labris admouere, & occaſionem qua par eſt humanitate excipere, eaque benè vti.

TEMPVS, quaſi dux OCCASIONIS conſtituitur, eò quòd non niſi temporis ſucceſſu talis opportunitas, quam occaſionem vocamus, obtingere cognoſcatur; vt tempus mortalibus occaſionem meritò videatur adducere. Et verè ita dicere liceat, quòd per tempus Gratiæ & Euangelij, occaſione ingratitudinis Iudæorum, gentes occaſionem ſalutis in Chriſto repererint: quodque occaſione confractionis & exciſionis ramorum oliuæ, rami naturalis oleaſtri in bonam oliuam ſint inſerti. Nos ſiquidem, qui ex gentilibus oriundi ſumus, Iudæi veri facti ſumus, ſecundùm ſpiritum; nempe Chriſtiani. Id autem non niſi tempore opportuno & ſpeciatim ad hoc diuinitus deſtinato, in opus deductum eſt: quæ ſuis locis fuſiùs ſumus tractaturi.

Tempus Occaſionis dux. *Actor. 13.* *Rom. 11.* *Rom. 2.*

Rectè igitur, vt dicebamus, tempus velut dux Occaſionis alicuius boni conſignatur. Nam non omne tempus, ſed partem illam temporis qua occaſio offertur, opportunitatem, tempeſtiuitatem, & occaſionem appellamus. His ita aſſentitur Mirandula: Occaſio, pars quædam temporis opportuni & ſignati cenſetur eſſe à Latinis auctoribus & à Græcis, etiam Medicis; maximè inter exponendum illud Hippocratis; OCCASIO PRÆCEPS. Hac de ſententia ita Galenus: Eſt occaſio præceps: quia materia circa quam verſatur ars (medicina nimirum) continuè fluit. Corpus ſiquidem noſtrum mutationibus obnoxium eſt: neque cauſis extrinſecis tantùm, ſed etiam ab intrinſecis faciliter alteratur. Quocirca rectè Ariſtoteles: Tempora non ſunt tempus opportunum. Deo enim ſunt tempora, non autem tempus opportunum; eò quòd nihil Deo vtile. At nunc de ſalutari cæleſtis Gratiæ adſpiratione, citra quam nihil cetera proſint, paucis diſſeramus.

Mirandul. *In Aphoriſ. Hippocr. aphor. 1.* *Ariſt. lib. Priorum.*

Schemat. 1. Cap. 6.

GRATIAE *diuinæ præſidium* TEMPORI *&* OCCASIONI *coniunctum.*

Gratię Dei præſtantia. AT quoniam & tempus, & occaſio, & quidquid iſtorum prætextu ad humanam vtilitatem affertur in medium, non niſi à diuini Numinis benignitate nobis conferri cenſendum eſt; meritò Dei omnipotentis nutum atque fauorem ſupernè hæc omnia largientem, fouentem, ſuaque benedictione fecundantem, in imaginis huius delineatione putauimus exhibendum. Nam, vt inquit Gregorius, Gratiæ diuinæ adſcribitur, omne quod proſperè à nobis geritur. *Gregor. ſuper 1. Regum.*

1. Cor. 15. Vnde gratanter de ſe Apoſtolus; *Gratiâ Dei ſum id quod ſum: & gratia eius in me vacua non fuit; ſed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quapropter & nos omnes hortatur, vt gratiam Dei non negligamus. Sic enim ait: *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Et quo apertiùs videamus, occaſionem temporis gratiæ, vt opportunam ſaluti, curæ nobis eſſe debere; ſubdit: *Ait enim* (Deus ſcilicet per Prophetam Iſaiam) *Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Propter quod* (inquit alibi) *remiſſas manus & ſoluta genua erigite; & greſſus rectos facite pedibus veſtris: vt non claudicans quis erret, magis autem ſanetur. Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam; ſine qua nemo videbit Deum: contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei.* *2. Cor. 6.* Temporis gratiæ opportunitas. *Iſa. 49.* *Heb. 12.*

1. Cor. 10. Tempus gratiæ nobis *(in quos fines ſæculorum deuenerunt)* opportuniſſimè à Deo fuiſſe attributum, in D. Petri quoque verbis, vt in ſpeculo videre eſt. *Regenerauit*, inquit, *nos in ſpem viuam; in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſeruatam in cælis in vobis; qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem, paratam reuelari in tem-* *1. Pet. 1.*

tempore nouiſsimo. De qua ſalute exquiſierunt atq; ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt: ſcrutantes, in quod vel quale tempus, ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti: prænuncians eas quæ in Chriſto ſunt paſsiones & poſteriores glorias: quibus reuelatum eſt; quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis, per eos qui euangelizauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quem deſiderant angeli proſpicere. Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſperate in eam quæ offertur vobis gratiam. Hucuſq; Apoſtolus. Ita pergit nos omnes animare, vt gratia Dei ſtrenuè vtentes ſancti ſimus; & toto incolatus noſtri tempore piè conuerſemur.

ORATIO I.

Ad benè vtendum Occaſione, alijſque Dei muneribus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui cùm in æternitate tua ineffabili, nullius indigus, fonſque omnium bonorum, in te ſolo ſolus, theſauro tuæ diuinitatis fruereris, & compleres omnia; ſingulari tuæ bonitatis inſtinctu, & tempora & vniuerſa creata in humani generis vſum condidiſti, magiſque adhuc admirandâ miſericordiâ in fine ſæculorum TEMPVS *ſpeciale gratiæ, in collapſæ ſtirpis noſtræ reparationem conſignaſti: Da nobis, ita gratiæ tuæ tamque opportuni temporis ſalutariſque occaſionis munera venerari, vt cum electis tuis, in beata illa æternæ gloriæ felicitate, gaudere mereamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*



A. *Macte nouâ grex dote, frui cui munere Diuûm*
Conſpectuque datur. Vobis, OCCASIO, TEMPVS,
Quodq; fero CÆLO *auxilium, quam molliter adſtant!*
B. *O nos felices, et amica ſorte beatos,*
Gratia queîs CÆLO *ceu roſcidus adpluit imber!*
A. *Ergo manus proferte alacres; quamq; obtulit vltrò*
Prenſandam ſacra NYMPHA *comam conſtringite læti.*
C. *Non ſic, o Iuuenes: deliria vana faceſſant.*
D. *Læta decent lætos, triſtes Dea calua Catones.*
C. *Hem prædam! hem prædam! date retia, et ocyus hamos.*

Schematis 2. explicatio;

Quo ad frugem vocat Angelus, auocat verò diabolus.

Schemat. 2. Cap. 1.

Angelo duce, OCCASIO, TEMPVS, DEIQVE AVXILIVM *hominibus ſubminiſtrantur.*

TAMETSI ſuo ſenſu verum dicit Seneca; Omnia aliena ſunt, tempus tantùm noſtrum eſt: rectiùs tamen noſtroque propoſito conuenientiùs cum D. Auguſtino dicemus, Nihil propriè abſoluteque loquendo eſſe noſtrum, præter peccatum, cetera omnia nobis à Deo eſſe conceſſa. Quadrat id optimè cùm Apoſtoli ſententia, quam eiuſmodi argumento conſignat: *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Tempus cum reliquis à Deo accipimus: peccatum verò ex nobis ipſis habemus, tamquam maximè proprium. *Seneca, in Prou.* 1.Cor.4.

Nunc verò, quia *Angeli adminiſtratorij ſpiritus ſunt, in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis*; non malè hoc ſchemate inducimus Angelum, & quidem cum primis tutelarem; vt qui nobis tempus, occaſionem, diuinamq; gratiam, velut cæleſtem rorem, in conſpectum adducat. *Hebr.1.* Angeli boni præſidium, in Occaſionis cura.

Videmus ſiquidem ſacris diuinæ ſcripturæ monimentis expreſſum, Angelorum adminiculo, tempus acceptabile, rerumque rectè gerendarum opportunitatem, hoc eſt, OCCASIONEM percommodam, atque adeò gratiæ diuinæ præſidium, ſubminiſtrari: Deo, vt ſupremo omnium datore ac moderatore, ſic diſponente.

Ita

Geneſ. 21. Ita Angelus Agar ancillæ Saræ fontẽ aquæ peropportunum oſtendit, quo & ſuam, & filij ſui Iſmahelis ſitim reſtingueret, languentemque præ ariditate animulam refocillaret. Cui antea quoque tempeſtiuum ſe exhibuerat conſolatorem, cùm indignabunda ab hera ſua profugiſſet: viam modumque ei ſuggerens, quò in gratiam Dominæ ſuæ humiliata rediret, quæ ſuperba receſſerat.

Geneſ. 16.

Geneſ. 19. Sic quoque cæleſtes illi nuncij, Lot filio fratris Abraham in extremo diſcrimine conſtituto, vxorique eius & filiabus, modum methodumque oſtenderunt accommodam, quaſi tempus, occaſionem, diuinamque opem ob oculos ſtatuentes, quò ſe præſenti periculo eriperent, atque in tuto collocarent. Quod dum non arripuerunt eius duo generi, ſed ſpernentes oblatam cælitus occaſionem, quaſi per ludum & iocum talia in terriculamenta ſibi proponi exiſtimarent; cum impijs Sodomitis malè mulctati ſunt.

Petra ſalis ſapientiæ typus. Quin & vxor Lot, dum iam apprehenſæ occaſionis præſcripta neglexit, reſpiciens retrò, in ſtatuam ſalis conuerſa, alijs exemplo ſtatuta eſt maioris obſeruantiæ & prudentiæ. Solent enim, vt ait Gregorius, oues petram ſalis lambendo reddi meliores, magiſque ab inſidiante illis corruptione immunes: ita & nos, ſi hanc petram lambuerimus, altiori ſenſu caſum hunc expendendo.

Gregor.

Schemat. 2. Cap. 2.

Alijs præterea exemplis, Angelorum circa occaſionem declaratur officium.

Balaam. Angelici miniſterij exempla. LICEAT his ſaluo boni Lectoris iudicio intertexere, quo modo & Angelus Balaamo à recto aberranti, tempus, & occaſionem, Deique numen ad reſipiſcendum opportunum adhibuit: cuius rei gratia, & ipſe ſtricto gladio eum à malo cœpto diuertere conabatur; & aſina (cui inſidebat, quamque crudeliter, quòd plus ipſo ſaperet, cædebat) Dei nutu articulata

Num. 22.
2. Pet. 2.

lata verba humano more locuta, increpabat.

Quum duce Ioſue, Iordane ſiccis veſtigijs tranſmiſſo, regna gentilium populo Iſraeli à Deo promiſſa venirent expugnanda, primaque omnium Iericho, ciuitas munitiſſima, ſe offerret; in tam ardua rei gerendæ prouincia, opportunam ei præbuit Angelus occaſionem, qua & ipſe animaretur, & optatam victoriæ palmam reportaret. *Cùm etenim eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euáginatum tenentem gladium: perrexitq́; ad eum, & ait; Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit, Nequaquam; ſed ſum princeps exercitus Domini: Et nunc venio.* &c. Quaſi dicat: En, tempore opportuno me offero, & quidquid ad rem tantam ritè conficiendam erit neceſſarium. Eiuſque occaſione, ductu, & præſidio, diuinam expertus eſt opem in Ierichontina ciuitate mirando modo ſubigenda, totaque illa infidelium regione occupanda. Ioſue. *Ioſ.* 5.

Sic Angelus Gedeoni, quem virorum fortiſſimum ſalutabat, occaſionem percommodam, tempuſque conueniens, & cæleſte auxilium miniſtrauit; tum quò in ſpem certam collapſæ rei reſtituendæ aſſurgeret, tum etiam re ipſa conceptam mente victoriam conſequeretur. Arripuit occaſionem, oblatamque cælitus opem, hoſtes fudit fugauitque, & contribules ſuos Deique cultum iam penè peſſundatum, ab intoleranda illa profanarum gentium iniuria vindicauit. *Iud.* 6. 7. 8. Gedeon.

Angelus peſte cædens populum Dauidi apparens, ei tempus miſerendi, & locum ſua præſentia placando Deo propitium deſignauit; omnemque, Propheta Gad interprete, præbuit occaſionem, altaris in area Areuna Iebuſæi conſtituendi, offerendique holocauſta & pacifica: *& propitiatus eſt Dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael.* 2. *Reg.* 24. Dauid.

Tobiæ cùm ſeniori tum iuniori, & tempus opportunum & occaſionem optatiſſimam, necnon diuinum auxilium ſuo miniſterio Angelus Raphael ſuppeditauit, tam ad iter ignotum tutò conficiendum, pecuniamque deſideratam requirendam, quàm ad vxorem bonam diuino nutu iuniori procurandam, patrique viſum mirando modo reſtituendum. Tobias.

Iudith. Iudith heroina illa non tantùm inter mulieres ſed & inter viros à D. Hieronymo cum primis laudata, procuratâ per Angelum eundi redeundique facultate, dataque eiuſdem patrocinio opportunâ & temporis & rerum occaſione, intacta permanſit, hoſtem confecit, & populum Dei ab internecione imminente conſeruauit: vt ipſamet hiſce verbis conteſta-
Iudith 13. tur: *Viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem.* Momenta temporis, & rerum euenta hauddubiè adaptans ſanctæ illius viraginis intentioni; quaſi vbique & quouis tempore occaſionem ſuppeditans, rei peragendæ cum primis opportunam.

Innumera ſint, ſi ſingula perſequamur, quæ per Angelos præſtita ſunt bonæ occaſionis argumenta. Vnum adijciam, quo nihil illuſtrius in hoc genere deſiderari poſſit. Angelus benedictæ virgini, Domini noſtri genitrici Mariæ, adminiſtro Ioſepho, occaſionem tempuſque opportunum ſuggeſſit, ad fugâ in Ægyptum, ſe cum puero Ieſu, Herodis inſaniæ ſubtrahendum; & tempore dein conuenienti, oblataque noua occaſione iterum inde remeandi. *Mortui ſunt*, inquit, *qui*
Matth. 2. *quærebant animam pueri.*

At, quid mirum in Domini matriſque eius id procuraſſe obſequium, cùm & tribus Magis, tum vt quæ nocitura videbantur declinarent, tum vt incolumes in patriam regrederentur, occaſionem conſiliumque ſuggeſſerit, quò per aliam viam reuerterentur in regionem ſuam?

Schemat. 2. Cap. 3.

Quantopere nobis angelicum hoc ſtudium, OCCASIONIS *intuitu, cordi eſſe deberet.*

NON eſt itaque cur cuiquam mirum videatur, Angelum hîc, præſertim cuiuſque cuſtodem, conſtitui occaſionis temporiſque, & donorum cæleſtium adminiſtrum; vt qui

opti-

optimam ſuppeditare credatur opportunitatem, temporeque aptiſſimo ſuum commonefacere clientem, quo & res gerendæ ſint, & ſalus animæ ſedulò comparanda. Si maligni namque ſpiritus, quantum queunt, aptiſſimum tempus omnemq́; occaſionem mala patrandi ſuis ſuggerant & ſubminiſtrent; quāto magis Angeli boni, quibus præter inſitam erga nos charitatem, præcisè quoque à Deo ita præceptum eſt? *Angelis ſuis* (inquit Pſalmiſta) *Deus mandauit de te.* Curatcaptandæ occaſionis neceſſaria. *Pſalm. 90.*

Hinc, ſicut Iudas, inſtigante diabolo, quærebat quomodo opportunè Ieſum, quem iam vendiderat, traderet; atque ad hoc, tempus aptiſſimum lociq́ue commoditatem captauit nulla occaſione neglecta; quare ita non quærant ſalutis ſuæ ſtudioſi, hortante tutore Angelo, omnem occaſionem temporiſq́ue compendium, rectè omnia peragendi? *Matth 26.*

Ideoque non immeritò negligentibus exprobrat Dominus per prophetam: *Miluus in cælo cognouit tempus ſuum, turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui; populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Non immeritò inquā hac exprobratione ferimur: quia præterquā quòd homo, ratione præditus, lumine cæleſti colluſtratus, ſagaciùs illa perſpecta habere deberet, quæ ad rem ſalutemq́ue faciunt, quàm bruta quæuis animalia ſolo naturæ inſtinctu; Angeli inſuper boni præſidium & inſtinctū bonum habet, ad accommoda rei benè gerendæ tempora diſcernēda, oblatamq́; ſalutis occaſionem amplexandā, & tamen tot ſtipatus auxilijs non obſeruat. *Ierem. 8.* Auium ſapientia.

Non abſimili propterea in nos expoſtulatione etiam vtitur, quando per Iſaiam ait: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognouit.* Bos ſiquidem & aſinus, quatenus fert eorum natura, nullam omittunt occaſionem, & quæ ad Domini ſui obſequium faciunt exſequendi, & quæ ad proprium pabulum offeruntur, gratanter arripiendi. Iſrael autem, homo Dei cultor, neque rationem vllam habet cultus mihi debiti, neque propriæ ſalutis. Non cognouit tempus viſitationis ſuæ; oblatam pacis, gratiæ, ſalutiſq́ue occaſionem vix dignatur adſpectu: tamq́ue ſunt ei aliena, quàm peregrina & planè ignota. *Iſa. 1.* Bouis & aſini gratitudo. *Luc. 19.*

Quis ſatis, in hunc eundem ſcopum, halcyonis aliarumque auium miretur induſtriam, ſiue in nidificando, ſiue in reliquis, tum quoad ſe, tum quoad ſobolem, opportuna occaſione diſponendis? Quem non doceat echinus terreſtris omnem captare temporiſque opportunitatem: vt meritò inter Hieroglyphica, Opportunitatis captatorem ſignificet? Nouit ſiquidem cubilia ſua Aquilonum & Auſtrorum mutatione commutare. Duas enim cubilibus feneſtras facit, alteram Notum verſus, Boream verſus alteram; quaque parte ventum futurum præcognoſcit, feneſtram obturat, alteram recludit: ſin intra tectum alatur, ad parietem diſcedit. Quod Cyſici quidam cùm obſeruaſſet, conſecutus eſt opinionem apud omnes, vt ventos omnes, qui ſpiraturi eſſent, ex ſe ipſe præcalleret.

Hieroglyphicũ opportunitatis, Echinus.

Ambroſ. Hexam. li. 5. cap. 9.

Echinus verò marinus, tempeſtatis prænuncius & etiam tranquillitatis. Cùm procellam præſenſerit, lapidem arripit, eumque velut ſaburram vehit, & tanquam anchoram trahit, ne excutiatur fluctibus. Hoc videntes nautæ ſibi præcauent etiam, docti. Homo interdum fallitur, echinus non fallitur. Echinum ſua nequaquam ſigna prætereunt, inquit D. Ambroſius.

Sed quid in vno atque altero animalculo, hanc ſeruatæ occaſionis induſtriam, opus eſt animaduertere, cùm nullum ferè ſit tam exigua naturæ dote præditum, quod non miram exerceat hoc in ſtudio ſolertiam; ſeu abitum, reditum, nidum, partum, paſtum, medicationem, & quidquid velis, conſideres? Et homo non intelligit hæc.

Quemadmodum igitur in expreſſa icone *Angelus* ſtudioſæ iuuentuti TEMPVS, OCCASIONEM, diuinumq; CÆLESTIS GRATIÆ auxilium offert, atque ad amplexandum exhortatur; ita certò ſibi quiſque perſuadeat, ab Angelo ſibi præſide omnem ſuo tempore ſubminiſtrari occaſionem, rem benè gerendi, ritè exſequendi officium, propriamque ſalutem operandi. Ea eſt patris cæleſtis in ſuos filios (nos inquam) cura & munificentia.

Sedula viciſſim eſt opus attentione, ne negligatur Occaſio: quin

quin potiùs oblata captetur, arripiatur, ſtringatur amplexibus. Hoc ſiquidem innuunt vſitatæ illæ apud auctores ſententiæ ſeu loquendi formæ: Occaſionem dare, offerre, parere: item, quærere, captare, capere, nanciſci, arripere & amplecti: atque econtrà, negligere, ſinere labi, ſinere præterire, contemnere, perdere. At nunc ad inuiſos illos in *Typo* piſcatores oculos conuertamus.

Schemat. 2. Cap. 4.

Diaboli piſcantur, captantque occaſionem, eludendi Occaſionem.

DOLENDVM! cùm verſus ille [*Semper tibi pendeat hamus: Quo minimè credis gurgite piſcis erit*] nos meritò ſemper attentos vigilanteſque deberet efficere; fit econtrario, vt diabolus nos potiùs ineſcet, neſcio quibus friuolis nulliuſque momenti vel pretij reculis, & oblectatiunculis pluſquam puerilibus, vt interim oblatam rerum maximarum, immortalis gloriæ, ſalutiſque perpetuæ, occaſionem negligamus. *Ouid.* Diaboli piſcatio.

Dum nobis non pendet hamus, quo captemus opportunitatem benè merendi; vel ſi pendet vtcunque, ictumque ſentimus; neque ictu quidem vel icti ſapimus; nihil capimus, oſcitanter varijs vanis vagiſque intenti: ipſe interea inſidiator prædoque animarum noſtrarum, boni ſucceſſus oſor, retia expandit, adaptat hamum, & ſupinos ad ſeria animos ſeriò captat.

Verè de nobis dici poſſit, quod eſt apud Sapientem: *Sicut piſces capiuntur hamo, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplò ſuperuenerit.* Exemplò, inquit, quia quaſi repentè ac caſu quodam opportunitas ſeu boni malique occaſio ſolet oboriri. *Ecclef.9.*

Sic ipſe Propheta Regius, & vir ſecundùm cor Dei, à diabolo fuit ineſcatus & adhamatus: quia occaſione rectè

 pera-

peragendi officij prætermiſſa, oblatam extemplò in malum proruendi anſam arripuit. Ita legimus in ſacra Regum hiſtoria: *Factum eſt autem vertente anno, eo tempore, quo ſolent reges ad bella procedere: Dauid remanſit in Hieruſalem. Dum hæc agerentur, accidit vt ſurgeret de ſtratu ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ; viditq; mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum*, &c. Ecce, quot quamq́ue præclaræ conditiones bonæ occaſionis, temporis opportuni, loci, & circumſtantiarum, ad egregiè de hoſtibus triumphandum, Dei gloriam ampliandam, Reip. conſulendum, ſalutemq́ue animæ ſuæ promouendam, ſi attendiſſet arripuiſſetq́ue? Verùm, dum has negligit, ingerit diabolus alias, illecebroſas, fallaces, & fuco lenociniorum obductas, quibus eum in perniciem pertraxit, vt adulterium committeret, perpetraret homicidium, & ſtatum vniuerſum in certum præcipitij diſcrimen adduceret.

2. Reg. 11. Otij & negligentiæ damnum.

In oſtreo noſtram oſcitantiam, & in cancro econtrà diaboli aſtutiam, prout eam depingit Ambroſius, occaſione Dauidis attendamus. Cancer, inquit, oſtreo delectatur, & carnes eius epulum ſibi quærit. Sed, quia vt appetens cibi ita proſpiciens eſt periculi, quoniam propter teſtarum valuulas cùm difficilis eſt venatio tum periculoſa: itaque explorat captatq; occaſionem, ſi quando oſtreum remotis in locis ab omni vento contra ſolis radios diptychum illud ſuum aperiat, & reſeret clauſtra teſtarum, vt voluptatem à ſole capiat; & tunc clanculò calculum immittens, impedit concluſionem oſtrei, ſicq́ue tutò inſerit chelas, viſceraq́ue interna depaſcitur.

Ambr. Hexam. li. 5. cap. 8. Cancri molitio erga oſtreum.

Sic non dormit dæmon, dum Petrus altùm ſtertit; dumq; nos per meram oſcitãtiam noſtri obliuiſcimur, & mundi voluptatibus oblectamur, tunc maximè inſidiatur aduerſarius electo noſtrarum animarum edulio. Quando recti boniq́ue occaſionem velut ſomno ſepulti non arripimus, non negligit ipſe veteratorias ingerere & adminiſtrare opportunitates, ex ipſis Orci penetralibus quandoque ſuſcitatas.

Diabolus non dormit.

Ecquid mirum? Ita ille ab ipſis ortus ſui primordijs in ſe expertus, in primos quoque parentes idem exercuit ſtratagema,

ma, ſucceſſitque ei ex animi ſententia, vt adhuc ſuccedit in dies. Sicut enim ipſe, neglecta occaſione confirmationis in gratia, æternæque gloriæ conſequendæ, quæ ad manum erat; occaſionem prorſus aduerſam ex natiuâ ſuâ pulchritudine, & ingenitâ nobilitate affulgentem arripuit; ſeque in abyſſum, cum eiuſdem conſilij æmulis præcipitauit: ita primos parentes, reiecta è manibus gloriæ cæleſtis occaſione à Deo ipſis oblata, oppoſitam fictæ diuinitatis occaſionem obtendendo, è paradiſi felicitate Deique gratia proturbauit.

Ita Cain, Eſau, Saul, totaque (vt ita dicam) Iudæorum progenies, neglecta proſperitatis veræque ſalutis occaſione cælitus oblata, euanidam impoſtore diabolo apprehendentes, ſpe omnis felicitatis exciderunt, & ter quaterque miſeri atque extorres facti malè perierunt. Sed de his aliàs meliori data occaſione: nunc ad eos conuertamur, qui diaboli more, occaſionem ad malum quærunt.

Schemat. 2. Cap. 5.

Improbi homines, exemplo Diaboli, occaſionem ad malum inueſtigant.

QVEMADMODVM *aduerſarius noſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret*; occaſionem ſcilicet captans, tempuſque præſtolans opportunum, & quiduis aliud ſubminiſtrans, quod ipſi ad malum ſuum explendum opituletur; ita homines improbi, eius inſtinctu, idem ſaxum voluunt, idemque moliuntur. At nos ipſorum docti ſolertia, ad omnis boni occaſionem ſtudioſè obſeruandam, proficiamus in melius, diſcamuſque ſapientiam. *1. Pet. 5.* Mali bonis inſidiantur, Occaſiones ad malum quærentes.

Sic namq; tentator Dominum noſtrũ aggreſſus eſt, poſtquã, expleto quadraginta dierum ieiunio, illum eſurire cognouit; quod naturali ipſius ſagacitati Dominũ conceſſiſſe vt animaduerteret, eſt veriſimile. Tunc acceſſit, inquit Euangeliſta. *Matth. 4.*

Ideò acutè Bernardus: Diabolus omnium diſcutit con- *Bernar. in ſerm*

ſuetu-

ſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus. Et ibi cauſas quærit nocendi, vbi nos ſtudioſiùs viderit occupari. Circuit enim omnes animi noſtri affectus, non aliter atque callidiſſimus hoſtis explorat arcis muros; vt qua parte ſenſerit infirmiora eſſe præſidia, eâ oppugnationem aggrediatur.

Iud.16. Ita Philiſthæi Samſonis capiti nihil non ſtruebant, vndiquaque occaſionem captando, quò eum interimerent; licet non ſemel ſpe ſua atque exſpectatione fruſtrarētur. Quotieſcunque enim opportunum credebat infelix Dalila, ab ipſis in Samſonis perniciem mercede conducta, exclamabat, *Philiſthijm ſuper te, Samſon:* vt nimirum occaſioni tam ſtudioſè captatæ maiorem afferret ſecuritatem, explorato priùs (vt putabat) certiori euentu, an verè tali vel tali, vt perſuaſerat, caſu, viribus omnibus foret deſtitutus.

Dan.6. Sic Satrapæ & Principes Babylonici *quærebant occaſionem, vt inuenirent Danieli, ex latere regni.* vt eum ſcilicet gradu mouerent; quò eum & virtus & pietas meritò euexerant. Dixeruntque viri illi; *Non inueniemus Danieli huic aliquam occaſionem, niſi fortè in lege Domini.* Per calumniam nempe, diuinæ legis occaſione, quam ex odio per legem regiam eſſent oppreſſuri.

Deut.22. Ita & Deus lege per Moyſen datâ cauit, contra viros malitioſè aliquando quæſituros occaſionem dimittendi vxores. *Si duxerit vir vxorem, & poſtea odio habuerit eam, quæſierítque* OCCASIONES, *quibus dimittat eam,* &c. Pœnam ibi conſtituit Dominus tali captione & calumnia dignam.

Ecce vt diaboli, etiam in prauis hominibus, hîc machinamenta panduntur, quibus nihil omittunt, quod ad occaſiones mali non tantùm non negligendas, verùm etiam ſtudioſè inueſtigandas, pertineat.

Eccli.26. Monet quoque Sapiens parentes periculi circa filiarum cuſtodiam, propter lubricam ſexus ætatiſque illius in occaſione mali conditionem. *In filia non auertente ſe firma cuſtodiam: ne inuenta Occaſione, abutatur ſe.* Rectè; quia, ſicuti Occaſio furem facit, ita facit ex virgine meretricem. Non raro etenim per ſolam occaſionem virgines iacturam pudoris faciūt, numquam

quam alioqui tam futuræ vecordes. Sed periculi fomitem attende: dum nimirum vel quemquam adſpiciens, vel conſpecta ab aliquo, qui eius pudicitiæ inſidiatur, nec oculos, nec manus, nec ſe totam auertit; quaſi certo ſe exponit diſcrimini: ſicut ſtuppa vel palea, quando igni admota non ſat citò retrahitur. Duplici egent eiuſmodi cuſtodia, ne vel expugnetur arx ipſarum, vel per inſidias intercipiatur.

Ita monet quoq; alibi Sapiens, nè quis temerè aliquem pro fideli amico ſibi aſſociet, à quo poſteà nulla ſua culpa deſeratur. *Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis.* Qui enim ob merum veræ amicitiæ defectum faſtidio quodam obſeruatæ hactenus neceſſitudinis ducuntur; cauſas vndiquaque conquiſitas prætexunt, vt honeſtè ab amico diſcedant: ſed non propterea notam fugiunt improperij & exprobrationis. *Prou.18.*

Ioram rex Iſrael acceptis lectiſque regis Syriæ literis, quibus eum rogabat, vt principem ſuum militiæ Naamannum curaret à lepra; hoc eſt curari per Prophetam curaret; ſcidit veſtimenta ſua, & ait: *Nunquid Deus ego ſum? Videte quòd occaſiones quærat aduerſum me:* belli ſcilicet, & controuerſiarum; me tam tecto ſcommate laceſſendo. 4.*Reg.*5.

Speciem ſolùm ſibi inanem quæſitæ eiuſmodi occaſionis, vano metu ſtimulante, fingebat. At, vt verè quæſitæ & detectæ habeamus exemplum, ex Romanorum Hiſtorijs vnum depromamus. Volſcorum legati apud Romanos commiſſa ſibi munia obeuntes, & quædam ab omni ratione diſſita illis proponentes, eiuſmodi ab ipſis reſponſum acceperunt: Non latet nos, Volſci, amicitiam quidem à vobis non peti, ſed *ſpecioſam* belli OCCASIONEM quæri. Nam, quæ à nobis petituri huc veniſtis, probè ſcitis, vos nunquam impetraturos. Poſtulatis enim iniqua, & quæ fieri non poſſunt. *Rō.antiq lib.8.* Volſcorū legatio fraudulenta.

Nunc, non veræ quidem ſed nec immeritò formidatæ occaſionis diſſidij exemplum ex ſacris ob oculos ſtatuendum. Verebantur olim viri tribus Ruben & Gad arripiendam à poſteris reliquarum tribuum in ſuorum filiorum præiudicium occaſionem calumniæ. Hanc ideò exſtructi ingentis altaris *Ioſ.22.* Altare ingentis magnitudinis.

dederunt ceteris rationem: *Cras dicent filÿ veſtri filÿs noſtris; Quid vobis & Domino Deo Iſrael? terminum poſuit Dominus inter nos & vos, ô filÿ Ruben & filÿ Gad, Iordanem fluuium: & idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc* OCCASIONEM, *auertent filÿ veſtri filios noſtros à timore Domini.* Dicebant itaque ſe ideò exſtruxiſſe altare hoc in perpetuam rei memoriam, quòd & ipſi, tametſi eſſent Iordane à ceteris tribubus ſeparati, eſſent tamen pars populi Iſrael, haberentque communem cum ipſis Deum, Deum Iſrael. Et ita naſcituræ occaſioni occurſum eſt, & omnis mali ſuſpicio ſublata. Sed tempus eſt, vt ad ſtudium bonæ occaſioni adhibendum, redeamus.

Schemat. 2. Cap. 6.

Cauendum ſedulò ne vnquam elabatur OCCASIO.

Occaſio captanda.

EX antè iam recenſitis perſpectum habemus ſtudium peruerſorum quærendi occaſiones, quas & boni magna debuerint prudentia præcauere, & diuini rigoris ſententia legis caſtigatione præuertere.

Ita, vt dixi, non dormit diabolus, non dormit Iudas, non dormiunt mali in opportunitate ſectanda, qua peſſimis machinamentis optatum procurent euentum. Atque hæc quidem occaſione piſcationis diaboli, ineſcationis, & ab omni ſpe boni auocationis, breuiter dicta ſufficiant: nunc cetera proſequamur.

Quidni, cùm ita in malo ſe habeat res, nos multò magis in bonum aduigilemus, nequa præterlabatur occaſio rectè faciendi? Prudenter Demoſthenes: Nihil prætereundum eſt, quod ad rem pertineat. Idemque ſublimiùs: Paruæ occaſiones, magnarum rerum cauſæ exiſtunt. Vegetius de re militari, id pro ſuo quoque argumento confirmat. Occaſio (inquit) in prælio, ampliùs iuuare ſolet, quàm virtus. Vnde & Polybius: In bellicis rebus minoris ſunt momenti, quæ manifeſtè

Demoſth.

Vegetius de re milit.

Polybius Hiſt. lib. 9.

& cum

& cum violentia perficiuntur, quàm quæ opportunè fiunt. Item: Dominatur quidem Occasio in cunctis rebus humanis; maximè verò in bellicis. Ponitque idem auctor ibidem, varia exempla bellica fruſtratæ expeditionis, propter neglectum tempus & opportunitatem. Occaſio in bellicis rebus plurimũ valet.

Ac rectè quidem hæc omnia; quid namque virtus bellica proderit, ſi vel occaſio eam exercendi non detur; vel deſit prudentia, qua oblatam arripias? Magna moles, ſua ſe tandem mole conſumit. Occaſio verò facit, vt parua nonnumquam manu, non paruam victoriam conſequaris. Alioqui, quid arma, copiæ, viri, vires, & (quod ferè caput eſt) belli neruus, ſi rei benè gerendæ deſit occaſio, vel data ſpernatur, fidaturq; viribus, propriæ prudentiæ, vel præfracto quorumdam iudicio?

Non malè propterea mihi viſus Comicus ille dicere; Rerũ omnium primum eſſe tempus. hoc eſt, Occaſionem temporiſque opportunitatem in re ritè peragenda præcipuè attendendam. Vnde & Lyricus probè callens quantum valeret opportunitas, ſic ſcribit: *Terent.* Opportunitatis auctoritas.

—Niſi dextro tempore, Flacci,
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem. *Horat. Sat. 1. li. 2.*

Idem mittens Auguſto librum, monet eum qui laturus erat, vt tempeſtiuè adeat; vt videlicet,

Si validus, ſi lætus erit, ſi deniq; poſcet. *Horat. 1. Epiſt.*

Contrà, de malè obſeruata huiuſmodi opportunitate in ſimili negotio Naſo conqueritur, ſic inquiens; *Ouid. 9. Metam.*

Non adijt aptè, non legit idonea, credo,
Tempora.

Conſultò itaque Pittacus Mitylenæus: Conſimiliter vos, qui vultis apud Principem impetrabiles eſſe, captate id tempus, quo remiſſior, hilarior indulgentiorque eſſe ſolet: ſcitote plus pollêre *tempeſtiuitatem* hanc, ad ſucceſſus petitionum, quàm adipem leonis, quàm ſanguinem baſiliſci, quàm ſpondylon draconis, quàm anguium drynedarum ouum, ceteraq; id genus promiſſa magicæ vanitatis. *Pittacus Mityl.*

Hinc de Veſpaſiano ab hiſtoricis proditum, id temporis fuiſſe facillimum & indulgẽtiſſimum, quo in balneum tricliniumque *Veſpaſ.*

niumque tranſibat; eaque momenta, atque *occaſionem* domeſticos ad aliquid petendum magnoperè captaſſe. Iuxta illud Poëtæ:

Æneid.4. *Sola viri molles aditus & tempora noras.*

Phocyl. Vnde prudenter Phocylides: Occaſioni obtempera, & noli ſpirare in ventos. Meritò, nam qui citra occaſionis imperium, & ſiue illa detur ſiue non, velit tamen rem animo conceptam aggredi, is tam ludit operam, atque ſi ventos flatu ſuo conetur abigere, inuitis canibus venari, inuitâve Minerua, vt eſt in prouerbio, literis operam dare. Sed aliter nos docebunt exempla ſequentia; in quibus, loci, temporis, rerumque opportunitatem ſeu occaſionem cõtemplabimur, prout horum in Præfatione meminimus. Ac in primis quod loci opportunitatem concernat, audiamus.

1\. Occaſio, à loci opportunitate.

Antigonus.

Quum Antigonus in arduis ac præruptis locis planitiei imminentibus exercitum haberet, Pyrrhus poſitis circa Napham caſtris, poſtridie per caduceatorem, vt, in campum deſcendens, Martem experiretur, prouocauit. Antigonus verò reſpondit, ſuam militiam non magis armorum quàm temporum eſſe: Pyrrho, ſi illum vitæ tædium cepiſſet, ſatis multas ad interitum vias patêre. Loci occaſio ſuadebat ſuperſedendum, interim temporis opportunitatem loci ſecuritate captabat.

Scip. Afric. Quocirca conſultè Scipio Africanus: Non eſſe cum hoſte confligendum, niſi aut inuitaret *Occaſio*, aut vrgeret neceſſitas: quòd incogitantis ſit, opportunitatem oblatam negligere; & extremæ ignauiæ, tum non præſtare fortem animum, quum audacia ſpem præbet incolumitatis; formidoloſitas nihil aliud ſit, quàm certum exitium. Aſt aliam à loco captam occaſionem aduertamus.

Sext. Iul. Stratag. lib. 1. ca. 2. Iberi in Africa ingenti hoſtium multitudine excepti, timenteſque ne circumuenirentur, applicuerunt ſe flumini, quod altis in ea regione ripis profluebat: qui ita à tergo amne defenſi, & ſubinde cùm virtute præſtarent, incurſando in proximos, omnem hoſtium exercitum proſtrauerunt.

Ita & C. Marius, in bello ciuili, quum foſſa cinctus obſideretur

deretur ab hoſtibus, continuit ſeſe, tempus expectans opportunum (iam enim loci opportunitate fruebatur.) Popedio autem Siloni dicenti; Si magnus es imperator, ô Mari, deſcende in conflictum: Imo tu, inquit, ſi magnus es imperator, coge me nolentem ad certamen venire. At Temporis nunc occaſionem militari in exemplo contemplemur. *Plutarch. in Rom. apophth.*

C. Domitius (quem Scipio maior pro ſe Lucio fratri in bello aduerſus Antiochum legatum dederat) vbi contemplatus eſſet hoſtium phalangem, exercitus præfectis hortantibus, vt confeſtim aggrederetur; negauit tempus fuiſſe, ad hoc, vt tot millibus trucidatis, ac direptis impedimentis, in caſtra reuerſi ſua curarent corpora. Sed hoc ipſum poſtridie ſe tempeſtiuè facturum dixit. Ac poſtero die congreſſus quinquaginta millia trucidauit. Vir ſtrenuus non dubitauit de victoria, ſpatium modò temporis gerendæ rei par & opportunum eligebat. II. Occaſio à tempore ſumta. *Plutarch.*

Huic ſubdam non abſimile. Scipio minor, quum videret hoſtes deſpondere animum; aiebat, ſe, vt tutò veniret, morâ temporis emiſſe: addens; bonum ducem, perinde vt medicum, non niſi in extrema curatione ferrum adhibere. Nihilominus per occaſionem adortus Numantinos, terga illos dare compulit. *Ibidem.*

Occaſione ſimilitudinis è medicorum vſu prolatæ, nihil oberit hîc verſum vnum atque alterum eò ſpectantem apponere: iuxta illud, quod Seneca, in libro ad Albinam matrem de Cõſolatione: nihil eſſe in morbis magis periculoſum, quàm immaturam medicinam. Præcipit Plinius, cauendum ne in remedijs vitia fiant; quod euenit nimia aut intempeſtiua medicina. Optimum propterea (vt Cornelius Celſus ſcribit) medicamentum eſt, cibus opportunè datus; qui quando dari debeat, inter medicos non ſatis conſtat. Appoſitè itaque canit Ouidius, de medicina & vino: Medicina opportuna eſſe debet. *Seneca.*

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt
Et data non apto tempore vina nocent.

Vnde cùm Hippocrates in Aphoriſmis tũ Galenus docent, dolores oculorum vino meraco ſolui: quod ita interpretantur; *Galenus. li. 7. ſimpl.*

 ſi tem-

ſi tempeſtiuiter detur. Cuius rei obſeruationem probè callebat Æſclepiades, qui primus vino opitulari inuenit, dando ſcilicet κατὰ καιρόν, id eſt, in tempore.

Plutarch. in Rom. apophth.

Aſt vnum adhuc commemoremus, in quo temporis ratio maximè habita conſideratur. Poſt calamitatem illam, quam Romani apud Cannas acceperant, F. Maximus creatus Imperator cum Claudio Marcello viro audaci, ſemperque geſtiente cum Annibale confligere; Fabius potiùs ſpectabat, futurum, vt, ſi pugna abſtineret, Annibalis exercitus ductu temporis deficeret. Id ſentiens Annibal, dixit, ſe magis formidare Fabium à pugna quieſcentem, quàm Marcellum pugnantem. Nam quantum periculi Annibal, tantum lucri Fabius in mora poſitum æſtimabat.

III. Occaſio è rebus circumſtantijſque alijs capta.

Verùm nunc exemplis aliquot, rerum aliarumque circumſtantiarum occaſionem, ſimul tamen ſemper cum tempore obuenientem, animaduertamus. Publius Scipio in Hiſpania, cùm comperiſſet, Haſdrubalem Pœnorum ducem ieiuno exercitu manè in aciem deſcendiſſe; continuit in horam ſeptimam ſuos, quibus præceperat, vt quieſcerent & cibum caperent. Cumque hoſtes, inedia, ſiti, mora ſub armis, fatigati, repetere caſtra cœpiſſent; ſubitò copias eduxit, & commiſſo prælio vicit.

Sext. Iul. Stratagē. lib. 1. ca. 1.

Sabel. Ennead. lib. 6. cap. 4.

Audiamus & Mithridatis induſtriam, Occaſionis momenta librantem. Is ſiquidem cum inſtructis copijs aliquando in Bithyniam moturus, pro concione ſuos hortatus dicitur, vt forti alacrique animo nouum bellum ſecum capeſſerent, ad quod inuitus Romanorum ſuperbia & auaritia compelleretur; ſpem certam ſecum ferrent, id bellum, ſi vllum vnquam aliud, optatum exitum habiturum. Nobis florentiſſimæ, inquit, copiæ adſunt, & auxilia à gentibus inuictiſſimis; omnia ita inſtructa & parata, vt, ne Roma quidem incolumi, par eſſet nobis hoſtis futurus. Sed, præter cetera, OCCASIO, *omnium rerum gerendarum mater*, præſentem victoriam pollicetur, qua ne maiorem quidem auſus eſſet quiſquam à Dijs immortalibus implorare. Hactenus Mithridates.

Occaſionis encomium.

Ita

Ita & grauiſſimæ circumſtantiæ à ſcriptoribus notantur, quæ Alexandro occaſionem dederunt expeditionis in Aſiam. Sic quidam nominatim: Alexandro, quòd in Aſiam traiecerit, OCCASIO fuit, Philippi mors relinquentis bellicoſos exercitus, exhauſtamque cladibus Græciam: vt omnes eius populi, aut gratia, aut metu, cum Alexandro ſentirent. *Cardanus.*

Itaque, non velocitas ad arma, vel ferocia pectoris imperterriti, neque etiam cunctatio vel mora, ad rem per ſe ſola faciunt, vt belli domíve præclarè quidpiam geratur; ſed Dei nutu data comitataq; temporis opportunitas & occaſio, quæ ad faciendum vel non faciendum inuitent. Verùm ad exempla ſacra Occaſionis prudenter acceptæ ſe vertat ſtilus.

Schemat. 2. Cap. 7.

Sacris exemplis declaratur Occaſionis vtilitas.

NE quis autem ſolūmodo in rebus militaribus id locum habere exiſtimet, alîus quoq; generis exempla proponamus. Nam, vt initio diximus, vnumquemque, cuiuſcumque ſit ordinis, hæc cura concernit, vt occaſionem cordi habeat.

Iacob cum primis recenſeatur. Is ſiquidem occaſione habita, fratris ſui Eſau prouocatus ingluuie, ius primogenituræ (ſibi alioqui à Deo conſignatæ) acquiſiuit. Occaſione item arrepta, mater eius Rebecca, ipſi apud patrem morti vicinum, benedictionem procurauit. Audierat ſiquidem Iſaac dicentem Eſau, vt venatione aliquid captum adferret, acciperetq; nouiſſimam benedictionem. Vſa eſt prudens mater opportunitate in gratiam dilecti & à Deo electi filij Iacob, & ſucceſſit è voto. *Geneſ. 25. & 27.* Occaſionis vtilitas, exemplis oſtenditur.

Ioſeph, de neceſſitate virtutem faciens, occaſione venditionis ſui, oblatiſque ad eximia medijs opportunè vtens, Princeps Ægypti factus eſt, & ſaluator mundi publico triumpho proclamatus. *Geneſ. 39. 40. 41.*

Iacob pater eius, opportunitatē coemendi in Ægypto fru- *Geneſ. 42.*

menti

menti adeò non putauit negligẽdam, vt etiam filios ſuos eam ſegniùs obſeruantes, grauiter nec ſine expoſtulatione increparit. Sic habet hiſtoria : *Audiens autem Iacob, quòd alimenta venderentur in Aegypto, dixit filijs ſuis; Quare negligitis? Audiui quòd triticum venundetur in Aegypto: deſcendite & emite nobis neceſſaria, vt poßimus viuere, & non conſumamur inopia.* Sicq; famem vniuerſalem non modò mortemque euaſit, ſed hac occaſione & filium Ioſeph, quem à fera peſſima deuoratum credebat, viuentem triumphantemque inuenit; & ipſe cum tota ſua familia in Ægyptum commigrans, tam honorificè à rege eſt receptus, vt diceret ipſe rex Ioſepho; Geneſ. 47. *Terra Aegypti in conſpectu tuo eſt: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Geſſen.* Idque totum per occaſionem benè captatam.

Exod. 2. Moyſes occaſione opportunæ adaquationis gregis Iethro ſacerdotis Madian, gener eius factus eſt. Erant ei ſiquidem ſeptem filiæ, *quæ venerant ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui. Superuenere paſtores, & eiecerunt eas: ſurrexitq; Moyſes, & defenſis puellis, adaquauit oues earum.* Et quemadmodum occaſionem fugiendi ex Ægypto arripuerat, eò quòd Pharao illum quærebat occidere; ita benè merendi de filiabus Iethro occaſionem non negligens, apud illum inuenit gratiam, quam apud regem amiſerat.

Vrgente quoque famis neceſſitate ſimilem cum prædictis Ruth 1. patriarchis occaſionem arripiens Noëmi, cum Ruth nuru ſua, Bethlehem eſt reuerſa: audierat enim quòd reſpexiſſet Dominus populum ſuum, & dediſſet eis eſcas. Oblatam à Deo occaſionem amplectens, & communi Bethlehemiticarum matronarum acclamatione, dicentium, *Hæc eſt illa Noëmi*, gratanter excepta eſt, & nurus eius Ruth, opportunæ quoque occaſionis vſa ſuffragio, vxor magni illius Booz, & Dauidis abauia facta eſt, atque in rectam genealogiæ noſtri Saluatoris ſeriem regeſta. Vt verè de ipſius felici fecunditate Ruth 4. dicerent mulieres, ſocrui eius Noëmi congratulantes; *Benedictus Dominus, qui non eſt paſſus, vt deficeret ſucceſſor familiæ tuæ,*

dictus Dominus, qui non eſt paſſus, vt deficeret ſucceſſor familiæ tuæ, & vocaretur nomen eius in Iſrael. Et habeas qui conſoletur animam tuam, & enutriat ſenectutem. De nuru enim tua natus eſt qui te diliget, & multo tibi melior eſt, quàm ſi ſeptem haberes filios.

Quæ omnia non obſcurè gratiam illam & benedictionem ſubindicant, quodamque præconio vaticinantur, quam per Chriſtum filium Dauidis accepimus. Illuſtriuſque idipſum præſagire ſunt viſi, viri iudices, dum ipſam Ruth Booz vt proximo vxorem traderent, dicentes; *Faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel & Liam, quæ ædificauerunt domum Iſrael; vt ſit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem.* Tanti referebat iuſta Occaſionis pretia benè æſtimaſſe. Quàm celebre nacta ſit nomen in Bethlehem & Eccleſia Dei hæc ſancta familia, ex radice Ieſſe ſuccreſcens, nemini non manifeſtum eſt, niſi, cui fortè nomen ignotum eſt proprium.

At quia plurima ſequentium ſchematum occaſione, de Occaſione diligenter captanda, neceſſe erit exempla producere, hîc pluribus afferendis ſuperſedebimus.

Verumtamen, quis non videat, neque iter, neque ædificationem, neque ſationem, nec meſſem, neque bellum, neque coniugium, neque negociationem, neque adeò opus vllum, vllúmve virtutis alicuius exercitium rectè inſtitui, niſi data à Deo acceptaque bona id peragendi opportunitate? Adeò per omnia viuit vigetque *Occaſio*: quod ſequenti Capite clariùs oſtendetur.

Schemat. 2. Cap. 8.

Admiranda OCCASIONIS *energia & vis, varijs argumentis demonſtratur.*

Occaſionis variæ efficacia.

TANTAM diuinitus vim atque energiam habet opportunitas, vt rectè dicat Menander; Occaſionem nactus pauper, poteſt multum. Exemplo vnico (quod plurium memoriam, ſcio, inter legendum refricabit) id ex ſacra Scriptura declaremus. *Ciuitas parua* (inquit Eccleſiaſtes) *& pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallauit eam, exſtruxítque munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidio. Inuentúſque eſt in ea vir pauper & ſapiens, & liberauit vrbem per ſapientiam ſuam.* Occaſione ſcilicet per neceſſitatem oblata, vtendi ſapientia, quæ alioqui latebat vt inutilis. Neque propoſito noſtro quidquam obſtat, quod ibidem ſequitur; *& nullus deinceps recordatus eſt hominis illius pauperis*: quia inter negligentes occaſionem, maliq́ue eius æſtimatores illi cenſendi ſunt; quos æquè in hoc genere deteſtamur, atque ſtudioſos opportunitatis ſectatores commendamus. Tametſi id non rarò accidat, vt in ſumma quoque rerum, ſplendidi nonnumquam buccinatores plus gratiæ & laudis conſequi videantur, cùm nihil rei conferant; quàm qui ſapientia ſua & in rei veritate magna præſtent; attamen pauperes ſint & humili ſorte contenti. Neglecto illi pauperculo patriæ ſuæ liberatori, ceteriſque ſimilibus, quorum tamen tam opportuna eſt in extrema calamitate prudentia, illud libri Iob quadrat; *Lampas contemta apud cogitationes diuitum; parata ad tempus ſtatutum.* Non enim eſt diuitum, potentum, magnorum, ſuperborumq́ue, opportunitatem occaſionis captare, datamq; arripere; niſi ſimul vel ipſi ſapientes exiſtant, vel credant ſapientibus, tametſi pauperibus, & ſecundùm vanam ſeculi æſtimationem abiectis.

Menand. — *Eccleſ. 9.* — Sapientis tametſi pauperis præſtantia. — Ingratitudo. — *Iob 12.* — Lampas contemta.

Propterea

Propterea quoque Sapiens, poſtquam cum admiratione & indignatione dixiſſet, tam contra fas & meritum, ſapientiam pauperis fuiſſe contemtam; addidit; *Melior eſt ſapientia quàm arma bellica.* Arma togę cedunt.

Hinc paulò antè memoratus Menander, dignas ſe, plures adhuc de Occaſione, nobis accommodas valde, profert ſententias. Multos (inquit) OCCASIO viros non exiſtentes, facit. Iſtud ſacra hiſtoria de Barac teſtatum reddit: qui, quoad ſe, tam erat formidoloſus ad ſuſcipiendam populi ſui ab hoſte vindicandi prouinciam, vt reſponderet Deboræ prophetiſſæ, id muneris ipſi Dei iuſſu deferenti; *Si veneris mecum, vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Quid obſecro viri in hoc pluſquam femineo reſponſo relucet? Dixitque ei Debora viriliter verè, vt ſorte iam verſa oportebat; *Ibo quidem tecum; ſed in hac vice, victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara.* Vir tamen ex non viro tali occaſione factus eſt; nam fortem ſe ſtrenuumque ducem in hoſte perſequendo fugandoque declarauit.

Menand. — *Iudic.* 4. — Virum facit occaſio. — Deborę virilis animus.

Ita & Philiſthæi, cùm propter Arcæ ſanctæ in Iſraelitica caſtra aduectæ præſentiam, pluſquam ſemiuiri eſſent effecti; occaſione neceſſitatis qua premebantur, viri ſunt facti, victoriamque reportarunt: Deo ſcilicet taliter populi ſui peccata puniente. Sic habet hiſtoria: *Cognouerunt Philiſthijm, quòd Arca Domini veniſſet in caſtra. Timuerúntque, dicentes; Venit Deus in caſtra. Et ingemuerunt, dicentes; Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri & nudiuſtertius; væ nobis. Quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? hi ſunt Dij qui percuſſerunt Aegyptum omni plaga, in deſerto.* Hiſce communi lamento prolatis, animo quaſi planè præ metu conſternato, repentè, captata veluti occaſione ex ipſius mali præſentia eos perurgente, aſſurgunt in viros, ſeſeque mutuò animantes, ita loquuntur; *Confortamini, & eſtote viri, Philiſthijm; ne ſeruiatis Hebræis, ſicut & illi ſeruierunt nobis: confortamini & bellate. Pugnauerunt ergo Philiſthijm, & cæſus eſt Iſrael, & fugit vnuſquiſque in tabernaculum ſuum: & facta eſt plaga magna nimis: & ceciderunt de Iſrael*

1. *Reg.* 4. — Arcæ ſanctæ præſtantia. — In ſpem ex deſperatione aſſurgere.

triginta millia peditum. Et arca Dei capta eſt.

Menand. Menandri quoque illa eſt veteribus celebrata ſententia: Celerrimè Occaſio permutat res. Prolatum iam nunc exemplum id clarum facit, nam per occaſionem, vtrobiq; res planè in contrarium permutatæ fuerunt. Quis ſimiliter iſtud non conſideret, in admiranda illa rerum permutatione, quando tota Iudæorum gens, crudelis Amani ſuperbiâ addicta ſupplicio, re in melius conuerſa, Iudæi de ſuis hoſtibus ſumſere vindictam; tot publico regis mandato internecioni traditis, quot vellent, ex ijs qui ipſis moliebantur exitium.

Mutatio rerum ſubita per occaſionem.

Aman in propriam actus eſt crucem, quam Mardochæo pararat: &, vertente calculum *Occaſione*, Mardochæus purpura indutus, aureaque corona redimitus, Princeps palatij eſt declaratus.

Si quis fortè manubrium noſſe velit, quo veluti circumducto, totam rerum currentium rotam ſic inuertit Occaſio, partem hiſtoriæ ipſius, obtutu ſolo conſignemus. Eſther totam Amani machinationem, ipſo accumbente, paucis ſed efficacibus verbis, in menſa Regi detexit. Rex verò ſceleſtum facinus obſtupeſcens, in hortum abijt meditabundus: reuerſuſq; tandem ad locum conuiuij, reperit Aman ſuper lectulum corruiſſe, in quo iacebat Eſther, (rogabat ſiquidem illam miſer pro anima ſua) Rex verò rem aliter interpretatus, ait; *Etiam Reginam vult opprimere, me præſente, in domo mea?* Hac occaſione, res omnes quàm celerrimo motu ſunt in contrarium prorſus commutatæ: indeque omnis iam dicta viciſſitudo eſt conſecuta.

Eſther 7.

Menand. Eſt inſuper & illud Menandri dictum: Quàm magnum paruum eſt, in tempore datum! Docet id nos quotidiana experientia. Sic legimus variorum Regnorum principibus nonnumquam rapam, raphanum, caſeolum, ruſticanum prandiolum, & ſimilia inemta & in manu naſcentia, tempori oblata, magno fuiſſe in pretio.

Magnum paruum.

Æliã. var. hiſt. lib. 1. Ita qui Artaxerxi obequitanti, hauſtam ambabus manibus è proximo Cyro flumine aquam obtulit. Sic & qui malum punicum eidem in vanno præſentauit. Et quia quod

Rex

Rex præ admiratione reſpondit, huic noſtræ ſententiæ eſt accommodiſſimum, verbis auctoris id audiamus. Rex magnitudinem mali punici admiratus, interrogauit, è quónam horto depromtum hoc donum mihi adfers? Illo verò reſpondente, domo ſua & ex ſuis agris: gauiſus rex ſupra modum, miſſis regijs muneribus virum ornauit, &, Per ſolem (inquit) iſte homo tali curatione & diligentia, poterit etiam ciuitatem, meo quidem iudicio, ex parua ampliorem facere.

Quanti momenti fuit, puellulæ illius Hebrææ à Syris captæ conſilium, quo & Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, à lepra curatus eſt; & per illum (teſte ſacra pagina) dedit Dominus ſalutem Syriæ! Erat iſta in obſequio vxoris Naaman, quæ videns quotidianam ob contagij illius tædium afflictionem & miſeriam, ait dominæ ſuæ; *Vtinam fuiſſet dominus meus ad Prophetam, qui eſt in Samaria: profectò curaſſet eum à lepra.* Videtur innuere, dominum ipſius à quo captiua ducta eſſet in Samaria quidem fuiſſe, ſed non arripuiſſe occaſionem ſe in illa regione offerentem, Deo ſcilicet per Prophetam largiente ſanitatem, & ſtupenda operantem. Nunc autem ipſa id referente, Naaman rem iſtā tali occaſione oblatam cordi accipiens, litteris à rege ob id exhilarato acceptis, profectus eſt, & inſperatam hactenus incolumitatem acquiſiuit. Quanti facienda fuerit occaſionis vbertas, primo licet ortu in puella deſpicabilis, ex eo colligi poteſt, quod initio hiſtoriæ ponitur, hiſce verbis; *Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominū ſuum, & honoratus; per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ; erat autem vir fortis, & diues: ſed leproſus.* ac ſi dicat, ex omni ferè parte beatus erat, malo illo vnico excepto: quo per hanc occaſionem ſublato, quis credat quantum beneficium ipſi acceſſerit? Sed aliud nunc proferendum in medium; ex quo ſimiliter conſtabit Menandri præmiſſa ſententia, Magnum paruum eſt, in tempore datum.

4. Reg. 5.

Puellæ cōſilium ſalutare.

4. Reg. 5.

Agrippa magnus rex Iudæorum, cùm in priuata fortuna Romæ eſſet, & eum propter falſas ſuſpiciones Tiberius catenis ante palatium ad arborem vinciri iuſſiſſet, vt inde in carcerem duceretur; in eo loco propter ſolis ardorem, ani-

Ioſeph. lib. 18. Antiq. Iud.

Fulgoſ. lib. 5. cap. 2.

miq́; moleſtiam, magna ſiti torquebatur. Eà cùm prætereuntem Thaumaſtum vidiſſet Caij ſeruum, aquæ prægelidæ vas ferentem, orauit vt bibere ſe ſineret. Quod ille cùm amanter feciſſet, dixit Agrippa, ſe pro ipſa re gratiam aliquando ei relaturum. Haud multò pòſt igitur Tiberio Caius in principatu ſucceſſit, à quo Agrippa, qui in eius contemtum captus fuerat, liberatus, atq; in Iudæa rex conſtitutus fuit: qui tunc à Caio impetrauit, vt eius precibus Thaumaſtus liberaretur (à ſeruitute videlicet.) Itaq; poſteà ſuorum numero acceptum, regni procuratòrem fecit; morienſque teſtamento ſanxit, vt vxor ac liberi eodem apud ſe loco Thaumaſtum retinerent. En tibi, hauſtus frigidæ, ex ſeruo, Regni fecit adminiſtratorem, occaſionis induſtriâ, ex minimis maxima producente. Sed admiratione maiore dignum eſt, quòd in diebus iſtis ſalutis ac tempore acceptabili, hauſtus ſeu ſcyphus aquæ frigidæ oppòrtunè porrectus, cælo compenſandus venit: tanti eſt, occaſionis præſtantiam in re etiam minima benè obſeruaſſe.

Aquæ hauſtus opportunè datus, quantę efficaciæ.

Matth. 10.

Verùm quid oberit, niſi fortè Lectorem grauet, mirandum illud occaſionis exemplum adiungere, quo Samaritana ciuitas arctiſſima illa obſidione ſoluta eſt?

Quis non ſuſpiciat felicem illum miſerandæ ciuitatis euentum quatuor leproſorum, inediæ quam patiebâtur, occaſione obortum? Dum ſiquidẽ in vniuerſum omnes in extrema per hoſtilem obſidionem neceſſitate verſarentur, ipſique extra mœnia degentes fame tantumnon enecti, potiùs ſibi ſtipis conquirendæ gratiâ in hoſtium caſtra concedendum iudicarent, quàm certæ per inediam morti occumbendum: effeciſſe videtur Deus *occaſione* ſtrepitus pedum iſtorum, vt ſonitus in caſtris videretur audiri curruum, equorum, & exercitus plurimi) iuxta verbum Domini; *Terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient quaſi gladium*) ſic vt ad vnũ omnes fugâ ſibi conſuluerint, liberata ſit ciuitas ſtrictiſſima illa obſidione, ditatiq́; ſpolijs ciues, & magna Domini manus in opportunitatibus adiuuantis mirificè ſublimata. Sed, quoad diuinæ gratiæ, Angeli tutelaris, temporis, occaſioniſq́; opportunitatẽ non negligendam, vitãdamq́; diaboli molitionem, hæc dicta ſufficiant.

Obſidionis ſolutio admiranda.

4. *Reg.* 7.

Leuit. 26.

ORA-

ORATIO II.

Ad declinandas Diaboli inſidias, & Angelico præſidio inuigilandum.

DEus, noſtrarum amator animarum, qui tantam erga nos ab initio ortus noſtri dilectionem declaraſti, vt & diuinæ tuæ gratiæ nos munimine obumbrares, & Angelicâ præmunires cuſtodiâ: illumina intellectum noſtrum, & conforta voluntatem, vt ne gratiam tuam in vacuum accipiamus; ſed tam vigili ſtudio, gratiæ, temporis, & occaſionis beneficijs vtamur, vt & diaboli inſidias ſuperare, & per Angeli tui ſancti præſidia, cæleſtibus donis gaudere valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.





A. *Effluat in riſum* TEMPVS: *quid rectius iſtam*
Ætatem deceat, quam ludere, quamque iocari?
B. *Dum ver molle ſinit, rapiat ſua quemq; voluptas.*
C. *Vnam de multis mihi ſit fas vellere pennam*
Geſtamen capiti. D. *Non pluma hac aptior vlla.*
E. *Hem, quæ ſphera! polo ſubdam caput. En, nouus Atlas.*
F. *Aſt ego ſubſiliens equitabo in arundine longa.*
G. *Quam pellucidulo placet hæc mihi clepſydra vitro!*
A. *Sic decet, et fas eſt: ſic præſens exigit ætas.*
B. *Seria ſint ſenibus, pueris ioci et ocia curæ.*

Schematis 3. explicatio;

Quo fatui inſtinctu Satanæ turpiter Tempus terunt.

Schemat. 3. Cap. 1.

Improbum diaboli ſtudium, vt Temporis ratio negligatur.

ARGVMENTVM (inquit Plato) ſtultitiæ eſt, à ſapientibus diſſentire. Quæ ſiquidem maior inſania, quàm ſpontaneam temporis iacturam facere, quod apud ſapientiſſimum quemque in maximo ſemper pretio fuiſſe, eſt manifeſtum? En, quid agant in hoc ſchemate vecordes iſti adoleſcentuli. Hoc agunt nimirum, quod eiuſmodi iniqui rerum æſtimatores, non minùs ſtultè quàm impiè ſolent verbis exprimere: Oportet (inquiunt) fallere tempus; teramus tempus fabulis, luſibus, inambulationibus (vt deteriora ſilentio premam) horæ nobis videbuntur breuiores, ſicque tollemus tædium.

Plato. Tempus pretioſiſſimum. Tempus fallentium inſania.

A Meritò profectò mali tanti diabolus incentor appingitur; vt quod alioqui numquam in hominem ſibi præſentem caderet. Quis enim, niſi à cacodæmone dementatus, ſolem ſolo premat, cœnóve demergat? quis pretioſas conculcet margaritas, balſamum in lutum effundat, roſas ſpargat ante porcos, atque vnde mortalium vita dependet, id vilem vt algam abijciat?

Quid namque hîc aliud dæmones ad TEMPVS perdendum, tamque pretioſum theſaurum dilapidandum, adducunt in medium, quàm quòd eodem ſatanæ fuco pellecti iuuenes, à

Iuuentutis lubricitas.

ſacra nobis ſcriptura ingeminare perhibentur? Quod, quia ſpectaculi cuiuſdam loco futurum eſt huic ſchemati ſubſeruiens, non pigebit apponere. Sic inquit Sapiens; *Dixerunt cogitantes apud ſe, non rectè,* (ſuggerente ſcilicet ſpiritu nequam omnis recti oſore) *Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & nō eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tamquam non fuerimus: quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris: & ſermo ſcintillæ, ad commouendum cor noſtrum: quia exſtinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur, tamquam mollis aer; & tranſibit vita noſtra tamquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radijs ſolis, & à calore illius aggrauata: & nomen noſtrum obliuionem accipiet per tempus; & nemo memoriam habebit operum noſtrorum. Vmbræ enim tranſitus eſt* TEMPVS *noſtrum, & non reuerſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo reuertitur.* Hucuſque quaſi iactum fundamentum perdendi & inutiliter tranſigendi temporis, immo in voluptatibus conſumendi, vt ex ſequentibus audiemus. Pergunt itaque in ſua inſipienti ratiocinatione. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo veſtrûm exſors ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna luxuriæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Hucuſque frugiperdarum concio. Idque eſt totum, quod vno verſu in icone dicit minor diabolus;

Sap. 2.

Dum ver molle ſinit, rapiat ſua quemque voluptas. B

Polemon vt repentè mutatus. *Val. Max. lib. 6. cap. vlt.*

Si iam perſonatè magis ad viuum iſtud expreſſum intueri eſt animus; Polemonem nobis ob oculos ſtatuamus, de quo ſic Maximus Valerius. Perditæ luxuriæ Athenis adoleſcens Polemon, neque illecebris eius tantummodo, ſed etiam infamia gaudens, cùm è conuiuio, non poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum, ſurrexiſſet, domumq; rediens, Xenocratis Philoſophi patentem ianuam vidiſſet, vino grauis, vnguentis delibutus, ſertis

ſertis capite redimito, perlucida veſte amictus, refertam turba Doctorum hominum ſcholam eius intrauit: nec contentus tam deformi introitu, conſedit etiam, vt clariſſimum eloquium, & prudentiſſima præcepta, temulentiæ laſciuijs eleuaret: orta deinde, vt par erat, omnium indignatione, Xenocrates vultum in eodem habitu continuit, omiſſaque re quam diſſerebat, de modeſtia ac temperantia loqui cœpit. Cuius grauitate ſermonis reſipiſcere coactus Polemon, primùm coronam capite detractam proiecit; paulò pòſt, brachium intra pallium reduxit; procedente tempore, oris conuiuialis hilaritatem depoſuit; ad vltimum, totam luxuriam exuit, vniuſq; orationis ſaluberrima medicina ſanatus, ex infami ganeone maximus Philoſophus euaſit. Peregrinatus eſt eius animus in nequitia, non habitauit. At vtinam, ſicut eum imitantur in malo quamplurimi, ita in bono reſpondeant. Sed nunc peculiariùs actus ſingulorum in ſchemate expreſſos explicemus.

Schemat. 3. Cap. 2.

TEMPORIS *ſymbola atque inſtrumenta, in riſum vertuntur ab imprudentibus.*

MAgnum videtur (ſed immeritò) apud adoleſcentes habere momentum, ad tempus nugis & voluptatibus terendum, quòd ætas illa non tantùm id permittere videatur, verumetiam poſtulare. Hinc quaſi in proſcenium introducti ſunt, tempori illudentes, & quæcumque ad tempus pertinent ad ſuam voluptatem explendam rapientes. Vnus pennam alæ eius euellit, geſtamen capiti: eos hoc facto ſignificans, qui ſibi gloriæ inſuper aliquid ex eo decerpunt, quòd partem aliquam temporis, iocis ſuis luſibuſque conſumſerint. Alius non minùs ſibi bellus videtur, quòd fabulando, & ineptijs recenſendis tædium alijs ſcilicet ſuſtulerit. Tertius ſphæram capiti ſuo imponens, & quaſi ſub pondere incuruatus, ſe nouum Atlanta per iocum exclamat: eos cum primis tali luſu deſignans,

Adoleſcentiæ imprudentiâ.

C D E

gnans, qui ſiderum cæleſtiumque corporum motus ac reuolutiones accuratiſſimè obſeruare videntur, in eoque toti eſſe; & interim exſiccandis cantharis curandæque cuticulæ vacantes, vix punctum temporis ad frugem & æternitatis compendium impendunt. Alius ab illo, falce tempori erepta, puerili more, in arundine longa obequitat; neque tantillum ſapit, vt caueat, ne (vt pueri terreri ſolent) à roſtro ferrato mordeatur. F

Vitæ longioris ſpes fallax.

Non ineptè illos hic referat, qui, cùm tempus cuique ſit breuiſſimum, ac momenti punctique inſtar, propter vitæ incertitudinem, mortis fortaſſe falce mox demetendæ, longum ſibi tamen præſumta temeritate pollicentur. Non tam, vt dixi, ferri aciem metuentes, quàm in haſtilis ſibi longitudine complacentes. Nihil, inquam, falcem carménve illud veriti:

Rumpe moras, volucri mors aduolat improba curru,
Multa furens, iaculis horrida, falce minax.

Hoc in luſu ſe eiuſmodi homines tam ſecurè oblectare ſolent, atque ſi ſtamina vitalis coli forent intermina, cùm Parcæ ſingulis momentis ea minentur abrumpere. Hunc in finem viri cuiuſdam doctiſſimi epigramma ſubijciendum putaui, quod rei præſenti eſſet accommodatiſſimum.

Mortis meditatio.

Mors alata volat, breuis æui ſcribitur hora;
Rareſcuntque meæ ſtamina ducta coli.
Vt reſtent; perſæpe tamen data penſa momordit
Atropos. Inſidæ fidere nolo colo.
Fortè mihi centum vix reſtant ſtaminis vlnæ;
Et detexo, velut millia dena forent.
Nudos ergo breui Lacheſis trahet incita fuſos:
Dumque nihil Parcæ liquero; dicet, Obt.

Iſa. 38.

Hoc ipſum rex Ezechias conſiderans, inquit, *Præciſa eſt velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me; de mane vſque ad veſperam finies me.* Neque ignorauit id Cicero. Quis eſt, inquit, quamuis ſit adoleſcens, qui exploratum habeat, ſe ad veſperum eſſe victurum? Punctum eſt, quod viuimus, inquit Seneca, & adhuc puncto minus. Etiamſi multum ſupereſſet ætatis, parcè diſpenſandum erat, vt ſufficeret neceſſarijs. Quæ quotque ſint tum corpori tum præ-

Cicer. Philipp. 11.

Seneca.

ſertim

ſertim animæ neceſſaria, docet nos quotidianus vſus; qui non exiguam diei partem, etiam nobis nolentibus, ſibi iure ſuo vendicat.

G Poſtremò, quintus ex his imprudentibus adoleſcentulis, clepſydram è manibus TEMPORI euulſam in riſum vertit; eâ luſitans, vt ſolent pueri è conchæ teſta bulloſos orbes flando excitare. Eiuſmodi hominum genus ille ſuo facto demonſtrat, qui vanitati operam dantes, nihil vmquam ſolidi meditantur; ſed totum tempus ſuum, honoribus, diuitijs, & vanis mundi cupiditatibus inſumunt: idque tam auidè, atque ſi vno non contenti mundo, plures ſibi conentur effingere. Ita Alexander Macedo, cùm audiſſet Anaxarchum de mundorum infinitate diſſerentem, illacrymatus eſt: rogatuſque ab amicis, quam ob cauſam ad lacrymas moueretur? An non, inquit, dignum eſt flere, quum infiniti ſint mundi; ego verò dominus vnius vix factus ſim?

Mundi amatores vani.

Bruſonius lib. 1. ca. 1.

Interim non cogitant miſeri, dum præſentis temporis rationem non habent ad ſolidam ſalutis acquiſitionem, ſe illorum more deſipere, qui tempore fori ſeu nundinarum, ſpretâ ſeriâ negociatione, qua ingentem lucri vim accumulare poſſint, nænijs, ioculatorijs, & crepundijs pluſquam infantilibus ſpectandis oblectantur; ſtatis verò mercimonij diebus expletis, inani ſe eſſe marſupio demirati.

Simile à foro & nundinis.

Similes item ſunt omnes iſti horiperdæ, illis qui è naui egreſſi ad cibaria aliaque vitæ neceſſaria coëmenda, vanis ſe interim oblectamentis in via, pictíſve in prato floribus, vel inſanis in triuio lurconum ſaltationibus oblectando, nec ſoluturæ citò nauis, neque rerum neceſſariarum, ob quas venerant, importandarum meminerint: ſeque tandem omnibus deſtitutos, in regione longinqua ignotoque ſolo derelictos animaduertunt.

Imprudentes.

Mirabuntur aliquando tam maleſani temporis æſtimatores, dum tempus mercandi merendique tranſierit, mœrendi dolendiq; tempus eos repentè correpturum: dum mors fluxæ huius nauis funem præſcindet, eundumq; fuiſſet eò, vbi cibo qui non perit æternùm viuere oportebat; eheu! nihil tale opi-

Mercatores imperiti peccatores.

Eccleſ.14. *Pſalm.48.* *Marc.9.* pantes videbunt ſe in profundum præcipitari ad inferos, *vbi non eſt inuenire cibum*; at econtrà aſſiduè mors depaſcet miſeros, rodetque eos vermis qui non moritur.

Laërtius. Appoſitè propterea Laërtius, de Zenone Cittico Philoſopho. Aiebat (inquit) hominibus nihil magis deeſſe quàm tempus: longè diſſentiens ab ijs, qui bonam vitæ partem perdunt ſomno, temulentia, nugis, & alea; quaſi multum temporis ſuperſit homini. Aiebat idem, nullius rei tanta nos penuria laborare, quàm temporis. Plinius maior. Hinc Plinius maior, temporis trutinator ſeueriſſimus, cùm nepotem ſuum ambulantem videret, obiurgauit; poteras (inquit) has horas non perdere. Democr. Iuſto igitur pretio Democritus Mileſius rem tantam æſtimabat, cùm diceret, Pretioſiſſimum impedium eſſe tempus. Vt autem exemplo quodam id reddamus illuſtrius, Plutarchum de Sertorio narrantem audiamus.

Plutarchus in Sertorio. Sertorius Proconſul & dux Romani exercitus, cùm tranſitum à Barbaris pecunia redimeret, à ſuiſque ob id malè audiret, quaſi tributum darent Romani Barbaris, TEMPVS ſe redimere dixit, quo nihil carius eſſe conſueuerit magnarum auidis rerum viris.

Seneca lib.9. epiſt. Rectè itaque ad Lucilium Seneca: Ita fac ergo, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus (quod adhuc aut auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat) collige & ſerua. Quem enim mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? Ita Seneca. Sed ad ſacra transferamur.

Schemat. 3. Cap. 3.

Pretioſiſſimum cum ſit Tempus, maximam eius habendam rationem.

Temporis æſtimatio. QVemadmodum, iuxta fidei noſtræ lumen, longè melior eſſe debet apud Chriſtianos temporis æſtimatio, quàm apud quoſcumq; profanos ſapientes, qui rem iſtam grandem

ſolo

ſolo rationis modiolo metiuntur; ita pluris ſemper facienda eſt, de valore temporis ſacrorum ſcriptorum auctoritas.

Quare, vnum hîc Bernardum, quaſi ex ceterorum loquentem ſententia, producamus in medium. Nihil, inquit, pretioſius tempore: & heu! Nihil hodie eo vilius inuenitur. Tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat. Nemo ſibi perire diem & numquam rediturum cauſatur: ſed, ſicut capillus de capite, ſic nec momentum peribit de tempore. *Bernard. ſerm. ad ſchol.*

Hinc idem eodem ſermone ſeriò ſcholares admonet, vt tanti pretij pignus prudenter expendant. Nemo, inquit, veſtrûm parui æſtimet tempus, quod in verbis conſumitur otioſis. Volat verbum irreuocabile, volat tempus irremediabile; nec aduertit inſipiens, quid amittat. Licet fabulari, (dicunt) donec hora prætereat. O, donec prætereat hora! quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miſeratio conditoris indulſerat. O, donec tranſeat tempus! quo diuinam propitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam ſocietatem, ſuſpirare ad amiſſam hæreditatem, excitare remiſſam voluntatem, flere commiſſam iniquitatem. Hucuſque S. Bernardus, parſimoniæ temporis zelator ſingularis. Scholariũ admonitio.

At, cum bona Lectoris pace, hîc quaſi per tranſennam meminiſſe non pigeat, dicti illius celeberrimi, quod Titus Veſpaſianus in cœna aliquando dicitur protuliſſe: quum ſiquidem illi in mentem veniret, ſe illo die nihil cuiquam beneficij fuiſſe largitum, O amici, inquit, diem perdidi. Huic omnino quadrat, quod Pictorius verſu quodam ad amicum ſcribebat. Tit. Veſpaſ.

Quo te cumq; die nil ſancti egiſſe videbis;
Hunc tibi, Laurenti, deperijſſe puta.
Iſta nec in minimis ponas diſpendia damnis:
Aere poteſt nullo vel breue tempus emi. *Pictorius ad Laurent.*

Sed ad ſanctum noſtrum redeamus, conſilio eius & dictis, conſilium dictumque Sapientis accommodando, quo ita omnem hominem Chriſto vt amico fide obſtrictum commonebat: *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud* *Prou. 6.*

extra-

extraneum manum tuam; illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs ſermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipſum libera; quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculus tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis. Ita Sapiens: nihil ſpatij concedens, quod cum exacta ratione non conueniat; vt, cùm exiget is cui fidem dedimus & animam debemus, bonam illi dati acceptique reddamus rationem, fidémque noſtram liberemus. Torpentem proinde, & à tam ſalutari neceſſarioque ceſſantem officio, duriter verbis ſequentibus exagitat; *Vade ad formicam piger.* Si ita pigri inutileſque temporis diſpenſatores increpantur, quomodo excipiendi erunt diſſipatores? Et verè increpationem merentur acerbiſſimam, qui nihil minùs cogitantes, quàm in quo ſint ſtatu, quàm tenui è pilo pendeat ipſorum ſalus, delicijs interim & iocis, & meris vacant inſanijs: non maiorem habentes temporis rationem, quàm ſi ad ipſorum
Ioſ.10. nutum, vt olim ad imperium Ioſue, ſol ſtare cogatur, quandocumque voluerint; nec vel tantillum eis ſit metuendum, quid ſerus veſper vehat.

Horarum vſus. Dicere ſolent propterea iſtiuſmodi temporis decoctores; vt quid anxiè curemus horulas? non nos ipſis, ſed ipſæ nobis factæ ſunt: quaſi verò idcircò tempus in horas diſtinctum ſit, non vt exacta eius habeatur ratio, ſed vt pro libidine bonæ horæ conſumantur.

Hanc oſcitantiam, intolerandamque inconſiderationem diſertè deſcribit Bernardus; in ſe (ad maiorem motum) tam
Bernard. ſerm. 3. in nat. Do. triſtem transfigurans fabulam. Ludebam, inquit, ego foris in platea; & in ſecreto regalis cubiculi ſuper me ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc vnigenitus eius; exijt poſito diademate, ſacco veſtitus, aſperſus cinere caput, nudis pedibus, flens & eiulans, quòd morte damnatus eſſet eius ſeruulus (ego nempe.) Intueor eum ſubitò procedentem; ſtupeo nouitatem, cauſam percontor, & audio. Quid facturus ſum? Adhúcne ludam, & deludam lacrymas eius? Planè, ſi inſanus ſum & mentis inops, non ſequar eum, nec ſimul cum lugente

gente lugebo. Ecce, vnde pudor. Hactenus Bernardus. Hinc ille, cuius ſuperiori capite Octaſtichon de morte propoſui, ſe taliter exſtimulabat:

Quin operor? ſegnis tunicata quid otia ſector?
Fortè breui nuda flebilis abdar humo.

Quàm exiguam habeant temporis benè merendi rationem, qui ſic viuunt, neque vllis mouentur modis ad ſeria; res ipſa teſtatur: in ludum eis vertuntur omnia, more inſenſatorum. Ita Canius Iulius, Philoſophus alioqui grauis, cùm diu cum Caio Cæſare altercatus eſſet, mori ab eo eſt iuſſus. Cùm verò ad necem vocaretur, latrunculis ludebat (Scachiæ ludus notus eſt.) Tum numeratis calculis, ſodali inquit: Vide, ne poſt mortem meam mentiaris te viciſſe: & ſimul Centurioni annuens; Teſtis, inquit, mihi eris, vno me antecedere. Ceruicem inde percuſſori præbuit intrepidè. *Seneca.* Latrunculorum ludus.

Ita Ptolomæus Ægypti rex teſſeris ludens ſontes condemnabat. Berenice vxor eius, accepto libello è pueri manibus, non permiſit vt ad finem vſque legeretur: dicens, non ſic obiter aduertendum eſſe, cùm de hominis ſalute quæritur, ſed altiùs cogitandum, & relinquenda ludicra. Non enim ſimilem eſſe caſum teſſerarum & corporum. His auditis delectatum Ptolomæum ferunt, neq; poſteà vmquam inter ludendum de capitalibus cauſis audiuiſſe. Concludamus itaque hoc caput illa Senecæ ſententia: Non tam benignum ac liberale natura nobis Tempvs dedit, vt aliquid ex illo vacet perdere. *Ælian. var. hiſt. lib. 14. cap. 43.* Teſſerarū ludus. *Seneca epi. 118.*

Schemat. 3. Cap. 4.

Exactis calculis oſtenditur, quanti ſit momenti, compendium & diſpendium temporis.

PОrrò, vt adhuc euidentiùs tantam inæſtimati temporis iacturam, eamque irreparabilem, graphicè commonſtremus; cogitemus, non iam ſolùm (vt ex Bernardo didicimus)

Morti proximo, quæ mens: quæ temporis ratio.

mortis ſententiam in nos latam, regiſque filium habitu ſeruili pro nobis exeuntem, deflentem noſtram infelicitatem, paratumque mori pro nobis; verumetiam, ſi placet, nos ipſos ad ſupplicium duci, omnemque toto oppido concurrere populum, ad tam triſte ſpectaculum. Nónne extremæ eſſet dementiæ, ridere, iocari, nugis & mundi vanitatibus oblectari, ſaltitare, geſtire, & ludicra quæque exercere per viam?

Tempus quod reliquum eſt, mœrorem, meditationem mortis, conſcientiæ examen & purgationem, ſalutem animæ, & totius vitæ præteritæ bono fine iam iam claudendæ ſeriam recordationem iure ſuo indubiè depoſcit. Et ſanus ſit, qui hoc ipſum, partémve ipſius minimam fallere, perdere, vel terere non horreſcat?

Vita via ad mortem.

Quis enim neſciat, vitam hanc viam eſſe ad mortem? ſi paulò diutiùs alijs vitam trahis, productiorem tantùm tibi eſſe ad mortem viam debes æſtimare. An, quia reorum aliqui foras ad locum ſupplicij extra portas ciuitatis deducuntur, minùs de morte ac præſenti illo tempore benè collocandò cogitare debent, quàm qui intra mœnia, in ipſo fortè foro, plectendi ſunt? Si plus ſpatij ſuppetit, eò felicior, quòd plus otij reliquum eſt ad diligentiùs ſe in mortem præparandùm: at non, vt vel punctum tam ſancti temporis perire permittat, nedum ſponte perdat.

Quis item niſi emotæ mentis homo, tempus terendum exiſtimet, vel futilibus tranſigendum, quando iam certatim ad incendium eſſet concurrendum, præſertim ſi illud viciniam corripuiſſet? Nemo enim neſcit, quid verſiculus ille, lippis & tonſoribus notus, tam ſedulò cunctis inculcat:

Horat. 1. epiſt.

Tum tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Subito in caſu, quid facto opus. Ludi paſtorales.

Quis ſimiliter in communi naufragio tam vanus ſit temporis emenſor, qui tum vacare ſe poſſe delicijs iociſque credat, cùm, ſi cuique centum ſint manus, omnes eſſent adhibendæ? Aut quis paſtorum tam euaporati ſit cerebri, qui fiſtula, cantu, ſaltu, poculiſve cum otio ſe oblectet, alióſve ſimilibus ad certamen inuitet, quando iam lupus in gregem

irruens,

irruens, rapit, graſſatur, & ſtragem facit tetram ac miſerandam? Quis deniq;, ſi quando domus ruat, ſi hoſtis inuadat mœnia, ſi ad arma concurratur, ſi miles infrendens iugulum petat, ſi poſtremò cum morbo letali morteque ipſa luctandum; quis, inquam, temporis illius opportunam non habeat rationem? quis tunc ei ad ludicra, riſus, & voluptatum intemperiem, ſit animus? quis ei rem gratam facturus eſt, qui de tempore fallendo, terendo, perdendóve fecerit mentionem; cùm de vita, de anima, de ſalutis æternæ poſſeſſione, vel etiam de adeundis gehennæ incendijs agatur? Meritò quod res tum poſtulat & vſus, tota eſt animi intenſione prouidendum, cùm à momento vno tota (tanta quanta eſt) pendeat æternitas.

Quocirca Apoſtolus, totius vitæ noſtræ breuitatem, adeóque totius temporis reſtantis vſque ad diem iudicij, quaſi momentaneum tranſitum expendens, ſic cenſebat, ſic loquebatur, ſic nobis agendum arbitrabatur; quemadmodum iam diximus in caſibus illis ſubitis faciendum, pro re nata nimirum. Et in hoc totis ſtudijs incumbendum, quod ipſa res, & præſens temporis neceſſitas videtur exigere. Sic inquit: *Hoc itaq; dico, fratres; Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tamquam non habentes ſint: & qui flent, tamquam non flentes; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non poßidentes; & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi.*

Vitę tempus vt expendendũ.

1. Cor. 7.

Sic & Propheta Ezechiel inclamat: *Venit tempus, appropinquauit dies: qui emit, non lætetur; & qui vendit, non lugeat; quia ira ſuper omnem populum.* Quo loquendi modo illam temporis hominumque conditionem nobis ob oculos ambo ſtatuere videntur, quæ in communi omnium vaſtatione & conflagratione ſolet accidere; qualemque certò futuram ſcimus, quando in die illa, die inquam iræ & conſummationis ſæculi, nihil erit quod triſtetur qui ſua diſtraxerit; nihilque quod gaudeat, qui illa ſibi compararit. Quia, qui vendidit, caret quidem, ſed æquè erat iam omnia perditurus; atque ita non eſt, quòd eum venditionis tranſactæ pœniteat.

Ezech. 7.

Diei nouiſſimę conſideratio.

Qui verò emit, habet is quidem, ſed idem eſt, atque ſi non habeat, quia poſſidere non poteſt, cùm certum videat omnium interitum imminere.

Sic qui vxores habent, qui diuitias accumularunt, qui ſumtuoſa exſtruxere palatia, qui ampliſſimos plenis animis fouebant fœcundabantque conceptus, & quaſi nomini orbem extra mundi præſentis ambitum ac horizontem meditabantur: cùm iam labaſcent vniuerſa, & inaudito partium colliſarum fragore, certam vicinamque cuncta minabuntur ruinam; tempus illud, quo figuram, opulentiam, molemque ipſam mundi huius præterire & perire videbimus, ad alias longè cogitationes mentem vniuſcuiuſque auocaturum res ipſa declarat.

Specimen aliquod, in re quam contigiſſe certum eſt, in medium afferamus; in quo, tanquam in hoc mundi theatro contemplabimur, quid animi tunc potuerit fuiſſe hominibus, ad tempus terendum iocis, ad inaniter ſe oblectandum fallendumque otium. Diluuij ſtragem, & hominum in illa exuberantium aquarum eluuione diſcurrentium perplexitatem, ob oculos pono. Verum quidem eſt, quod & ipſe dicit Dominus; *Sicut factum eſt in diebus Noë, ita erit & in diebus Filij hominis. Edebant & bibebant; vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vſque in diem qua intrauit Noë in arcam; & venit diluuium & perdidit omnes. Similiter, ſicut factum eſt in diebus Lot; edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant: qua die autem exijt Lot à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cælo, & omnes perdidit: ſecundùm hæc erit, qua die Filius hominis reuelabitur.* Hæc Chriſtus ipſe. Ita quidem ſe iſta habebant: ſed id ſolùm, quamdiu vaſtitatem ingruentem non ſentiſcebant. At, quando iam vndis diluuij abſorbebantur iactabanturque omnia; quando item flamma cæleſtis iræ vindex vniuerſa conſumebat; ſic in ipſa diei nouiſſimæ trepidatione & clade; quem tunc animum ad iocum, choreas, ſcurriles fabulas, pocula, aleas, nuptias, hortos, merces, & cetera mundi ramenta, miſeris mortalibus fuiſſe vel eſſe poſſe exiſtimemus? Certum eſt, alia tum temporis, etiam

Luc. 17.

Noë arcæ cõſtructio, & in eam ingreſſus.

etiam non vocata ventura in mentem,totamque hominis cogitationem aliò prorſus abreptura.

Neque tamen hic ita quiſpiam Catonem agat, vt honeſtam ſuo tempore à ſerijs animi relaxationem improbarit; quam ad arcus detenſi imitationem, non ſolùm doctis grauibuſq; viris,verumetiam ſanctis ipſis in vſu fuiſſe cognouimus. Sed, ſalua illa quaſi naturæ lege, Recreatio honeſta.

Quod caret alterna requie,durabile non eſt: *Epiſt. Phædra adHippol.*

homini Chriſtiano exactiſſimam eſſe habendam temporis rationem, ſtatuendum eſt: quod & ſequenti capite, ob rei tantæ momentum,declarabitur.

Schemat. 3. Cap. 5.

Curæ temporis, ob vitæ incertitudinem, terrena cura poſthabenda.

CVm, iuxta D. Auguſtinum, huius vitæ tempus curſus ad mortem ſit; vt & ſuprà meminimus; mirum nemini videri debet, ſi toto vitæ decurſu talem dicamus vnicuique habendam temporis rationem, vt qui ſit mox fortè moriturus. Huc facit illa Senecæ ſententia: Sic formemus animum, tanquam ad extremum ventum ſit: nihil differamus: qui quotidie vitæ ſuæ manum imponit,non indiget tempore. Ac ſi dicat, ſemper mori paratus eſt, quare quotidie mortem exſpectat. *Auguſt.de ciuit. D.li. 3.cap.10.* *Seneca epiſt.102.*

At, quia ſponſi Penelopes, & ſtudioſi temporis eluſores, tam mordicus oppoſitam tuentur partem, vt liceat pro lubito, quouis tempore ad quæuis impunè abuti; ideò prædictis adhuc parumper inſiſtendum duxi. Lubeat igitur, prætactorum occaſione,tam turbati illius temporis aliquale videre ſpectaculum; quod,vti dico, propter vitæ caducæ incertitudinem, ſemper nobis ob oculos verſari deberet. Dominum noſtrum id viuidè adumbrantem attendamus. Sponſi Penelopes.

Matth. 24. Marc. 13. *Cùm videritis*, inquit, *abominationem deſolationis*, &c. *tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes; & qui ſuper tectum, non deſcendat in domum, nec introeat, vt tollat quid de domo ſua: & qui in agro erit, non reuertatur retrò tollere veſtimentum.* Ecce, vbique fuga, vbique celeritas, ſalutis ſolius cura, & contemtus omnium quæ in mundo ſunt; non ſolùm rerum vnicuique communium, verumetiam priuatarum, & maximè familiarium, quarum amore quodam peculiari hominis animus ſolet diſtineri.

Nec mirum tamen iſtorum tunc fore neglectum; eiuſmodi namque futura eſt totius vniuerſi conſtitutio, quæ nullam aliam, niſi in apertè dementibus, admittat cogitationem, quàm quæ ad rem faciat. *Erit enim tunc tribulatio, qualis non fuit, neque erit; areſcentibus hominibus præ timore, & exſpectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.*

Tunc ſiquidem in ſummo gradu locum habebit, quod Epheſ. 5. dicit Apoſtolus: *Videte, fratres, quomodo cautè ambuletis. Non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes; redimentes tempus, quoniam* Chryſoſt. *dies mali ſunt.* Hanc ſententiam ita explicat Chryſoſtomus, vt quando in domo tua à violẽtis prædonibus inuaſus obrueris, qui etiam minentur mortem; omnia quæ habes, in redemtionem vitæ lubens offers; adeò te nulla tunc ampliùs illarum rerum, quas poſſidebas, quibus oblectabaris, voluptas tenet; ſed tota cogitatio eò fertur, vt te præſenti periculo eripias: ita tempore illo tam varijs obnoxio periculis & calamitatibus, ita ob impendentes neceſſitates in anguſtum redacto, iam iamque extrema comminanti; non aliæ meritò occurrent animo cogitationes, quàm de tempore illo redimendo, ne ex eo vel momentum depereat, ſed totum in ſalutem animæ cedat: quando quidem illa ab iſto, vt puncto, dependere certò cognoſcitur.

Narratur in hiſtorijs Indicis ſingulare ſolicitudinis animæ momentique nouiſſimi exemplum; quo caput iſtud obſi- Petr. Maff. Hiſt. Indic. lib. 11. gnabimus. Chriſtophorus quidam Luſitanus in arce Dienſi contra Turcas agitabat excubias. Fortè ita euenit, vt, cùm pro muri corona ſtaret armatus, contorta ab hoſtibus è tranſ-

uerſo

uerſo pila, partem ventris vnà cum inteſtinis abriperet. Extemplò ſemianimis domum relatus, vti erat de æterna ſalute ſolicitus, parentem optimam interrupta compellans voce, Peto, ait, abs te, quæſoque mater, vti mihi priùs ad expianda crimina ſacerdotem, quàm ad proſequendum obitum lacrymas ac ſuſpiria, præbeas. Vereor enim, ſi te ingemiſcentem audiero, ne dolor tuus ac mœror, meam ad ſupremum hoc iter neceſſariam *exigui temporis* præparationem impediat. Cui parens, vidua, inter adſtantium ſingultus & complorationem, vnà ſiccis oculis, & placido vultu; Ego verò quod doleam, inquit, fili, habeo nihil, niſi noxæ aut piaculi quippiam tibi ſupereſſe, quod eluas. Nam alioqui probè intelligo, ijs qui iſtud obierint leti genus, præclaram eſſe mercedem paratam in cælo. Tu modò clementis Dei pacem ac veniam fidenter implora; teque in hoc tranſitu virum præbe. Id vnum in hac orbitate maximo mihi ſolatio fuerit. Inter haſce adhortationes labentia moribundi viſcera manu ſuffulciens, fugientis animæ reliquias tamdiu fouit, quoad accito in id ſacerdoti peccata cum ſalutari deteſtatione confeſſus, & abſolutus, in ſinu parentis animam efflauit. At nunc, ad temporis opportunitatem, quod proprium occaſionis noſtrique propoſiti eſt argumentum, reuertamur. Cura ſalutis eximia.

Schemat. 3. Cap. 6.

Temporis opportunitatem, exemplo quoque diuinæ prouidentiæ, maximi eſſe faciendam.

EX hactenus hoc ſchemate dictis liquet, prudentiſſimum quemque, multum in temporis opportunitate momenti collocare, ſiue quod ad gratiam ſalutemque animi procurandam, ſiue quod ad rem in alijs negotijs benè gerendam attinet. Idque iuxta Sapientis ſententiam: *Omnia tempus* Eccleſ. 3.

tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub cælo. Vnde ſequitur, eum, qui opportunum rerum quarumcumque vſum quærit, tempus earumdem proprium exſpectare debere, & captare opportunitatem.

Prouidẽtia diuina, tẽporis opportunitatem elegit, ad Salutis noſtrę myſteriũ peragendum.

Nam, veluti importunum fuerit, ſi aliquid non ſuo tempore attentaris, ita ſimiliter, ſi ſuo quidpiam tempore prætermiſeris. Vnde Chriſtus Saluator noſter, tametſi ardentiſſimè ſalutem humani generis ſitiebat, toties tamen ingeminabat, tempus meum nondum venit, nondum venit hora mea. Abſcondebat ſe quæſitus ad necem, & cùm iam ſalutare illud momentum, ab æterno ſtatutum, aduenit; nullo modo ſibi illud prætermittendum exiſtimauit; vt etiam tum ſuis perſecutoribus obuiam ſponte proceſſerit. Adeò, apud altiſſimum quoque diuini conſilij ſecretum, locum habet, cuncta tempore opportuno in effectum deducere.

Cant. 2.

Hinc ſicut ſponſa dilectum ſuum, Dei filium, ad humanæ naturæ conſortium, noſtrique generis reconciliationem inuitauit, temporis opportunitatem allegando, hiſce ſignis velut teſſeris, ex ore ſponſi ipſius collectis; *Hiems tranſiit, imber abijt, & receſſit: flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit; vox turturis audita eſt in terra noſtra*, &c.

Opportunitas Dei exemplo captanda.

Ita Deus noſter, temporum ipſe rerumque omnium creatarum opifex, qui vnicuique rei tempus proprium conſignauit, ipſe inquam (vt iam cœpi dicere) mundum renouaturus, genuſque redemturus humanum, aptiſſimum tempus, & occaſionem tantæ rei opportuniſſimam elegit, ſtatuit, obſeruauit.

Mundus ſiquidem totus in maligno poſitus, quò clariùs videbat, non eſſe ſibi auxilium à ſe, neque à ſacrificijs legis, quibus tot iam retrò ſeculis, ad fatigationem fuerat exercitatus; neque à quoquam alio, niſi à ſolo Deo; eò magis debebat agnoſcere beneficium Redemtoris, tam opportuno ſibi tempore exhibitum: vt qui verè is eſſet, quem toties anteà illuminatiſſimi quique exoptarant adiutorem in *Opportunitatibus*, & in tribulatione.

Ob id meritò exclamauit ad Dominum, ipſe, qui hanc opportu-

portunitatem à Deo illuſtratus clariſſimè cernebat. *Tempus faciendi, Domine; diſſipauerunt legem tuam.* Vnde & ipſe Dominus conuenienter his reſpondens, ait: *Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te.* Quod & Apoſtolicâ tubâ, vt præconis voce, proclamatum eſt, eſſe tempus gratiæ, tempus euangelij. *Ecce,* inquit, (vt ante memini) *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.*

*Pſal.*118. *Iſa.*49. 2.*Cor.*6.

Quapropter eſt euidens, quare tot annorum ſpatijs antè denunciauerit Iſaias; *Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum propè eſt.* Quia, in ſignum, tempus illud optabile, Occaſionemque tam diu exſpectatam, per Chriſti Saluatoris aduentum obtigiſſe, re ipſa teſtati ſunt omnes miſerijs morbiſque corporis & animæ diſtenti, ipſum eſſe, qui à Dauide fuerat prædictus & prædicatus, *Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis*: tempuſque eſſe *miſerendi eius,* QVIA VENIT TEMPVS, quo miſereretur Sion. Proinde accurrerunt ad Saluatorem noſtrum, non ſolùm ægri, tum maximè opportunè, quando *virtus de illo exibat, & ſanabat omnes*; verumetiam publicani & peccatores, vt animæ noxas tam opportuno, ceu cælitus lapſo, remedio eluerent.

*Iſa.*55. Tempus gratiæ, tẽpus opportunum. *Pſalm.*45. *Pſal.*101. *Luc.*6.

Temporis itaque maxima eſt habenda ratio homini Chriſtiano, qui Deum ducem fideliſſimè ſequi debet, in ijs omnibus quæ ſibi in eius actionibus per fidei normam didicerit imitanda. Hinc periculoſum in tam ſancto compendio diſpendium tædij vitare tempuſque lucrari doctus Antonius, viſum à Deo accepit, quo Angelum viri ſpecie in cella ſua eſt contemplatus, nunc orantem, nunc manibus operis aliquid actitantem, temporiſque momenta fructuosè diſpenſantem.

S. Antonij viſio.

Nec immeritò, quis enim balſamum vel aliud pretioſum vnguentum, cuius ſola gutta vitæ conſeruandæ ſufficiat, abijciat in cloacam, vel calceis inungendis inſumat?

Quocirca non immeritò Alexander ei ſuccenſuit, potiùs

Alexand.

quàm vt temerè ſperatum præmium largiretur, qui grana
Mirãdum in re parua ciceris per ocellum acus quoties vellet eminus ſine fruſtratione traijceret ; quod nimirum non tam laudandam ipſius iudicaret induſtriam, quàm damnandam pretioſi temporis in rem inutilem impenſi iacturam.

Ita edoctus periculo ſuo ſeruus ille nequam, bonorum domini ſui diſſipator, quantum momenti vrgenti neceſſitate in temporis vſura eſſet ponendum ; cùm nihil aliud ei ſuppeteret, minis ſubhaſtationis, venditionis, deſtitutionis eum extremè prementibus, hoc tantùm occurrit reliqui, vt ita rogaret dominum ſuum : *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* (*Matth.* 18.) Ac ſi ſecum cogitet dicatque : Spatium dato, ne præcipites, temporis moram aliquam indulge miſero, in rerum temporiſque anguſtia conſtituto ; &, tametſi nihil rei ſit ad manum, quod tam ingenti debito ſoluendo ſufficiat ; neque certò ſciam, quid mihi eum in finem ſit acceſſurum ; ſpei tamen ſuppetet plurimum, ſi moram impetraro : tam inſperatum eſt ſiquidem nonnumquam temporis emolumentum, vt ſpem concipiam, me rem quoque omnem poſſe temporis beneficio reſtaurare.

Anima è pilo pendens. Ita haud dubiè anima è pilo pendens, felici temporis momento, longum illud æternum in tuto poteſt collocare ; atque ideò temporis pretium ipſi debet eſſe inæſtimabile. Quàm verò diſpendioſum ſit, etiam in rebus temporalibus gerendis, tempus negligere, præter iam dicta, in ſequenti quoque ſchemate expendetur ; vbi de ſpretæ occaſionis iactura ex profeſſo diſſerendum.

ORA-

ORATIO III.

Pro bona pretioſi temporis ratione.

DEus, cuius nutu vitæ noſtræ momenta decurrunt, illam procul à mentibus noſtris auerte dementiam, qua vel momentum temporis ſcientes volentesque ſine fructu tranſigamus; ſed ita exacti ſimus, ad ſalutis augmentum, tanti muneris diſpenſatores; vt, ſicut nec de verbo otioſo, ita neque de amiſſo tempore, ratio ſit nobis in tremendo tuo iudicio reddenda; ſed fideli tranſacti temporis vſura beatam illam æternitatem comparemus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

STIMVLANTE DÆMONE, MISERE ELVDITVR OCCASIO. 4.



A. *Hanc quoq; nunc, Iuuenes, certatim inuadite Laruam;*
Quandoquidem dat ſponte ſua ſe OCCASIO *ſponſam.*
B. *Huc ſocij; noua naſcitur hic occaſio riſus.*
C. *Prô monſtrũ horrendũ!* D. *Quid id eſt? Num femina, vel mas?*
E. *Fronte capillitium gerit, aſt glabrum occiput illi.*
F. *Mos pueris, ſponsam Maij exornare calendis;*
Reginæque instar longa deducere pompa,
Et ramis capiti obtensis, fauſta omnia Nymphæ
Acclamare nouæ; quid ſi pro tempore, pro re,
Hæc eadem nobis ludatur fabula? G. *Bellè.*

Schematis 4. explicatio;

Quo, ſtimulante dæmone, miſerè eluditur OCCASIO.

Schemat. 4. Cap. I.

De ingratitudine OCCASIONEM *Deique dona ſpernentium.*

INGRATITVDINEM (vt apud Stobæum legimus) potiſſimùm impudentia ſequitur; quæ ad omnem turpitudinem maxima eſt dux. Quid enim ex occaſionis oblatæ contemtu, tantique beneficij ingratitudine, aliud exſpectemus, quàm inſignem impudentiam, quæ vitiorum ceterorum agmen inducat? Certè intoleranda eſt quorundam ignauia, omniumque calculis damnanda peruerſitas, qui diuinum ad præſtantiſſima quæque opportunitatis obſequium indignè proculcant.

Stobæus.

Ingratitudo, Dei dona negligentium.

Iuſtiſſimam propterea mihi viſus eſt proferre ſententiam, princeps Philoſophorum Ariſtoteles, ſuper tantæ indignitatis iniuria. Si, inquit, tam indignarentur illi quibus non eſt facta iniuria, quàm illi quibus facta eſt; nullum in ciuitate admitteretur ſcelus. Non eſſent ſanè tot tamque temerarij bonæ occaſionis contemtores, ſi non ſolùm illi, quos fortè negotium concernit vicinius, ſed etiam omnes in vniuerſum æqui bonique amatores, iniuriam illam communitati, per occaſionis oblatæ neglectum, illatam, pro ſuo quiſque munere deteſtaretur, vtque æquum eſt execraretur.

Ariſtot. de virt. & vit. diuerſ.

Non rarò ſiquidem vnius culpa in totius Reipublicæ da-

mnum exuberat: ſed non indignantur omnes ad indignum facinus; quia fauor humanus, aſſentatio, & amicitiæ priuatæ, efficiunt, vt commune malum non æqua lance ponderetur: magiſque horretur hac ratione (merita licet) priuati cuiuſquam correptio, quàm illata per eius culpam communitati iniuria.

Verùm præſenti iam operi accingamur, & luctuoſum hunc inſenſatorum iuuenum plauſum, quantum feret animus, contemplemur. Stimulãte dæmone, vt habet imaginis argumentum, miſerè eluditur OCCASIO. Sicuti namque prius Tempori illuſerunt, ita nunc & Occaſionis illuſores effecti, pergunt inſanire.

Sic ruunt in præceps, qui ingrati Deo, nec pretioſiſſima quidem eius dona flocci pendunt: vt ob id non immeritò dicat Quinctilianus; Maximum omnium vitiorum ſignum eſt ingratitudo. Et, ſi gratiam homini non referre, ſimile homicidio eſt, quantum crimen eſt, Deo non referre? inquit Ambroſius. Quocirca, vt Publius Mimus ait: Dixeris maledicta cuncta, ſi ingratum hominem dixeris. Et quis iſtos iſtorumque occaſionis prodigos, ingratos, iniurios, & impios eſſe inficiatur? At actus ipſorum & intolerandam proteruiam ſingillatim expendamus.

Quinctil. *Ambroſ.* *Publ. Mim.*

Sponſæ inuerſæ ſimulacrũ.

Ridendam, in ſponſæ inuerſæ morem, Occaſionem exponit diabolus; tantiſper ſaltem (vt inquit) donec elabatur: quaſi verò nõ hic ſit primarius eius ſcopus, vt nempe Occaſio elabatur. Atque in tantum nefas audaces facit, pudorem omnem abſtergit, & honeſti prætextus fuco, ſcelus exſecrabile reddit ſpecioſum: quaſi ipſa OCCASIO ſe ad tantam ſibi contumeliam inferendam ſponte offerat ſua, cùm non niſi ad præclara quæque à Deo concedatur. A

Inſtigatoris huius ad malum, non valde alienam à propoſito figuram exhibuit impurus ille Vagao eunuchus. Cui poſtquam dixiſſet Holofernes; *Vade & ſuade Hebræam illam, vt ſponte conſentiat habitare mecum. Fœdum eſt enim apud Aſſyrios, ſi fœmina irrideat virum agendo, vt immunis ab eo tranſeat. Introiuit Vagao ad Iudith, & dixit; Non vereatur bona puella*

Iudith 12.

puella introire ad dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius, vt manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate.

Illudi ſibi ille ab ea nolebat, & interim ipſi meditabatur illudere: ſpecioſo ad hoc vtens honorificētiæ pallio, quo etiam ſcelus coram Deo capitale talibus faſcinis obligata non auerſaretur. Optatiſſimam ſuæ libidini ſponſam putabat oblatam infeſtiſſimus Deo barbarus; ſed ignorabat miſer Deum ipſi per huius Heroinæ manum afferre interitum. Aſt illuſionem occaſioni conſtructam, in hoc Vagaonis ſtratagemate, animus erat obiter conſiderare. Nunc ſingula percurramus.

Schemat. 4. Cap. 2.

Stupenda indignitas eorum, qui Occaſionis opportunitatem eludunt.

B INter quinque hoſce protritæ ſpei iuuenes, prouocat primus ſocios, ad nouam maioremque Occaſionis irriſionem. Illi accurrentes, monſtri eam loco habentes, admirantur, inueſtigant, neſciunt quid de illa tandem ſibi ſit ſtatuendum: quòd ſcilicet in fronte capillitium, in proſteriore verò capitis parte caluitium aduertant.

F Suggerit tandem vnus è grege, nequior ceteris, conſilium, quo iuxta receptum pueris morem, velut ſponſam eam deducant, & ramis capiti obtenſis, fauſta illi omnia læti adclamēt. Aſt, quò ſit maior in hoc ludo lepiditas, & ne, conſpectâ antè comâ, retrorſum ire exiſtimetur, verè eam retrogrado pede faciunt inambulare; laruam affigentes occipiti, vt viuam arbitrentur faciem ſpectatores. Applaudit nequam ſpiritus, & ſe ridiculæ, ſed meritò deplorandæ pompæ ductorem, funeſtique epithalamij facit præcentorem. Exhorret intereà diuina ſupernè maieſtas, & tota cæleſtis curia, rei indignitatem. Sponſa maialis.

G [letter G beside "bitrentur" line]

In huius inſolentiæ deteſtationem, iure illud Iſocratis in parænesi ſua grauiſſima ad Demonicum, vſurpemus; Neque in ridiculis, inquit, ſerias res agas; neque in rebus ſerijs, nugis gaudeas. *Iſocr.*

gaudeas. Nam, quidquid non tempeſtiuè neque in loco fit, vbique moleſtum eſt.

Occaſionis bonæ neglectus. Quàm intempeſtiuum ſit, quis ſufficienter explicet, quòd optimarum rerum Occaſio, quaſi cælitus data, friuolis & merè puerilibus oblectamentis poſtponatur? Quis cladem illius noctis, tamque craſſæ ignorantiæ perniciem æquanimiter ferat? Quando percenſeamus perpeti fletu deploranda neglectæ occaſionis exempla, damna, meritas pœnas? vix tamen dies elabitur, quin ſimul & optimæ occaſiones plurimæ elabantur.

Quàm optandam, ſtatim à lapſu, redeundi in gratiam primis noſtris parentibus obtulit Deus in paradiſo occaſionem, quando eos hiſce verbis, veluti ſtimulis, ad agnitionem culpæ prouocauit: *Adam, vbi es?* (quoad locum, & quoad lapſum, vbinam es?) Item, *Quis indicauit tibi, quòd nudus eſſes; niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?* (Geneſ. 3.) Sed, eheu! non arripuit Adam oblatam tali occaſione gratiam; verùm, vt ad folia ficus, ita ad peccati tegmina per excuſationem confugit.

Mulieri quoque eadem eſt oblata occaſio veniam promerendi, dum per peccati confeſſionem inuitatur ad pacem & gratiam, hoc pacto compellata: *Quare hoc feciſti?* Verùm, & ipſa in ſerpentem reiecit offenſam. Hinc ſpretæ occaſionis vindex, miſeranda mortalis vitæ calamitas, mortiſque imperium, promanarunt.

Occaſionis contemtæ diſpendiũ. Habuit occaſionem optimam Cain quoque, ex fratris ſui Abelis exemplo, ad gratum Deo ſacrificium offerendum, eiuſque gratiam demerendam: ſed, dum ſpretâ illâ, potiùs in inuidiæ occaſionem conuertit; omnia illi præpoſterè deinceps ſucceſſere. Stupendos fecerunt gradus, quaſi pari paſſu, eius & miſeria & malitia; donec infelici tandem infamique fine mors cuncta concluderet.

Geneſ. 6. *1. Pet. 3.* Arcæ Noë prędicatio. Quàm malè ceſſit ſimiliter hominibus illius ſeculi, quando Noë Dei iuſſu arcam fabricabatur, vt inquit Petrus, & ipſe tam inuiſæ machinæ ſtructurâ eis prædicabat vitæ in melius commutationem? quàm malè, inquam, ceſſit, occaſionem

tam

tam raram, tam euidentem & obuiam ſic neglexiſſe! Incre-duli remanſerunt, ſapere noluerunt, neque vnicam illam ſalutis anchoram apprehenderunt: ſed, vt ſuprà meminimus, comederunt & biberunt, omnem mundi vanitatem ſectati ſunt: *Et non cognouerunt* (inquit Dominus) hoc eſt, noluerunt attendere neque intelligere vt benè agerent; *donec veniret diluuium; & tulit omnes.* Tanti conſtitit vitæ & ſalutis occaſionem habuiſſe contemtui. *Matth. 24.*

Schemat. 4. Cap. 3.

Alijs adhuc exemplis, ſpretæ Occaſionis damnum oſtenditur.

QVid cauſæ, putamus, fuit; cur Cham maledictus à patre fuerit, & ſeruus ſeruorum fratribus ſuis conſtitutus, totaque ſtirps Chanaan deinceps vt infamis habita; niſi quia occaſionem nactus bene merendi de patre iacente in tabernaculo, potiùs in occaſionem riſus & ignominiæ traxit, etiam fratribus ſuis id ignorantibus reuelando? Iſti verò, occaſione conſulendi honori paterno benè vtentes, à patre fuerunt benedictione remunerati. *Geneſ. 9.* Cham maledictus.

Irriſerunt quoque oblatam ſalutis occaſionem, vt audiuimus, duo generi Lot, quam eis ipſe iuſſu nuncij cæleſtis in manus dabat. *Videbatur eis ludens loqui,* inquit ſacra hiſtoria, ſed iocus ille certo ipſis exitio conſtitit. Nam igne de cælo delapſo, cum reliquis Sodomitis abſumti ſunt. *Geneſ. 19.*

Eſau ſpreuit Occaſionem rem ſuam inconcuſsè ſtabiliendi; *Accepto* ſiquidem *pane & lente, comedit & abijt: paruipendens, quòd primogenita vendidiſſet.* Vbi notanda venit craſſa illa in tam incomparabilis rei damno oſcitantia, quando ſingulare illud Occaſionis beneficium tam indignè repellitur. Eſau. *Geneſ. 25.*

Opimam quoque conuertendi ſe ad Deum occaſionem non arripuit Laban, cùm per Iacob ditatus & à Deo fuerit benedictus, dicente ipſi Iacob; *Modicum habuiſti antequam* *Geneſ. 30.*

Iacob & Laban.

venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitq́ tibi Deus ad introitum meum. Sed tam benignè oblatam eſt aſpernatus occaſionem: manſit idololatra; & abeuntem Dei monitu Iacob cum vxoribus ſuis, eius filiabus, hoſtiliter eſt perſecutus: illumq; tractaſſet indignè hominum ingratiſſimus; niſi Deus ei anteà fuiſſet interminatus, ne faceret. *Valet*, inquit, *manus mea reddere tibi malum; ſed Deus patris tui, heri dixit mihi, Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius.*

Sic fiunt, ecce, & Deo odibiles, & ſibi alijſque iniurij, quicumque oblatam ſalutis occaſionem vilipendunt. Poterat porrò iſte (ſi voluiſſet) hac occaſione, & veri Dei cultor fieri, & rebus omnibus affluere.

Geneſ. 37. Fratres Ioſeph.

Occaſionem ſimiliter à Deo datã habuere fratres Ioſeph, & vitæ in melius commutandæ, & diuini fauoris vberiùs obtinendi: tum, quando ipſis ſua ſomnia, futurorum præſaga recenſuit; tum, quando diuinum planè puerum, parenti tam gratum, Deoque cariſſimum, tanta cum animi alacritate, erga patrem obedientiâ, & ſincera in ipſos charitate, ad ſe venire conſpicerent, ſolandi eos gratiâ, viſendique hortatu patris, ſi cuncta proſpera ipſis acciderent. Quid intereà illi? ſúntne tantæ felicitatis *opportunitatẽ* in tam commodo comite, fratre inquam, amplexati? exoſculati ſunt amicã in tam amœno vaſculo *occaſionem*? minimè gentium. Spreuerunt oblatam tanti boni anſam, atque in contrariam cuncta partem retorſerunt. *Oderant eum* (inquit hiſtoria) *nec poterant ei quidquam pacificè loqui.*

Occaſio maioris dilectionis coniunctioniſque animorum, inuidiæ & odij fomitem miniſtrauit, nullo ſuo merito, ſed ipſorum peruerſitate eam aſpernante; & vniuerſa, quæ in bonum erant accipienda, in malum conuertente. *Ecce* (inquiunt) *ſomniator venit: venite, occidamus eum, & mittamus in ciſternam veterem; dicemúſque, fera peſſima deuorauit eum: & tunc apparebit, quid illi proſint ſomnia ſua.*

Schemat.

Schemat. 4. Cap. 4.

Intoleranda erga OCCASIONIS *beneficium ingratitudo, alijs præterea exemplis declaratur.*

QVantam quamque multiplicem maximi boni occaſionem habuit Pharao rex Ægypti, & ad Dei veri cognitionem, & ſolidæ proſperitatis aſylum conſequendum, ſi arripuiſſet! Hanc ei pariebant, quaſi fæcundiſſimo matris cuiuſdam ſinu, Ioſephi ſapientia, vaticinia, conſilia, Dei numen in ipſo multis quotidie argumentis elucens, ſomniorum viſorumque explicatio; in ſeptennalis inediæ calamitate prudenti prouiſione ſuperanda, ſolertia; totius denique terræ Ægyptiacæ ipſi ſua induſtria ſubiugatione. Attamen neglexit omnia, neque eò venit, quò ipſum quaſi protenſa manu ducebat *Occaſio*: quin tandem, in ſuum ſuorumque caput, peſſimè abuſus eſt omnibus; amicam occaſionem in acerbiſſimi odij & ſeueriſſimæ hoſtilitatis cauſam conuertendo. *Geneſ 40.* Pharao.

Inſignem quoque ſe poſtmodum præbuit idem ipſe Occaſionis bonæ contemtorem; quando, quot plagis à Deo pro populi Iſraelitici dimiſſione fuit caſtigatus, totidem fuit nouis occaſionibus ad ſaniorem mentem reuocatus. Neque tantùm neglexit, verumetiam pertinaci malitia, corde obdurato, & tandem armata manu, totoque Regni robore, ſe tam ſalutari occaſioni obiecit; vt mirum non ſit, ſi cum omnibus ſuis tam miſerandam in mari rubro perpeſſus ſit cladem. Nam meritò diuinæ vindictæ flagello perſtringitur, qui beneficæ manus obſequium auerſatur. Quid enim eſt aliud *Occaſio* boni, quàm oblatum à Deo opportunitatis beneficium, ad rectè agendum, ſalutemque promerendam? neque fas eſt vel minimum magni regis (nedum Dei) donum contemnere.

Quàm indignè tulerit Moyſes populi Iſraelitici ingratitudinem, tamquam eximiæ occaſionis vituperium, vel eo ſolo potuit argumento conſtare, quòd Dei digito conſcriptas ta- *Exod. 32.* Ingratitudo populi Iſraelitici.

 bulas,

bulas, iratus valde proiecerit, eaſque ad radicem montis confregerit. Videns ſiquidem populus, quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, cùm per id occaſio eis potiùs daretur, ad ſibi de tali duce congratulandum, Deo gratias agendum, ad Moyſem ipſum factum iam Deo familiarem, ſuæque maioris felicitatis effectum patronum, magis honorandum, timendum, amandum; omnia in aduerſam partem rapientes, tanti boni occaſionem, vt cauſam ſuæ inſaniæ peropportunam, ſunt amplexati. *Fecerunt ſibi vitulum conflatilem, ſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Ecce, quàm grauis noxæ eſt, prima fronte occaſionem malè excipere! Pœnas tantæ dementiæ dederunt, cæſis vna die triginta tribus millibus.

Num.11. Non impunè quoque ceſſit huic ingrato populo ſpretæ iniuria Occaſionis, quando occaſione murmurantis promiſcui vulgi, quòd cum ipſis de Ægypto conſcenderat, ipſi pariter murmurare cœperunt, potiùs quàm vt occaſione panis angelici, ad gratiarum actionem, Dei laudem, conſtantiamq; animarentur.

Spreta tam ſplendida tantæ dignationis opportunitate, (cuius primùm occaſione non potuerant ſatis admirari, ſibiq; *Exod.16.* gratulari, exclamantes præ rei nouitate & vbertate, *Man-hu! Quid eſt hoc?*) quaſi ſuæ ipſimet felicitati inuidentes, planè in oppoſitum latus animos reflexerunt; irridentes, faſtidien-*Num.21.* tes, & calumniantes donum cæleſte, dicenteſque, *Anima noſtra arida eſt: Nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man.* Item, *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo.*

Sap.16. Cumque Sapiens in ſtupendis Dei beneficijs erga hunc ſuum populum iſtud enumerans inquiat; *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum: & paratum panem de cælo præſtitiſti illis, ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnem ſaporis ſuauitatem. Subſtantiam enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas: & deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur:* Cùm (inquam) tam honorificè de hoc Dei munere, & maximæ gratitudinis occaſione huic populo præſtita, ſentiat Sapiens,

Sapiens, vt fermè neſciat, quibus verbis explicet; ipſi hanc occaſionem in rem veluti deteſtandam, & cum nauſea reſpuendam, peruertentes, murmurarunt, exſecrati ſunt, fleueruntque cum eiulatu; adeò vt audiret videretque Moyſes *flentem populum per familias, ſingulos per oſtia tentorij ſui.* Neque reticetur ibidem merita Dei indignatio ſuper intoleranda illa tanti boni deteſtatione. *Iratuſq́ eſt Dominus valde: ſed & Moyſi intoleranda res viſa eſt.*

Ita, prô dolor! nobis frequenter accidit, vt quaſi mente capti oblatam ad optima quæq; occaſionẽ, immo ad æternæ ſalutis aſſertionem, non ſolùm negligamus, verumetiam vt rem odioſam faſtidiamus. Exempli gratia, hortatur Apoſtolus: *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Ex quo ſequitur, vigili attentione omnem benè merendi occaſionem eſſe obſeruandam, nihilque interim minùs præſtamus. Verbi gratia, occurrit pauper, comitaturque eum *Occaſio* exercendi charitatem, prætermittitur indonatus. Item fit obuiam aliquis inops conſilij, rem ſuam aperit, petit ſibi conſuli, ſe iuuari; excutitur. Nunciatur, ægrotum iacere in plateis, immo ad ianuam cum Lazaro, quò ſubleuetur ipſius miſeria: adſtat *Occaſio*, inuitat, ingentem pollicetur retributionem: indignatio potiùs contra denunciantem oborietur, quàm officium charitatis. Paupercula, & quidem in vicinia, dicitur eſſe in puerperio; tantamque illic eſſe rerum omnium penuriam, vt egeſtatis ipſius dici poſſit triclinium: flagitatur auxilium: *Occaſio* valde impensè commendat pietatis officium, cum ſalutis æternæ promiſſo: ſurdis canitur, aut etiam grauiter excipitur qui tam moleſtis ſermonibus aures obtundit. Refertur, miſeram certo loco perire in ſordibus animam, ſeſeque optimam offerre occaſionem, è cœno vitiorum extrahendi, vel quòd Deus per morbum, egeſtatem, aliáve ratione admonitionis conſilijque capacem feciſſe videatur, aptamque reductioni, ſi quis manum admoueat, *occaſionemq́* tam optabilem arripiat: prætexetur aliquid, quò minùs tempori opportuno ſeruiatur, & ſeruietur affectui, ſicque prætermittetur

2.Pet.1.

Charitas refrigeſcit.

mittetur occaſio. Scimus tamen Chriſtum certò addixiſſe, in extremo iudicio coram vniuerſo mundo confeſſurum; Matth. 25. *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*; itaque remuneraturum, atque ſi ipſi in propria perſona, tali occaſione collatum fuiſſet officium charitatis. Tunc autem ad amuſſim expendetur indignitas tam præclaræ occaſionis promerendi contemtæ, quando ſibi negatum fatebitur, quidquid tali occurſu rerum fuerit intermiſſum.

Schemat. 4. Cap. 5.

De diuina benignitate OCCASIONEM *merendi donante, noſtráque in eandem ingratitudine.*

Ingratitudo ſpernētium ſalutis opportunitatem.

VT autem manifeſtior reddatur Dei erga nos benignitas in ſuppeditanda ſemper noua benè merendi occaſione, noſtraque viciſſim ex aduerſo conſtituta proteruitas, ſupinuſque beneficiorum Dei neglectus magis innoteſcat; conſideremus hîc alternantē crebrò populi Iſraelis ſtulteſcendi reſipiſcendiq; viciſſitudinem, propoſito huic noſtro ſeruientem.

In toto ferè Iudicum libro (vt ceteros taceam) & præcipuè ſub eiuſdem initium, videre potiùs quàm legere eſt, inconſtantes illos, nunc oblatam miſericordiæ diuinæ anſam arripientes, paulò pòſt dimittentes: Deum illos pro inſipientia caſtigantem, illos iterum ad ſaniorem mentem redeuntes: ſtatim iterum in priorem ingratitudinem relabentes, Deíque rurſum iram efferueſcentem; atque ita oblatam occaſionem benè agendi, Deum colendi, viuendi pacificè, victoria potiundi, & de hoſtibus triumphandi, quaſi in Fortunæ inconſtantis ludum, ridiculamque ſpectri alicuius fabulam, ludibrio ſuarum voluptatum accommodam, commutarunt.

Iudicum 2. 3. &c.

Hinc ita de ipſis habetur: *Fecerunt filij Iſrael malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt Baalam. Iratúſque Dominus contra Iſrael, tradidit eos in manus diripientium, & vehementer afflicti ſunt. Suſcitauitq́ Dominus Iudices, qui liberarent eos de vaſtan-*

vaſtantium manibus: ſed nec eos audire voluerunt. Citò deſeruerunt viam, per quam ingreſsi fuerant patres eorum. Et audientes mandata Domini, omnia fecere contraria. Cumq́; Dominus Iudices ſuſcitaret, in diebus eorum flectebatur miſericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vaſtantium. Poſtquam autem mortuus eſſet Iudex, reuertebantur, & multò faciebant peiora, quàm fecerant patres eorũ, ſequentes deos alienos. Non dimiſerunt adinuentiones ſuas, & viam duriſsimam, per quam ambulare conſueuerãt. Iratuſq́; eſt furor Domini.

Sic conſequenter in reliquis eiuſdem libri capitibus ſpectaculum hoc prorſus lymphaticum perſeuerat. Et niſi nos ſimiliter ageremus, in actionum noſtrarum totiuſque vitæ ratione, iamdudum finem tumultuum horum Belgicorum plusquam lymphaticorum vidiſſemus: tumultuum, inquam, quos iuſtus, at iratus, Dominus, per hæreticorum rebelliumq; factiones, quaſi per inſtrumenta malo quo laboramus caſtigando percommoda, nobis immittit: viueremuſque quieti, & ſpe gaudentes, coleremus Deum in tranquillitate, ſicut fecerunt patres noſtri.

Pœnitētiæ veræ defectu manemus miſeri

Sed videmur ludere in hoc orbe terrarum, cum tot tamque ſplēdidis optimè de Deo, de Eccleſia, totaq; Republica Chriſtiana merendi occaſionibus. Sentimus, experimur, videmuſq; manifeſtam nonnumquam Dei manum, quaſi de cælo protenſam; quæ, ſi velimus, nos de peccatorum noſtrorum abyſſo, de belli miſerijs, deque indefeſſis iſtis ærumnis eripiat, & nequaquam arripimus. Vel alijs huius mundi vacamus illecebris, alióve torpore & neſcio quo lethargo correpti non attendimus; vel fortè etiam nobis perſuademus, omnia illa quæ ſe offerunt, & longè præſtantiora, à noſtro pendere arbitrio & nutu; vt quandocumq; lubuerit, ad manũ eſſe debeant: atq; ita nihil aut parum admodũ obeſſe vel referre, ſi oblatas eiuſmodi opportunitates & occaſiones negligamus; vel (ſi dijs placet) in aliud tempus, nobis magis commodum reijciamus, iubeamuſque eaſdem tunc pro noſtra redire ſententia.

Dei manus benignè protenſa apprehendend.

Non ceſſat interim animæ noſtræ, tamquam arci munitiſſimæ, inſidias moliri diabolus; neque ex altera parte quid-

quam

Salutis incuria.

quam omittit Angelus noſter tutelaris, quod ad murorum noſtrorum protectionem pertineat. At nos, quibus primariè ſalus propria commiſſa eſt, vigilanſque animæ cura cordi eſſe debet, & manifeſtam Dei ergo nos benignitatem, Angeliique cuſtodis hortamenta negligimus, & nihil mouent euidentiſſima diaboli in nos intentata molimina. Fitque vt quamplurimi, tali ſocordia prægrauati, videntes volenteſque intereant. Statagema hoc diabolicum, craſſumque iſtiuſmodi in tuenda ſalute neglectum, in ſequenti Romæ interceptæ exemplo dilucidè ſumus perſpecturi.

Diaboli ſtratagema nobis inſidiantis.

Ex Procopio.

Totilas Romam obſidens, per Iſauros milites, Romæ præſidiarios, ter vocatus fuit, & inuitatus, vt in vrbem per portam aſinariam ſibi patefaciendam veniret, viâ modoq; oſtenſis, quà ipſi horum nuncij ad eum per funes demiſſi veniſſent: atque res iſta tertiò ſic ad Totilam relata, totieſque per fideles milites cum denunciatoribus remiſſos explorata, rataque inuenta fuit, vt addixerant. Interea verò Romani milites multi exploratum quid hoſtes agerent miſſi, non procul ab vrbe Gothis decem occurrunt iter eà habentibus; quos ſtatim apprehenſos ad Beſſam Præſidem deducunt, ſciſcitantiq; Beſſæ quidnam Totilas animo ageret Gothi, reſpondent, eum ſperare, Iſauros quoſdam eius in poteſtatem Vrbem daturos. Iam enim ad barbaros vt certior rumor is emanarat. Porrò nunc hîc attendamus inertem oſcitantiam, tam opportunam vrbis conſeruandæ *Occaſionem* negligentium. Sic etenim proſequitur auctor hiſtoriam: Sed nihilominus Beſſas & Conon, Vrbis tunc Præſides, his auditis negligenter ſe (vt cœperant) gerere: nec aliquam *tantæ rei* rationem habere. Itaque intromiſſi tandem, vt à proditoribus Iſauris condictum fuerat, quatuor rubuſtiſſimi Gothi milites effractis interiùs portæ repagulis & ſeris, Regem Totilam, qui noctis ſilentio Vrbi cum toto exercitu appropinquarat, pacificè ac tranquillè intromiſerunt. Sicque Roma caput mundi, tam ſimpliciter perdita, quàm capta ſimpliciter. Et quidem rectè per portam aſinariam; vt aſinina ſtoliditas, in tam ſpecioſæ *Occaſionis* contemtu, pro meritis propalaretur.

Porta aſinaria incommodis multis obnoxia.

ORA-

ORATIO IIII.

Contra ingratitudinem & oſcitantiam.

DOmine Deus omni potentatui dominans, & fons omnis boni iugiter manans, qui omnes homines ſaluos facere cupiens, non deſinis, infinitis eos modis & medijs ad tui amorem ſalutisque propriæ curam prouocare: aufer, quæſumus, à nobis ignorantiæ tenebras, nubem ingratitudinis, & negligentiæ torporem; vt nulla benè faciendi Occaſione prætermiſſa, ſed vt cæleſtis auxilij præſidium amplectentes, ſic per hæc temporalia tranſeamus, vt nihil quod ad honorem tuum noſtramque ſalutem attineat, omittamus; & tandem gaudijs perfruamur æternis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.





A. *Vos agedum Iuuenes; iam nunc datur eſse beatis.*
Vos sapite, atq; alijs ſpretum ne temnite Numen.
B. *Si quis amor noſtri, vel ſi vos cura ſalutis*
Vlla tenet; magnam paruo poſt tempore meſsem
Proferet. C. *Et rutili ſtatuet ſuper atria Cæli.*
D. *Hospes gratus ades.* E. *Prô quam tua lumina læti*
Adspicimus! F. *Quam tu noſtris* OCCASIO *ocellis*
Exoptata venis! G. *Quam te tardante dolemus!*
H. *Cedo manum, et fidos amplectere fida clientes.*
A. *Gratus hic eſt animi candor, placet iſta voluntas.*

Schematis 5. explicatio;

In quo prudentiores TEMPVS & OCCASIONEM *ſtudioſè obſeruant.*

Schemat. 5. Cap. 1.

Hoſpitalis & gratus erga Tempus & Occaſionem animus valdè commendatur.

QVANDOQVIDEM hoc in ſchemate gratum optatumque TEMPORIS OCCASIONISQVE aduentum, ſub typo hoſpitum hilari vultu exceptorum expreſſimus, non longè quoque tota ſchematis huius explanatione, ab alluſione ad hoſpitalitatem ſumus receſſuri. Hoſpitij hoſpitalitatiſque commendatio.

Hîc ſiquidem obtutui ſpectantis obijcitur, quàm gratantibus animis, quantaque cum voluptate prudentiores quique opportunum tempus, oblatamque occaſionem excipiant; quamque omnia, quæ ad rem faciant, vigilanter obſeruent: præ alijs, (quorum quinque priores maleſani, ſpecimen nimis euidens præbuerunt) qui quaſi inuitis Gratijs nati educatiq;, non modò nihil humanitatis tam præclaris hoſpitibus exhibuerunt; verumetiam eos poſt ludibria & iniurias exploſerunt: nihil minùs curantes, quàm vt vel temporis, vel occaſionis, vel Angelici præſidij, atque adeò diuini Numinis aſſiſtentis, vllam haberent rationem. Gratijs inuitis nati.

Iſti modò, planè contrariâ ab illis incedentes viâ, omnem deferunt tantis hoſpitibus humanitatem; gratiſſimum ſibi eorum oſtendunt aduentum, atque omne promittunt obſequium. Agnoſcunt etenim rarum diuinæ bonitatis, in temporis opportunitate, beneq; merendi occaſione, beneficium: Gratitudo hoſpitum.

quod quàm rectè crediderint, quamque non temerè ſe erga tam munificum Numen, ita gratos officioſoſque præſtiterint, ſequenti poſt hoc ſchemate, in munerum largitione reipſa conſtabit. At modò de gratitudine & ingratitudine erga hoſpites priùs diſſerendum.

In probos prudenteſque hoſce adoleſcentes hoc in primis quadrat, quod dicit Apoſtolus; *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci: per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.* Vnde D. Ambroſius: Tanta eſt apud Deum hoſpitalitatis gratia, vt ne potus quidem aquæ frigidæ à præmijs remunerationis immunis ſit. Vides, inquit, quia Abraham Deum recepit hoſpitio, dum hoſpites quærit. Vides, quia Lot Angelos recepit. Vnde ſcis, an tu, cùm ſuſcipis hominem, ſuſcipias Chriſtum? D. enim Gregorius pauperibus menſæ ſuæ adhibitis ipſe interdum miniſtrabat; qua humanitate meruit aliquádo conuiuam habere Chriſtum. Cùm enim miniſtrando ſe ſemel auerteret, conuerſus deprehendit vnum ex conueſcentibus non apparere. Quam rem vehementer ſecum admiranti, nocte proxima adfuit in viſu Dominus, dicens, eò quòd ceteris diebus membra mea hoſpitio menſaq; excepiſti, dignus fuiſti qui heſterno exciperes & caput.

Hebr. 13.

Ambr.

D. Gregorius Chriſtum hoſpitio excepit.

Quocirca non incõgruè quaſi hoſpites excipi depinguntur OCCASIO & TEMPVS, cùm & Fides, & Religio, & Deus ipſe in ſua miſericordia, protectione, & gratia, ceteriſque ei attributis, dum nobis accedunt vel recedunt à nobis, peregrinantium typo deſcribantur. Sic loquitur horum intuitu Propheta ipſi Deo: *Exſpectatio Iſrael, ſaluator eius in tempore tribulationis: quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? quare futurus es velut vir vagus?* &c.

Hoſpitum typo Dei dona pinguntur.

Ierem. 14.

Quemadmodum itaque apud priores illos adoleſcentes, Dei dona non intelligentes, malè accepta fuerunt: *Tempus* triuerunt, illuſerunt *Occaſioni*, *Dei gratiam* in vacuum receperunt, neq; angelicum eis acceptum fuit miniſterium, & quaſi viliſſimo indignos tuguriolo hoſpites exſibilauerunt; ita iſti cordatiores, rem ſeriò, vt par erat, æſtimantes, talibus ſe plurimùm ornari hoſpitibus arbitrantur.

Imprudẽtes adoleſcentes.

Prudentes.

Atten-

Attendunt ſiquidem, qui, qualeſque ſint, à quo deſtinati, quantumque ſecum adferant ſuis hoſpitibus emolumenti. Ideoque planè contrario moti inſtinctu, ſtudijs prorſus alijs accinguntur, & omnino diuerſos ſe præbent ab illis, inuiſis, ingratis, & illiberalibus hominibus, qui propterea digni non ſunt, quos tellus ferat. De prudentibus verò iſtis, & officij boni plenis, dici poteſt verè, dignos eſſe ob gratiam hoſpitalitatis, qui Angelos Deumque ipſum in ſuis adminiſtris & donis hoſpitio recipiant.

Atque quemadmodum in exoticos illos barbaroſque homines, Tempus Occaſionemque auerſantes, illud ſocij Æneæ torqueri poteſt.

Quod genus hoc hominum, quæve hunc tā barbara morem 1. *Æneid.*
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ;
Bella cient primaq; vetant conſiſtere terra:

Ita viciſſim de ſenſatis iſtis, reſque ſerias ſeriò cordi habentibus, digniſque tanto honore ab alijs repudiato, illud eiuſdem auctoris:

Inuenies alium, ſi te hic faſtidit Alexis. *Virg. Ecl.* 2

Sicque olim obſeruatū fuit (vt magis ſerijs rem ſeriam comparemus) in bonarum literarum è Græcia in haſce Regiones commigratione. Quando etenim Leo Armenus Studitarum (qui à Studio fundatore nomen acceperant) Conſtantinopoli commorantium monaſterium, vnà cum Studitis, & nobiliſſima ipſorum bibliotheca, flammis comburi iuſſit; factum eſt, ea OCCASIONE, vt, quo tempore hæretici ex Oriente & Græcia conati ſunt bonas artes fugare, eodem ferè Catholici eas inde profugientes ſint amplexati. Ita Thomas Bozius ex Zonara. *Thom. Bozius tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 8. *ex Zonara.*

Schemat. 5. Cap. 2.

Oppoſitio aſpernantium & amplectentium Occaſionem.

Oppoſitio prudentium & imprudentium. PORrò, vt oppoſitionem hanc, quorumdam Occaſionem faſtidientium, aliorum econtrà ſtudiosè amplectentium, clariùs diſcernamus; ſolidiora aliqua proferamus, quæ tam diuerſo hominum generi ex æquo conueniant; diſcamuſque, reiectis deſidibus, diligentiores in opportunitatis à Deo datæ obſeruatione imitari.

Primùm, opportunè his applicemus, quod Dominus ipſe, occaſione talis diſſimilitudinis ſtudiorum, efficaciter explanauit. Dicebat Iudæis: *Numquam legiſtis in Scripturis, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes* (inſipientes Scribæ) *hic factus eſt in caput anguli? A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris. Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Paulò antè ſub figura vineæ, de Euangelio, gratia, vitaque æterna, præmiſerat, dicens; *Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddent ei fructum temporibus ſuis.* Ita & Samaritani quidam tam inhumanos ſe erga ipſum Dominum exhibuerunt, vt eum nollent portis excipere: adeoque propterea indignarentur Apoſtoli, præſertim quos præmiſerat, vt ipſum talibus compellarent; *Domine, vis dicimus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat illos?* Viceuerſa verò alij, etiam Samaritani, ſed cordati magis, vſque adeò fuerunt ipſius hoſpitio & contubernio exhilarati, vt eum rogarint, dignaretur cum ipſis manere: *& manſit ibi duos dies.*

Matth. 21. *Luc. 9.* *Ioan. 4.*

Eo modo ſcimus eumdē cum omnibus ſuis dònis cæleſtibus ab ingrato Iudæorum populo fuiſſe faſtiditum, vt ad gentiles ſe conuerterit, qui ſe dignos ipſius gratia effecerunt, fidem ſuſcipiendo, ſalutis amplexando remedia, & iugum eius ſuaue atque leue onus lubentibus humeris admittendo. Id Paulus

Iudæis

Iudæis in faciem exprobrauit: quando enim Antiochiæ vniuerſa ciuitas conueniſſet vt audirent verbũ Dei, *Iudæi videntes turbas & repleti zelo contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes. Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui Verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce, conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus.* Actor. 13.

Hæc inſuper non vno loco proponit Apoſtolus, vt contraria iuxta ſe collocata, ſibiq́ue ex aduerſò oppoſita, magis eluceſcant. *Gentes* (inquit) *quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam; Iſrael verò ſectando legem iuſtitiæ, in legem non peruenit.* Item: *Delictum eorum, diuitiæ ſunt mundi; & diminutio eorum, diuitiæ Gentium.* Dum ſcilicet iſtæ amplectuntur, quod illi ſtultè & pertinaciter abiecerunt. Item: *Fracti ſunt rami; & tu, cùm oleaſter eſſes, inſertus es illis; & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es.* Rom. 9. Rom. 11.

Non abſimile huic oppoſitioni eſt illud, quod D. Petrus in medium adfert, ad oſtendendum, alium aliquem eſſe in locum Iudæ ſubſtituendum, qui loco, dignitate, & officio Apoſtolatus ritè fungeretur; quem peſſimus ille Domini proditor indignè ſubiuerat. De hoc non ſolùm ipſe ſic eſt proteſtatus; *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum:* verumetiam Dauidem inducit hanc viciſſitudinem vaticinatum; *Viri fratres* (inquit) *oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda. Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea: & epiſcopatum eius accipiat alter.* Actor. 1.

Ita Saul & Dauid in occaſionis occurſu oppoſiti ſibi fuerunt: Saul ad magna conceſſam à Deo, ſpreuit; Dauid verò eſt cum maxima animi gratulatione amplexatus. Saul indignè eam repulit, quando primæua illa humilitate reiecta, magnus apud ſemetipſum apparere potiùs quàm eſſe delegit; adeò vt & ſacerdotis officium non ſit veritus ſibi aſſumere. Quamobrem eum increpans Samuel, dixit; *Stultè egiſti, nec* 1. Reg. 13.

cuſto-

cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum: ſed nequaquam regnum tuum vltrà conſurget. Quæſiuit Dominus ſibi virum iuxta cor ſuum: & præcepit ei Dominus, vt eſſet dux ſuper populum ſuum.

Hanc commutationem, tempore gratiæ, nouiſſimoque illo
Math. 8. die futuram quoque prædixit Dominus hiſce verbis: *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum; filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Idem alibi, hoc
Math. 21. loquendi modo, etiam explicatiùs aſſeuerauit; *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos in Regnum Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via iuſtitiæ, & non credidiſtis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei.* Vt verò illos etiam ſecundariè oblatam ſalutis occaſionem ſpreuiſſe demonſtret, prædictis addit; *Vos autem videntes* (illorũ nempe conuerſionem & pœnitentiam) *nec pœnitentiam habuiſtis poſteà, vt crederetis ei.*

Schemat. 5. Cap. 3.

Ab ingratis ad cordatiores tranſitio, more hoſpitum.

IN deteſtanda illa populi Iſraelitici præuaricatione, minatus eſt Dominus, ob tanti beneficij contemtum, omnes ad vnum interimere, vel à ſe proijcere, aliumque ipſorum loco
Exod. 32. deligere populum; Moyſi ita conteſtans: *Cerno, quòd populus iſte duræ ceruicis ſit. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos: faciámque te in gentem magnam.* Vtque
Deut. 9. alibi dicit; *Et conſtituam te ſuper gentem, quæ hac maior & fortior ſit.*

Rectè itaque in ſchemate præſenti Angelus iſtos adoleſcentes, atq; alios quoſcumq; in perſona illorũ alloquitur, qui plus prioribus illis ſapientes, *Tempus, Occaſionem, Deique auxilium,* meliori

meliori ſunt loco habituri. Idque ſatis ſicut D. Hieronymus nō ſine energia, aduerſatiuam illam Chriſti compellationem in Apoſtolis notandam exiſtimauit: Vt quando rogarat, quem dicerent homines eſſe filium hominis, atque alios alia referre reſpondiſſent, eos econtrà ſit percontatus, *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Illis, quia homines ſunt, humana opinantibus, Vos, qui eſtis Dij, quem me eſſe exiſtimatis? Ita hîc: ac ſi Angelus dicat; Illis, (quia vecordes & inſenſati ſunt) oblata Dei beneficia reſpuentibus; Vos, quibus meliori natis ſidere plus eſt animi, plus prudentiæ, agedum, gaudete benefortunati. Vt ſapitis, vt è cælo vobis adſunt excellentes iſti hoſpites, ita læti alacreſque eos excipitote: quoſq; alij magno ſuo malo contemſerunt, vos omni qua datur humanitate amplexamini, fouete, obſequijs gratuitis illorum vobis gratiam demeremini. Non abibitis ab ipſorum donis immunes, beneficentiam experiemini ſingularem: honor, opulentia, beatitudo, vos pro tali *officio* manent.

Matth. 26.

Hieron. lib. 3. in Matthæũ.

B Studium hoc in verbis ab *Occaſione* & *Tempore* in ipſo aggreſſu prolatis, expreſsè eſt animaduertere: quibus omnes (quaſi rem ipſam loquentem audiamus) inuitant ad ſui amorem, curam, & debitum erga ipſos officium; ſpe & pacto felicitatis ampliſſimæ, certaque regni cæleſtis exſpectatione.

Schemat. 5. Cap. 4.

Quàm indignè agunt, qui hoſtes animæ, vt hoſpites gratos, hoſpitio cordis excipiunt.

QVis ad huius quaſi ſcenæ conſpectum non admiretur, non indignetur, nō obſtupeſcat, ad hominũ (inquam) illorum inſaniam, qui teterrimos hoſpites, ingratiſſimos, oneroſiſſimos, & meros hoſtes admittunt in ſe, vt domum ſuam, à quibus nihil niſi peſſima quæque, & demum certa pernicies eſt exſpectanda? Vitia intelligo, & ipſum vitiorum omnium

Hoſtes animæ hoſpitio non excipiendi.

inuentorem diabolum : & interim, virtutes, dotes animi, Dei beneficia, Angelos, Deumque ipſum, vel non admittunt; vel ſi admiſerint aliquando, admiſſum explodunt: quod longè intolerabilius eſt, quàm ſi numquam admiſiſſent. Nam,

Ouid. lib. 5. de Triſt.

Turpiùs eÿcitur, quàm non admittitur hoſpes.

4. *Reg.* 20. Ezechiæ regis imprudentia.

Tantæ dementiæ figuram in Ezechia rege notatam habemus: qui ingenti cum animi voluptate Babylonicos hoſpites excepit, qui omnem eius gazam poſteà expilarunt. Ob factum iſtud ipſius tam indignum, (quia Dei hoſtes erant) cum ipſo hiſce verbis expoſtulauit Iſaias: *Quid dixerunt viri iſti; aut vnde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. At ille reſpondit; Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias; Omnia quæcunque ſunt in domo mea, viderunt. Nihil eſt, quod non monſtrauerim eis in theſauris meis. Dixit itaque Iſaias Ezechiæ: Audi ſermonem Domini. Ecce, dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui, vſque in diem hanc, in Babylonem. Non remanebit quidquam, ait Dominus. Sed & de filÿs tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.*

Diabolus in rege Babylonico figuratus.

Ita, dum per curioſitatem, vanitatem, voluptatem, carnis mundique amorem, diaboli vt regis Babylonici extremæque confuſionis principis emiſſarios, cogitationes, paſſiones, affectus prauos, ceu mortis æternæ miniſtros, in nos admittimus; tunc fures, latrones, ſicarios, & capitales hoſtes vt hoſpites amplexamur, eiſque omnia cordis noſtri ſecreta pandimus atque committimus.

Luc. 11. Immũdus ſpiritus.

Quodque talibus ita malè cedat, vt docuit triſtis hoſpitij Ezechiæ euentus, parabola nos illa euangelica facit certiores, in qua ſic ipſe Dominus: *Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquoſa, quærens requiem. Et non inueniens, dicit; Reuertar in domum meam, vnde exiui.* (Ecce, ſuam dicit, quia ſemel vt hoſpes fuit intromiſſus: ſed quid ampliùs?) *Et, cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam &*

orna-

ornatam. (ſed vacuam habitatore legitimo) *Et tunc vadit, & aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.*

Non erit iam dictis incongruum, ſi ſubiunxero mirum quoddam huiuſmodi hoſpitalitatis exemplum, & exitioſum præmium. Fortunatum Tudertinæ ciuitatis Epiſcopum, infamiæ probro laceſſiuit diabolus; per ipſum namque ab homine expulſus, peregrini formam aſſumſit, & cum clamore incedens, paſſim queri cœpit, quòd Fortunatus Epiſcopus (qui ab omnibus hoſpitalis & pius exiſtimatur) ſe ab hoſpitio ſuo exturbaſſet. Hunc quidam, malignis rumoribus nimis credulus, ac ſimul vt ſe munificẽtiorem Epiſcopo oſtenderet, domi ſuæ accepit. Sed dum vnà cum illo ad ignem ſedens (frigus enim erat) Fortunato licentiùs detraxiſſet, animaduertit confeſſorem ſuum nuſquam comparere; & filium paruulum, iam ab eo poſſeſſum, vertiginoſo volutatu inter prunas deijci, vitaque deſtitui. Vnici tandem orbitate didicit infelix pater, quantum ſcelus ſit, & quale crimen, ſanctorum hominum vitam vel cauillari, vel cauillantibus facilè credere: taleſque hoſpitio excipere, qui vel lingua ſola ſe produnt quales ſint, ſi attenderetur. Veram charitatem, humilitatem, debitam erga ſuum prælatum reuerentiam, Dei timorem, ceteraſque eiuſmodi virtutes, propriamque adeò conſcientiam miſer foras miſit; vt detractorem, calumniatorem, mendacem, hoſtem, hoſpitio exciperet; cum quo ſimilis ipſi factus, dignum talis hoſpitalitatis accepit præmium.

Fortunatus Hoſpitalitatis exemplum.

Schemat. 5. Cap. 5.

De hoſpitis ingrati diſpendio, de hoſpitio animæ in corpore, & præmijs hoſpitalitatis.

DE ſimili fraude violatique hoſpitij iniuria (ſed tamen citra omnem culpam hoſpitio excipientis) legimus notatu dignum exemplum; quod nos à talium hoſpitum ſuſceptione deterreat, qui malum pro bono rependant, & nos animi corporiſque ornamentis exſpolient: qualis eſt ſupremo gradu diabolus, ne quidem ad primum oſtij limen, noſtra vmquam pace admittendus.

Hoſpitis ingrati deſcriptio.

Cælius Rhodigin. lib. 7. cap. 28.

De ingrato hoſpite ſic habet Cælius Rhodiginus. Philippus Macedo, quendam ex miniſtris aulicis, ad explorandum negotium aliquod amandarat, qui orta tempeſtate naufragium fecit: ſeruatus autem eſt à quodam maris accola, qui ſcaphâ exceptum in prædium ſuum tranſportat, omniaque humanitatis officia ei exhibet; elapſiſque triginta diebus, viatico inſtructum dimittit. Miles domum reuerſus, narrat ſingula Regi, de naufragio & ſuis periculis; verùm tacet beneficium hoſpitis. Rex pro exhauſtis laboribus gratum ſe fore pollicetur. Miles, *accepta Occaſione*, ſe vidiſſe ait prædium in littore; id ſe rogare, vt per regiam munificentiam ſibi aſſignetur, in monimentum præſtiti officij. Rex facilè aſſentitur: Pauſaniæque præfecto mandat, vt prædium iſtud militi poſſidendum attribuat. Colonus ergo, pro hoſpitalitatis munere, quod militi exhibuerat, è prædio ſuo exturbatur: ad regem ſe recipit, narrans quæ in militem beneficia contulerit, & qua viciſſim ipſe afficiatur ab ingrato milite iniuria. Rex, audita cauſa, ingenti ira exarſit, ſtatimque militem iuſſit prehendi, & inuri fronti eius ſtigmata his literis, HOSPES INGRATVS.

Quomodo ita nobiſcum agat adulans mundus, diabolus inſidians, & carnis illecebroſa blandities, obuium eſt vnicuiq;

trium

trium horum fraudulentam amicitiæ ſpeciem attendenti; vt lãtè in Veridico Chriſtiano ſuper tribus animæ hoſtibus eſt oſtenſum. *Veridic. cap.* 38.

Humaniùs, benigniuſque Cæſar aliquando cum ſuo egit hoſpite, qui cùm ipſi condîtum oleum pro viridi forte fortuna appoſuiſſet, aſpernantibus ceteris, dixit ſe tale appetijſſe; ne hoſpes aut negligentiæ aut ruſticitatis arguendus videretur. Porrò, vt diximus, non raro ingratos, moroſos, hoſtileſque hoſpites admittunt quidam; eos verò, à quibus ditandi honorandique fuerant, amandant. Quocirca non incommodè hîc ex D. Bernardo de hoſpitio animæ in corpore ſubiungemus. In hoc ſiquidem certum illum loquendi modum, toto hoc ferè ſchemate vſurpatum animaduertemus, vt opportunum reique conuenientem; quo hoſpitalitatis officium commendatur, reprehenditur autem ingratitudo. Sic igitur Corpus, vt hoſpitem exceptatorem, alloquitur Bernardus: Nobilem hoſpitem habes, ô Caro, nobilem valde. Et tota ſalus tua pendet ab eius ſalute. Da honorem, ô Caro, hoſpiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua, anima verò, peregrina & exul, apud te eſt hoſpitata. Quæſo te, quis ruſticus, ſi fortè nobilis & præpotens quiſpiam apud eum voluerit hoſpitari, non libenter in angulo domus, aut ſub gradibus ſuis, vel in ipſis cineribus accubabit, cedens hoſpiti ſuo locum, ſicut dignũ eſt, potiorem? Hactenus auctor ille melliflũus. Qui ibidem pulcra valde ſubiungit, de donis hoſpitis hoſpiti conceſſis. Hoc eſt, quæ anima corpori elargitur; vtpote oculis viſum, auribus auditum, tactum totamq; demum vitam toti corpori, debitamque membrorum omnium functionem.

Caeſar. | Hoſpitium animę corpus. | *Bernard. ſer.* 6. *Aduent.* | Hoſpitis grati munera.

Quid vetet dicere, ſic & *Occaſionem* à Deo miſſam ſuum hoſpitem donis illis omnibus exornare, quæ ipſe tandem per ſtudioſam *Occaſionis* obſeruantiam acquirit? Sic Rebecca à famulo Abrahæ ditata ornataque fuit, cui cuiuſque camelis tam hilari promtitudine potum dederat, eumque in domo paterna exceperat hoſpitio. Sic & Abraham hoſpitij munus accepit infantem, qui matri riſum fecit, & toti mundo *Geneſ.* 24. | *Ge.* 18. 21.

gaudium attulit, in eo cuius figura erat. Iſaac enim riſum ſignificans, Chriſtum referebat, in cuius natiuitate, Angeli gaudium magnum euangelizauerunt, quod futurum erat omni populo. Martha quoque Chriſtum excipiens hoſpitio, fratris ſui Lazari reſuſcitationem impetrauit, totique familiæ benedictionem. Ita Zachæus excepit illum gaudens in domum ſuam, quem Dominus (inquit Ambroſius) manſionis ſuæ claritate nobilitat. Nec mirum, quòd ſe apud hunc non inuitatus inuitarit; ſciebat enim vberem hoſpitij ſui eſſe mercedem. Salus vtique illi domui facta eſt: atque ita munificentiùs exornata, quàm ſi repleta fuiſſet diuitijs. Ita & duo Diſcipuli in Emaus hoſpitalitatis ſuæ peramplum beneficium acceperunt, cùm & oculi eorum aperti fuerint, cor incenſum charitate, & fides ad ſalutem neceſſaria, diuino colloquio roborata: quin (vt piè aliqui ſentiunt) ſuperſubſtantiali illo paſti edulio, in alios ſunt planè viros immutati.

Luc. 2. *Ambroſ. lib. 8. in Luc. 19. ca.* *Luc. 19.* *Luc. 24.*

B. Maria hoſpitio excepit Dei filium.

Verùm, omni eſt comparatione maius, quòd ſingulare illud mundi pereuntis ſolatium, ſanctiſſima inquam virgo, atque eadem Dei mater Maria, ſicut Saluatorem noſtrum, ſub mundi veſperam in hanc miſeriarum vallem deſcendentem, puriſſimo virginalis vteri ſuſcepit hoſpitio; ita ipſa ab eodem viciſſim in ſummo cæli habitaculo glorioſiſſimè fuit collocata. Et (vt cum D. Bernardo loquar) quantum gratiæ in terris adepta eſt præ ceteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ ſingularis.

Schemat. 5. Cap. 6.

Jucundum hoſpitalitatis exemplum.

NOn erit abs re, conſiderare, quàm ſoleat olim apud Ethnicas & barbaras quoque nationes, munus hoſpitalitatis eſſe in veneratione. Ex eo ſiquidem vel ſolo argumento colligi poſsit, quanta apud antiquos fuerit eius religio, quòd in Iouis ipſius (quem tamen illi Deorum optimum maximum faciebant)

bant) tutela ac patrocinio hoſpites eſſe exiſtimarint,& ea propter Iouem hoſpitalem nuncupauerint. Huc verſus ille Poëtæ ſpectabat:

Iuppiter, hoſpitibus nam te dare iura, loquuntur: *Virg. 1. Æneid.*

vt de his occaſione hoſpitalitatis Abrahæ P. Pererius.

Narrat Iacobus de Voragine, appoſitum valde, licet mirabili occaſione ortum, hoſpitalitatis exemplum de Iuliano hoſpitatore. *Iulianus hoſpitator.* Is errore magis quàm furore parentes interemit: cùm enim ſummo mane domum reuerſus, in ſuo vxoriſque cubili dormientes illos offendiſſet, putauit vxorem eſſe cum adultero: & educto repentè gladio, ambos transfixit. Vxor autem antequam ille aduenisſet, ad eccleſiam perrexerat: re tandem cognita, vbertim fleuit. Vtque commiſsi veniam promereri poſſet, relicta domo, prope fluminis ripam, vbi multi vado tranſeuntes peribant, xenodochium poſuit, & viatores tecto excipere, & nauicula tranſuectare gratuitò cœpit. Poſtremò (ecce quod vrgemus, opimum talis officij præmium) diuinitus dictum ſibi audiuit, quòd culpam eluiſſet *hoſpitalitatis merito*. Parentum ergo interfector, ſuſceptor hoſpitum, factus eſt cæli habitator. Hæc ita Marulus.

At nunc iſtum humanitatis & beneficentiæ tractatulum, *Hoſpitalitatis vtilitas.* eorum occaſione ſuſceptum, qui *occaſionem*, velut gratum hoſpitem gratanter admittunt, alio quodam non illepido exemplo concludamus, quod ipſi D. Gregorio Thaumaturgo accidiſſe ſcribitur. In quo non ſolùm ipſius hoſpitalitatis officium, ſed ipſummet occaſionis obſeruatæ ſtudium, nos noſtri propoſiti tenaciores efficiet; docebitque (quod primariè intendimus) dignam occaſionis oblatæ rationem habere. Quum D. Gregorius Thaumaturgus *Ex Greg. Nyſſ. in vita Gregor. Thaum.* Neocæſareæ Epiſcopus, vrgente procellæ anguſtia, in Alpibus ad fanum Apollinis diuertiſſet, à ſacerdote licet profano officioſiſſimè exceptus eſt. Poſt cuius diſceſſum, acceſſit ſacerdos ex more poſcere conſulta, & reſponſa (ab idolo videlicet) ſed nihil inde reſponſi veniebat. Iterum & iterum ſacerdos victimas repetit, & nihilominus ſemper ſilentium permanebat. Cumque ſacerdos ſtupore æſtuaret,

in ſomnis dæmonium apparens, ſe nihil poſſe fatetur. Percontantique cauſam, ait, aduentu Gregorij Epiſcopi ſe eſſe expulſum. Et cùm perquireret ſacerdos, quid remedij daretur: ait, non aliter licere ſibi ingredi locum illum, niſi Gregorius permiſiſſet. Quibus auditis ſacerdos ſecutus eſt B. Gregorium; & ad eum perueniens, rem ex ordine pandit; humanitatis ſuæ atque hoſpitalitatis gratiam commemorat, querelam numinis exponit, ademtam facultatem quæſtus ſui deplorat, ac reddi ſibi omnia in priſtinum ſtatum depoſcit. Itaque ſcribit B. Gregorius epiſtolam in hæc verba; Gregorius Apollini. Permitto tibi redire ad locum tuum, & agere quæ conſueuiſti. Quam epiſtolam cùm poſuiſſet iuxta ſimulacrũ, adfuit dæmon reſponſa poſcenti. Quod ille admirans, & dicens penes ſe, quòd Gregorius erat maior illo; clauſis ianuis fani, adijt Gregorium, & proſtrauit ſe ad pedes eius, rogans vt illi ſe Deo offerat, cuius virtute Gregorius Dijs gentium imperabat. Qui cùm inſtaret, catechumenus factus eſt ab eo; poſteà liberatus, & in tantum vitæ merito ac fidei virtute profecit, vt ipſe in Epiſcopatu Gregorio ſucceſſor exſtiterit. Ecce, dum Gregorium hoſpitem ſacerdos iſte profanus excepit, ſalutis ſuæ ſimul *Occaſionem* diuinamq; gratiam excepit hoſpitio. Vnde factum eſt, vt dignam tantæ hoſpitalitatis mercedem acciperet; de idololatriæ impietate, ad æterni Dei cultum tranſlatus; & de ſacerdote ſatanæ, Dei veri miniſter effectus.

Sed quid ſi ex abũdanti, & cum ſpeciali Lectoris venia, hîc planè contrarium exemplum adiunxero? Ita narrat illud Ælianus. Mitylenenſis quidam, nomine Macareus, ſacrificulus Bacchi, vultu quidem ſingularem præ ſe ferebat manſuetudinem & æquitatem; ceterùm, omnium hominum erat impijſſimus. Accidit quodam tempore, vt hoſpes ad eum veniret, & in eius fidem aliquantum auri deponeret. Macareus in receſſu templi, eruta terra aurum defodit. Interiecto deinde tempore, reuerſus hoſpes aurum repoſcebat. Quem cùm ille, tamquam reſtituturus depoſitum, in templum introduxiſſet, morte affecit: atque effoſſo auro, hoſpitem in eius locum impoſuit,

Ælian. var. hiſt. lib.13.

Hoſpitis infidelitas.

poſuit, & recondidit: ac quemadmodum homines, ſic etiam Deum clam eſſe arbitrabatur. Verùm euentus longè ſecus declarauit. Quare, paucis diebus exactis, triennalis Dei ſolemnitas aderat. Tum cùm ille magna celebritate diuinam rem obiret, atque in cæremonijs feſtalibus occupatus eſſet, duo filij eius domi relicti, patris immolationem ſacroſanctam imitabantur: accedenteſque ad aram paternam, ardentibus adhuc holocauſtis, iunior collum præbebat, adultior verò cùm inueniſſet æruginoſum enſem, fratrem, ad ſimilitudinem victimæ, mactauit. Familia conſpecto facinore, vociferata eſt. Mater audito clamore exſilijt: videnſque trucidatum alterum, alterum enſem recenti ſanguine conſperſum manu tenentem, arrepto ex altari torre, ſuperſtitem filium interfecit. Allatum eſt cædis domeſticæ nuncium ad Macareum, qui relicto ſacrificio, quàm potuit furentiſſimo impetu & iracundia in ædes inſilijt, atque tæda, quam habebat, vxorem interemit. Scelus in omnes homines euulgatum eſt, comprehenſuſque Macareus, & in tormentis examinatus, confeſſus eſt, quæ in templo quondam perpetrarat. In ipſis verò quæſtionibus vitam amiſit. Horrendum hîc diuino nutu pro violata hoſpitalitatis fide ſupplicium, tam deterret ab omni læſionis iniuria; quàm in præcedenti exemplo remuneratum hoſpitij munus, inuitat ad diligens hoſpitalitatis officium. Horribilis Dei vindicta.

Non fruſtrà igitur adoleſcentes iſti prudentes in hoc ſchemate, ex animo Cæleſtem nuncium, Tēpus, & Occaſionem, vt hoſpites gratos excipiunt; cùm (vt prudentem quemque in ſuo officio repræſentant) non ignorent, quanti referat, ſe erga tales hoſpites præbuiſſe humanos. Angelus, Tempus, Occaſio, & Dei donum, hoſpitũ inſtar excipiuntur.

D Dicit propterea vnus eorum TEMPORI; *Hoſpes gratus ades.* Sic & conſequenter reliqui, magna animorum exultatione profitentes, maximum compendium ex ipſorum tam felici præſentia exſpectandum.

Et verè ita res habet; nam tempore opportuno aptaque occaſione, diuina gratia duce, nihil optabilius; rem aliquam præſertim eximiam meditanti. Quantæ verò ſit miſeriæ, illis vel maximè optatis deſtitui, quis dicat? Hinc iſti dextras,

pacis, fidei, amoriſque teſtes, proferunt; præbentque ſe ad omne obſequium quàm promtiſſimos. Angeli è cælo tantum boni profectus & ſalutis ſtudium miro applauſu commendant; & quaſi protenſis corollis & præmijs, ad occaſionem tanti boni capeſſendam, animant vniuerſos.

Et quis neget, quin omnes (quotquot cum iſtis iuuenibus ſtudioſi ſunt occaſionis obſeruatores) hoc intùs ſentiant, quaſi quodam inſtinctu diuino, quod de Ionatha expreſſum legimus? *Vidit Ionathas, quia tempus eum iuuat:* vt & inuitabat occaſio. (1. Mach. 12)

Tunc proculdubiò tempus eſt, & animum excitandi, & manus ad opus extendendi, cùm illa, quæ ad facti opportunitatem pertinent, ſuo quaſi nutu & impulſu inuitare & incitare videntur ad agendum. Cùm enim (vt dicitur) tempus poſtulat & res; vel ignauus, vel ſtultus, vel malus ſit oportet, qui quod facto eſt opus, neglexerit. Ferrum ſiquidem dum cādet, cudendum eſt: vt & emollita igne vitrorum conficiendorum materia, expeditè formanda eſt, dum ſe præbet tractabilem. (Ferrum dū candet, cudendum.)

Sic & nautæ ſerenitate halcyonis indicio obſeruata, ſe ſtatim ad vela faciendum expediunt, de quatuordecim dierum tranquillitate ſecuri. Halcyon ſiquidem auis maritima, vt ſcribit Ambroſius, in arena & maris littore oua ponit, medio ferè hyemis. Et ſi antè vndoſum & tempeſtuoſum fuerit mare, ſtatim poſitis ouis ſubſidit tempeſtas, venti ceſſant ad ſeptem dies, tamdiu enim oua fouet: & iterum adhuc ſeptem dies miteſcit mare, quamdiu enutrit halcyon ſuos pullos. Hanc opportunitatem ſtudioſè obſeruant nautę, illoſque ob id dies; Halcyonidas vocant. Vnde & Plautus: Alcedonia ſunt in foro. Ob tranquillitatem ſcilicet & iuſtitium, ceſſante omni ſtrepitu forenſi. (*Amb. Hexam. lib. 5. cap. 13. De Halcyone.*)

ORA-

ORATIO V.

Pro vera cæleſtium donorum agnitione.

O *Mnipotens ſempiterne Deus, qui omnia in menſura, numero, & pondere diſpoſuiſti, & opportunum vnicuique rei tempus ordinaſti; mentes noſtras tua luce purifica, noſtrasq́ue voluntates ſtudio ſalutis accende; vt & cæleſtia tua dona cognoſcamus, & tempus ad omne opus bonum accommodum alacres acceptemus; quò fructum tantæ opportunitatis & gratiæ in cæleſti patria conſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*



A. *En tibi, care, mei magnum in te pignus amoris.*
Hoc ſi ſolicitè ſerues, et noueris vti;
Magnus eris quondam. B. *Grates ago Nympha perennes.*
C. *O præſtans donum, dono præſtantius omni!*
D. *In pretio ſint dona tibi: dein vtere iuxta*
Numinis inſtinctum, et Ductorum iuſſa tuorum.
E. *Scire volo ad quantos* OCCASIO *ducat honores.*
F. *Quilibet ergo ſuo fungatur munere.* G. *Faxo.*
H. *Ne dubita; mens iſta mea eſt, mens iſta meorum.*
I. *Angele, ſic noſtris vſque insidiabere lucris?*

Schematis 6. explicatio;

Quo, quàm alacres OCCASIONIS *commoda prudentiores amplectantur, oſtenditur.*

Schemat. 6. Cap. 1.

Liberalitatis ac remuneratæ hoſpitalitatis exempla, per OCCASIONEM.

QVEMADMODVM præcedenti ſchemate opportunam *Temporis Occaſioniſq;* obortæ præſentiam, ſub gratorum hoſpitum typo repræſentauimus; ita non inconuenienter hoc ſchemate beneficium vtilitatemque ipſorum, quando debito ſtudio excipiuntur, præſtantibus donis, quibus ſuos beant ornantque hoſpites, aſſimilabimus. Hoſpitalitas remunerata.

Proinde, ſicut ſub hoſpitij titulo impigram OCCASIONIS obſeruantiam ibi commendauimus; ita hîc fructum ex ſtudio eidem exhibito prouenientem, ſub nomine munerum, quæ ſuis hoſpitibus elargitur, exponemus. Occaſionis acceptæ commoda.

In primis illud Ariſtotelis in medium proferatur, quod toti iuuenum exhilaratorũ proſcenio ſeruiet, & ad munerum diſtributorum explicationem muniet viam. Nulla res, inquit, perinde parit gaudium, vt beneficentia. Verè ſe rem ita habere, quotidianus vſus demonſtrat. Cuiuſcumque etenim conditionis vel ætatis ſint homines, videas omnes ſtatim miranda geſtire lætitia, ſi munerum diſtributio liberalitate cuiuſquã oboriatur. Vnde fit, vt in maximis quacumque de cauſa iucunditatibus, publiciſque potiſſimùm gaudijs, ne quid ad tantæ rei deſit perfectionem, munera diſtribuantur, publica Liberalitas *Ariſtot. de diſput. Philoſ.* Munera.

 inſti-

inſtituantur conuiuia, dolia vini integra dapeſque in publicum liberæ exponantur, diſcique argentei atque orbes cum ipſis mappis, quandoq; è ſublimi in vulgus proijciantur, quin & pecuniæ vis non modica ab illis aliquando ſpargatur, quorum occaſione publica illa exultatio celebratur: vt lautia taceam hoſpitibus legatiſque olim præberi ſolita. Hinc in ſacra

Eſth. cap. 9. Scriptura legimus; quòd, cùm iam Aman Regis Aſſueri mandato ſuſpenſus eſſet, ſumtaque de hoſtibus Iudæorum condigna vindicta, feſtos dies egerint Iudæi præ communi lætitia; quos & ſolẽni ritu, vertente ſemper anno ſeruari mandarunt; eſſentque dies epularum atque lætitiæ. & mitterent ſibi inuicem ciborum partes, & pauperibus munuſcula largirentur.

Eſther 2. Quin iam anteà, cùm Eſther à Rege loco Vaſthi in reginam electa eſſet, poſuiſſetq; diadema regni in capite eius; *iuſſit rex conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus & ſeruis, pro coniunctione & nuptijs Eſther. Et dedit requiem vniuerſis prouincijs, ac dona largitus eſt, iuxta magnificentiam principalem.*

Quapropter & Apoſtolus, quando dicit, vnicuique noſtrûm à Chriſto datam eſſe gratiam, ſecundùm menſuram donationis Chriſti, etiam quomodo liberalitas illa, triumphi ipſius maximi non minima pars fuerit, oſtendit; cùm ita ex

Pſalm. 67. Regij Prophetæ concentu triumphantem proſequitur. *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Septiformem cum primis Spiritus ſancti gratiam, cuius è multis ſingularis eſt fructus, gaudium: deditque deinde inexhauſtum gratiæ multiformis theſaurum, quo dotauit Eccleſiam, matrem filiorum lætantem.

Epheſ. 4.

Præter exempla præcedenti ſchemate prolata, vberem hoſpitalitatis vtilitatem atteſtantia, alia hîc paucula, vt & ſequenti capite, licebit annectere, propter duorum horum ſchematum affinitatem.

Vidua Sarephtana. Hoſpitij occaſione vidua illa Sarephtana, Eliæ beneficio, longam rigidamque illam annonæ caritatem, famem, mortemque ſuperauit: demortui quoque filij vitam impetrauit. Quocirca & Elias innuens tantum beneficentiæ hoſpiti ſuæ

quodam iure deberi, ſic ait, dum pro filio eius Domino ſupplex deprecatur: *Domine Deus meus, etiámne viduam, apud quam ego vtcumque ſuſtentor, afflixiſti, vt interficeres filium eius? Reuertatur, obſecro, anima pueri huius in viſcera eius. Exaudiuit autem Dominus vocem Eliæ; & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit. Tulitq́ Elias puerum, & depoſuit eum de cœnaculo in inferiorem domũ, & tradidit eum matri ſuæ.* 3. Reg. 17.
Magnum verè beneficium, quia denuò ei filium dedit: & inſuper ad veri Dei agnitionem eſt hac occaſione adducta: dicens, *Nunc in iſto cognoui, quòd vir Dei es tu.*

Schemat. 6. Cap. 2.

Piæ hoſpitalitatis vtilitas, alijs adhuc exemplis illuſtratur.

MEritò huic alterum non multum abſimile, & quidem præſtantius adiungamus: in quo, & *Occaſionem* in hoſpite hoſpitio exceptam, & affluentem eius munificentiam quaſi in conſpectum adducemus. Et quia tam viuidè res iſta nos doctura eſt, quàm ſtudioſi Occaſionis & Diuinæ gratiæ exceptores eſſe debeamus, ipſam ſacræ Scripturę hiſtoriam ad verbum, non pigebit adiungere; quæ ſic habet: *Facta eſt autem quadam dies, & tranſibat Eliſeus per Sunam* (ciuitatem:) *erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, vt comederet panem. Cumq́ frequenter inde tranſiret, diuertebat ad eam, vt comederet panem. Quæ dixit ad virum ſuum: Animaduerto quòd vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter.* [Ecce occaſionis ſe non rarò offerentis obſeruationem; iam ſtudium in illa excipienda conſiderato.] *Faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum: vt cùm venerit ad nos, maneat ibi. Facta eſt ergo dies quædam, & veniens diuertit in cœnaculum, & quieuit.* [Ecce tibi accuratam diligentiam, ne quid deſit aut omittatur, quod ad rem faciat, quando tempus opportunum & occaſio

Munificẽtia per Occaſionem.

4. Reg. 4.

Mulier magna.

Hoſpitij fructus.

occaſio rei cuiuſcumque benè gerendæ, ſe offerunt. Iam verò fructum & vtilitatem *Occaſionis* arreptæ, velut hoſpitis grati beneficium ac munus, in eodem hoc exemplo obſeruemus.] *Dixit Eliſeus ad Giezi puerum ſuum: Voca Sunamitidem iſtam. Qui cùm vocaſſet eam, & illa ſtetiſſet coram eo, dixit ad puerum ſuum, loquere ad eam: Ecce, ſedulè in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis vt faciam tibi? Numquid habes negotium, & vis vt loquar Regi, ſiue Principi militiæ? Quæ reſpondit; In medio populi mei habito. Et ait; Quid ergo vult, vt faciam ei? Dixítque Giezi; Ne quæras; filium enim non habet, & vir eius ſenex eſt.* Beneficium ſuggerit, quod propter illius temporis rationem, futurum ſciebat longè gratiſſimum, & quouis pretioſo munere pretioſius; ſobolem ſcilicet, & auitum heredem. *Præcepit itaque vt vocaret eam: quæ cùm vocata fuiſſet, & ſtetiſſet ante oſtium, dixit ad eam; In tempore iſto, in hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in vtero filium.*

Maſculus fœtus, virtus, & vera conuerſio.

Neque hoc ſolùm beneficij retulit mulier tam hoſpitalis, ſed & eumdem filium iam grandeſcentem, nimioq; ſolis ardore exſtinctum, precibus eiuſdem ſui hoſpitis rediuiuum accepit. Itaque occaſionis benè acceptæ munificentiâ, & viuida facta, vt maſculum fœtum, in lucem producimus, & verè patramus; & quæ fortè caſu quodam collapſa fuerint, non minori cum fructu & gaudio, occaſionis obſeruatæ præſidio, reſtaurata recuperamus.

Rahab meretrix. *Ioſ.2.*

Rahab meretrix pro hoſpitalitate exploratoribus Ioſue in Ierichо præſtita, quaſi *Occaſione* cælitus miſſa, prudenter vſa, & ſibi ſuiſque omnibus in vrbis expugnatione vitam ſalutemque promeruit, & (quod caput eſt) habitauit cum parentibus & amicis in medio Iſrael; facta iam quaſi vna de cœtu populi Dei. Quis occaſionem etiam remotiſſima de cauſa velut peregrè aduentantem non libenter excipiat, cuius ope, & mortem euadat æternam, & cæleſtibus ciuibus inſeratur?

Ioſ.6.

Ipſe quoque Dominus noſter, in communi illo, causâ ſalutis noſtræ ſuſcepto hoſpitandi iure, in hoc mundo, monſtrauit apertè, quanti eſſet meriti venientem excipere. In propria quidem venientem, ſui, magno ipſorum malo, non receperunt:

perunt: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine eius.* Idipſum quoque poſtmodũ de ſe & Patre ſuo cæleſti promiſit: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit; & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, &* MANSIONEM *apud eum faciemus:* gratiam Spiritus ſancti multiplicem, tam charo ſuo hoſpiti multis aſſerens argumentis. *Ioan. 1.* *Ioan. 14.*

Æternæ quoque beatitudinis manſione gratiam hoſpitalitatis compenſandã ex ſacra Scriptura didicimus: iuxta Chriſti promiſſum: *Vt recipiant vos in æterna tabernacula.* Vnde Oneſiphorus Epheſius, diſcipulos Chriſti ſuſcipere ſolitus, ſic ab Apoſtolo Paulo benedicitur, vt dubitare non ſit, quin hoſpitalitatis officijs æternæ vitæ prẹmia ſibi compararit. *Det*, inquit, *miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, qui ſæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: ſed cùm Romam veniſſet, ſolicitè me quæſiuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire miſericordiam à Deo in illa die. Et quanta Epheſi miniſtrauit mihi.* O felix igitur Oneſiphorus, qui aliquando auditurus eſt optatiſſimam vocem illam vocantis Domini, ac dicentis: *Veni benedicte Patris mei, poßide paratum tibi regnum à conſtitutione mundi: hoſpes enim eram, & collegiſti me.* *Marul. lib. 1. cap. 3.* *2. Tim. 1.*

Martyrius vitæ honorabilis monachus (vt D. Gregorius narrat) leproſum quendam in via repertum vlteriùs progredi non valentem, pallio inuolutum in humeros ſuſtulit, & ad monaſterium quò tendebat benignè deportauit. Cumque monaſterio appropinquabat, Pater ſpiritualis eius loci magnis clamare vocibus cœpit: Currite, ac ianuas monaſterij citò aperite: quia Frater Martyrius venit, *Dominum* portans. Statim verò vt Martyrius ad monaſterij aditum peruenit, is qui leproſus eſſe putabatur, de collo eius deſiliens, & in nota Chriſti Saluatoris ſpecie apparens, ad cælum vidente Martyrio eſt reuerſus; eique aſcendens dixit; Martyri, tu me non erubuiſti ſuper terram; ego te non erubeſcam ſuper cælos. Ingreſſum in monaſterium rogauit Pater, Frater Martyri, vbi eſt quem portabas? Cui ille: Ego, ſi ſciuiſſem quis eſſet, pedes eius tenuiſſem. Tunc eidem Martyrius narrauit, quòd cùm eum Martyrius monachus. *D. Gregor. ſuper euãg.* *Videns Ieſus ciuitatem fleuit ſuper illã. Luc. 19.*

portaret, pondus eius minimè ſenſiſſet. Nec mirum, quomodo enim pondus eius ſentire poterat, qui portantem portabat? Cæleſti itaque manſione, terrenæ hoſpitalitatis officium compenſatur.

Schemat. 6. Cap. 3.

Malè exceptæ OCCASIONIS, *& inhoſpitalitatis punitio.*

Inhoſpitalitatis indignitas.

VErùm, vt appoſitu contrarij tam illuſtre munus hoſpitalitatis magis eluceat, & ex neglectæ occaſionis damno, fructus admiſſæ obſeruatæque meliùs innoteſcat; oculos, ſi lubet, in ingratos hoſpites, ſaltem obliquè & per tranſennam conijciamus; atque ab illis incipiamus, quos præcedenti capite attigimus, qui Chriſtum in propria venientem non receperunt.

Luc.2. *Matth.2.*

Vt etenim naſcituro nō erat locus in diuerſorio, & iam natus peregrinam regionem (Ægyptum ſcilicet) coactus eſt petere; ita vir factus à ſuis reiectus, excluſus, & non niſi in mortem quæſitus fuit. *Neque fratres quidem eius* (hoc eſt, amici & cognati) *in eum credebant.* Et communis Prophetarum exilij particeps, acceptus non fuit in patria ſua: & tandem in ſuis Apoſtolis, in fide, gratia, in ſacroſanctis Sacramentis, omnique ſalutis occaſione, quam verus Samaritanus in hunc mundum intulerat, indignè exceptus, perſecutione pluſquam hoſtili coarctatus, exploſus eſt.

Ioan.7. *Luc.4.*

Occaſionis contemtæ punitio.

Inhoſpitalitatis merita pœna.

Sed qua mercede tantam in immeritum immo optimè meritum excercuerint inhumanitatem, quis ignoret, qui excæcatam, extorrem, totique humano generi exoſam intereà Iudæorum gentem attenderit? Ita in figura ipſorum ſtultus ille Nabal, pro ſua inhoſpitalitate, & ingratitudine intoleranda, olim malè perierat. Dauid ſiquidem (non obſcurè Chriſti typum præ ſe ferens) ſuis militibus annonæ quidpiam ab eo poſtulaturus, occaſionem ad id optimam captauit, ipſique

Nabal ſtultus.

q̀ue Nabalo optabilem benè merendi tali facto præbuit occaſionem. At, verba ipſius audiamus,quibus inſtructos à ſe decem iuuenes, eam ob cauſam, ad illum delegauit.

Aſcendite, inquit, *in Carmelum, & venietis ad Nabal,& ſalutabitis eum ex nomine meo pacificè. Et dicetis, Sit fratribus meis & tibi pax,& domui tuæ pax,& omnibus quæcumq; habes, pax. Ex multis annis ſaluos faciens tuos, & omnia tua; audiui quòd tonderent paſtores tui greges tuos, qui erant nobiſcum in deſerto. Nūquam eis moleſti fuimus,nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiſcum in Carmelo. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi.* [Imaginare, Lector, te hîc audire *Occaſionem* cuncta opportuna narrantem,quò faciliorem mollioremq; ſibi ſternat viam, vt admittatur.] *Nunc ergo inueniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus* (Ecce temporis opportunitatem.) *Quodcumque inuenerit manus tua, da ſeruis tuis, & filio tuo Dauid.* Quid ſuauius, quid gratius, quid magis ad manum, quàm ſe ſponte inſinuantem amplecti occaſionem?

1.Reg.25.

Dies bona, opportuna.

At nunc ex aduerſo conſidera ingrati hoſpitis auſteritatem, ruſticitatem, pluſquam barbaricam inhumanitatem; talemq̀ue ſe arbitretur, quiſquis opportunam vt cælo demiſſam rectè agendi occaſionem, repulſam pati coëgerit; Gratijs ipſis licet indignātibus.Ita ſequitur in ſacra hiſtoria ſacri iſtius & reprobi Nabal. *Reſpondens autem Nabal pueris Dauid, ait; Quis eſt Dauid? & quis eſt filius Iſai? hodie increuerunt ſerui qui fugiunt dominos ſuos. Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum quæ occidi tonſoribus meis,& dabo viris quos neſcio vnde ſint?* Ecce ſtupiditatem hominis merè ingrati; & verè ſecundùm nomen ſuum, ſtulti, ex vltimis terræ finibus, & ſummo cælo petendam occaſionem faſtidientis. Quam niſi meliùs inſtructa, ſaniori mente, melioriq̀ue officio mox reſumſiſſet prudens eius vxor Abigail, iam actum erat de ipſo Nabal,totaque eius è pilo pendente familia.

Ingrati hominis ſtupiditas.

At,veluti ipſa communem domus calamitatem prudenter auertit, ita ipſe tam ingratus hoſpes non tulit impunè tam intolerandam indignitatem. Sic ſacræ teſtantur literæ: *Dilu-*

culo cùm digeßiſſet vinum Nabal, indicauit ei vxor ſua, verba hæc: & emortuum eſt cor eius intrinſecus, & factus eſt quaſi lapis.

Ita vindex eſt ſui ipſius ipſa mali perpetrati neglectæque occaſionis mordax conſcientia, iuſtaque metanœa. Neque tamen hic mali finis. *Cumq́; pertranſiſſent decem dies, percußit Dominus Nabal, & mortuus eſt. Quod cùm audiſſet Dauid, mortuum Nabal, ait; Benedictus Dominus, qui iudicauit cauſam opprobrij mei de manu Nabal, & ſeruum ſuum cuſtodiuit à malo: & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius.*

Sic inuenias hodie quoſdam, tam agreſtes præſtantiſſimæ rei & optimæ occaſionis contemtores, & econtrà noxiæ alicuius oblatæ cauſæ tam ſtudioſos amicos, vt meritò in illos famoſus ille Leoninus verſus intorqueatur:

Vngentem pungit, pungentem ruſticus vngit.

Ruffini triſtis exitus.

Ruffinus hîc pro exemplo in medium procedat. Tam ipſi ſe inſinuauit Occaſio, vt alienigena, magus, & humili loco natus, in Theodoſij imperatoris amicitiam perductus, ſummos conſecutus fuerit Conſtantinopoli magiſtratus: tam verò ingratus hoſpes, vt non niſi malum pro bono rependerit. Tam ſiquidem fuit improbus, vt auctor fuiſſe credatur, vt Theodoſius imperator præter conſuetudinem moremque ſuum, aduerſus Theſſalonicenſes crudeliſſimè, nullo habito delectu ſontium & innocentium, deſæuiret. Eò ſuperbiæ, eoq́ue prouenit arrogantiæ, vt generum habere conaretur Imperatorem: eò auaritiæ, vt præ nimia auiditate totum Romanum miſceret imperium; atque ad eius inuaſionem barbaris quibuſcumque oſtia patefaceret, immo & inuitaret, vocaret, atque etiam promiſſione compelleret, iniens cum eorum ducibus clandeſtina fœdera. Sed quàm condignis præmijs remunerata fuerit barbari ingratique hominis indignitas, Fortunæ ipſius auctoribus ſtruentis inſidias, & efferatas demulcentis nationes, docebit euentus.

Zoſimus lib. 5. Claudianus lib. 6. D. Hieron. epiſt. 3.

Cùm ſiquidem rebus omnibus (vt credebat) ritè confectis, quo tandem imperator à militibus acclamaretur, repentè ab exercitu circũdatus ita omnium gladijs haſtiſq; confoſſus

eſt,

eſt, vt ſingulis ferè ſingula partita Ruffini membra, pro trophæis cum pompa ab exercitu in vrbem ſint relata. Eminebat caput impoſitum pilo. Sed & iucundum afflicto populo Conſtantinopolitano ſpectaculum Ruffini dextra præbuit: quæ à milite ſecta, cùm ex ipſa ſectione nerui qui mouent articulos prominerent, ijſdem vel attractis, vel remiſſis, manus ipſa claudi poterat & aperiri, luduſque militi facta eſt, conuerſaque in ludibrium Ruffini rapacitatis: cùm miles eandem panſam tendendo, mendicare Ruffinum obolum dictitabat; oblatoque palmæ obolo, tractis mox neruis, attractis ſtrictiſq; digitis, eum à Ruffino auidè acceptum ſignificabat. Dextra Ruffini ludibrio habita.

Schemat. 6. Cap. 4.

Alia non impunè ſpretæ Occaſionis exempla.

IMprudenter & Hanon egit, qui legatos, honoris conſolationiſque gratiâ à Dauide rege miſſos, probris affecit, & cum ignominia exploſit, ſed non impunè: quod etiam malè tractatæ occaſionis ſpecimen refert non obſcurum. Sic enim legimus: *Factum eſt autem poſt hæc, vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnauit Hanon filius eius pro eo. Dixitq; Dauid: Faciam miſericordiam cum Hanon filio Naas, ſicut fecit pater eius mecum miſericordiam. Miſit ergo Dauid, conſolans eum per ſeruos ſuos, ſuper patris interitu.* [Ecce tibi occaſionem pacis & amicitiæ, omniumq; bonorum, quæ ex coniunctione animorum inter reges & principes oboriri ſolent, fores pulſantem, & quærentem hoſpitium.] Occaſionis neglectæ pœna. 2. Reg. 10. Hanonis ingratitudo.

At, quid accidit? num intrò recepta grataque fuit? Audiemus. *Cùm autem veniſſent ſerui Dauid in terram filiorum Ammon, dixerunt Principes filiorum Ammon ad Hanon dominum ſuum: Putáſne quòd propter honorem patris tui miſerit Dauid ad te conſolatores, & non ideò, vt inueſtigaret & exploraret ciuitatem, & euerteret eam, miſit Dauid ſeruos ſuos ad te?* O ingratitudinem! ô maleuolentiam! notate, obſecro, Occa-

ſionis optimæ ſiniſtram interpretationem, defectu iudicij & prudentiæ & exuberante nequitia. *Tulit itaque Hanon ſeruos Dauid, raſitq́; dimidiam partem barbæ eorum, & præſcidit veſtes eorum medias vſque ad nates, & dimiſit eos.*

Videre hîc eſt quaſi ſpectaculum in theatro mundi exhibitum Occaſionis opportuniſſimæ ludibrio habitæ, & vix eſt qui conſideret doleatque eius vices tam miſerandas, & tamen in caput vniuerſæ multitudinis redundantes. Vt enim ingratus hic hoſpes Hanon ſuæ ſtultitiæ pœnas dedit, bis ſtatim pòſt bello victus & ſubiugatus, ita grauiſſimæ ferè ſemper ſuperuenire ſolent poſt neglectam eiuſmodi occaſionem calamitates; ſed raró parumque animaduertitur vnde proueniant, ſicque fit in dies maior ac maior rerum optimarum iactura.

Si quis Thamnatha ciuitatis ciuiumque eius Philiſtinorum afflictionem commeritam his velit apponere, per me licebit. *Iudic.15.* Samſon. Illi ſiquidem Samſoni fecerunt iniuriam, parumque grati ipſi fuerunt hoſpites: pater enim nouæ nuptæ dedit eam alteri viro, Samſone ſecluſo. *Iudic.16.* Ita & ciues Gazæ durum ei præbuerunt hoſpitium: nam circumdantes eum, poſitis in porta cuſtodibus, tota nocte cum ſilentio præſtolati ſunt, vt facto mane exeuntem occiderent. Sed vtriſque ceſſit ex merito, & condignas violati iuris hoſpitij luerunt pœnas.

Ita obfuit, occaſionem non dignouiſſe neque obſeruaſſe. Sed notandum, quod in eiuſdem hiſtoria, dum parentes eius mirarentur, quòd vxorem Philiſthæam expeteret, additur; *Parentes autem eius neſciebant, quòd res à Domino fieret, & quæreret* OCCASIONEM *contra Philiſthijm: eo enim tempore Philiſthijm dominabatur Iſraeli.*

Id ipſi ita merebantur, vt occaſionem ſibi aduerſantem experirentur afflicti, qui tot modis oblatam in bonum, erant contemturi. Poterant ſiquidem & occaſione initi coniugij, & ſpontanei in Gazam ingreſſus, non ſolùm cum Iſraele meliorem inire gratiã, verumetiam hac Occaſione ad notitiam veri Dei peruenire. Sed nunc ad ſingulorũ iuuenum munera perſcrutanda accingamur; qua in conſideratione, vtilitatum Occaſionis benè acceptæ multiplicem diſtinctionẽ expendemus.

Schemat.

Schemat. 6. Cap. 5.

Munerum titulis, vtilitates OCCASIONIS *benè habitæ explicantur.*

A IN primis, prout OCCASIO in hoc ſchemate prudentibus iſtis probiſque iuuenibus varia diſtribuit munera, ita per hunc agendi loquendiq; modum oſtenditur, varia læta, vtilia, magnifica, ac ſalutaria per occaſionem ijs poſſe obuenire, qui eam diligenter obſeruarint. Munera ex Occaſione manantia.

B Exempli gratiâ, primo illi palmæ ramum in manus prębet: quo ſignificetur, non rarò alicui præclaræ alicuius victoriæ præſtare occaſionem, ſi cordi habeat, & manum adhibeat operi, priuſquam elabatur. Neque id tantùm in puerili palæſtra, aut virorum ludicris certaminibus, vel in ſerijs etiam belli grauiſſimi expeditionibus, à quibus totius Reipublicæ dependeat ſalus; verumetiam in illo maximi momenti conflictu, qui inter hominem iuratiſſimoſque animæ ipſius hoſtes quotidie exercetur. Palmę donatio.

Palma datur, dum victoriæ adipiſcẽdæ opportunitas à Deo confertur. Extende manum, vtere conceſſis, ne neglige; Deus facientem adiuuabit. Scimus apud Romanos palmam ſignum victoriæ eſſe ſolere: vnde & toga palmis intexta triumphatoribus obtingebat.

C Alteri turgens ære crumena, talentiſve euangelicis refertum marſupium, & ſimul roſarium, ſeu globulorum precariorum ſertum, pro dono cedit: quo innuitur, excellentem ſæpe magnis æquè & paruis occaſionem dari, cuius adminiculo ad diuitias, veras pręſertim ac ſpirituales, ad dotes animi raras, & ad lauream veræ pietatis ac virtutis emergant, ſi tam diuino munere ſe dignos effecerint: norintque opportunè ſequi, quò ipſa rei oblatæ anſa eos trahit, ſibique ipſi non deſint. Largitio.

Vnde ſiquidem aliqui ad tam eximias virtutum, eruditionis, ſublimitatis & gradus excelſi laudes euecti ſunt; niſi quia

conceſſa

conceſſa diuinitus temporis occaſioniſque ſeu perſonarum vt certorum talentorum opportunitate prudenter ſunt vſi? Non importunè eapropter in hoc ſchemate admonet Angelus, vt dona, hoc eſt Occaſionis datæ benignitas & copia, ſint ipſis in pretio, beneque vtantur. D

Scientiæ munus.

Tertiò liber in ſortem venit, quò ſatis manifeſtè declaratur, quàm fecunda frequenter alicui detur occaſio, non ſolùm vt ad variarum artium cognitionem accedat, verumetiam vt ipſa ſanctorum ſcientia, rerumq; cæleſtium notitia repleatur, modò eam non negligat. Adeò vt de ipſo dici poſſit, quod quaſi è redundanti promtuario proponit Sapiens: *Sapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conſeruabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit. Occulta prouerbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum conuerſabitur. In medio magnatorum miniſtrabit, & in conſpectu præſidis apparebit. Collaudabunt multi ſapientiam eius, & vſque in ſeculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enunciabit eccleſia.* E

Eccli. 39.

Scientia ſanctorũ.

Quid aliud eſſe dicas, cur aliqui ſanctorum in Eccleſia tam celebres præ doctrina effecti ſint, & interim alij in ſeculo tam ignari, vt pueri paruuli eos interdum ſuperent in rebus ſalutis ac fidei; niſi quòd illi datam à Deo, ſeu præceptorum obſequio, ſeu creaturarum mutarum auxilio, occaſionem ſedulò ſunt amplexati, iſti verò vel non captarint, vel obiectam quoque & obtruſam non curarint?

Sapientum mundi inſipientia.

Quid item cauſæ eſſe exiſtimemus, vt doctiſſimi quandoq; viri, qui omnes penè totius orbis euoluerint libros, in omni ſcientiarum genere ſint verſatiſſimi; & tamen cum omni ſuo ſtudio & labore viam vitæ non inueniant; nec in caput illud illúmve paragraphum vmquam inter legẽdum incidant, qui eos veram ſui Deique cognitionem edoceat: cumque omni ſua ſcientia, morte ſtultorum & morte peccatorum peſſima moriantur: aliqui verò, etiam tenuiſſimè in libris ſcientiiſque verſati, ſed inter arbores & bruta animantia degentes, in cælis

mente

mente conuerſati, adeò docti ac ſapientes euadunt, itáque veram animæ ſalutem ex omnibus hauriunt, atque ſi omnes libri, paginæ, apices, reſque omnes id expreſſiſſimè ipſorum auribus inſonarent. Vnde, inquam, iſta diuerſitas; niſi quòd illi, etiamſi in oculos & os eorum incurrat, inter legendum vel audiendum, ſcientiæ ſalutaris occaſio, non attendunt, os non aperiunt, & ſic non attrahunt ſpiritum: & quia non guſtant cæleſtia, faſtidiunt, & tamquam ad ſe nihil pertinentia tranſmittunt: iſti verò ex omni re & euentu ſemper eliciunt occaſionem proficiendi in melius; & Domino dante benignitatem, terra dat fructum ſuum. Ecce itaque neglectæ & benè habitæ occaſionis oblatæ diuerſitatem.

F Hortatur idcircò TEMPVS valdè appoſitè, vt quiſque benè ſuo fungatur munere. Sic enim communiter loqui ſolemus: Tempus monet, tempus exigit, poſtulat tempus, vocat hora, vt nimirum quod facto opus exſequamur. Diciturque ſimiliter ſuo loco, tempus vetare, non permittere. *Vtendum conceſſis.*

G Ille porrò, qui in orbem cæleſtem, quaſi præſtanti cratere ſibi propinatum, toto intendit animi deſiderio, & ſpe magna conijcit oculos, certò confidens ſe tam opima ſalutis occaſione regnum cælorum conſecuturum; omnium nomine fidem facit officij debitè præſtandi, in muneribus ab *Occaſione* receptis ritè expendendis. *Regni cæleſtis occaſio obuia.*

H Vltimo Crucis effigies, de qua Saluatoris noſtri figura dependet, beneficij loco conceſſa eſt: quo teſtatum redditur, magnam eſſe beneficentiam à Deo collatam hominibus, quando tam accommodum ſalutis acquirendæ theſaurum, tempus, & occaſionem, adepti ſunt. Meritoque ob id *Tempus gratiæ* appellatur: quod à Chriſti in carne aduentu, in nouiſſimum vſque diem decurrit. Quàm multæ nonnumquam alicui ad ſalutem & vitam viæ, ſi oblatam occaſionem non grauaretur admittere! *Crucis ſtudium ſalutare.*

Schemat. 6. Cap. 6.

Nulla occaſio, propriè dicta, cuiquam ad malum datur.

Damna occaſionis ad malum acceptæ.

OPeræpretium me nunc facturum ſpero, ſi occaſione tam vtilium munerum *Occaſionis* bonæ, deteſtandorum quoque munerum ſiniſtræ Occaſionis (quæ ſibi præter fas & æquum hoc nomen vſurpat) pericula oſtendero, & docuero fugam. In primis, nulla vmquam legitima ad malum occaſio eſſe homini poteſt. Ita teſtatur id Sapiens, à tempore omne malum excludens: *Nemini mandauit Deus, impiè agere: & nemini dedit ſpatium peccandi.* Ac ſi dicat: Omnia licita & honeſta, quin & indifferentia, modò vſum ſuum licitum habeant, ſimul cum bonis & vtilibus, vtcumque ſub præceptum cadunt, generaliter ſumtum: ſi qua verò horum præcipi quis inficiatur, ſpatium ſaltem eis cócedi, negare non poterit: quia mala non ſunt. Propterea dicit alibi idem: *Omni negotio eſt tempus, eſt & opportunitas.* A Deo ſcilicet conceſſa ad id exſequendum. Peccatum verò, vt quod ab omni hominis occupatione & negotio rebuſve gerẽdis excluditur, etiam ab omni tempore & opportunitate ſequeſtratur; quia Deus non mandauit cuiquam impiè agere: hoc eſt, nihil habet à Deo ſibi bona pace conceſſum, quo perpetretur: adeò vt ne quidem punctum temporis vel momentum occaſionis opportunum, ad peccandum cenſeri poſſit alicui attributum.

Occaſio ad malũ propriè nulla.

Eccleſ. 15.

Eccleſ. 8.

Tempus ad malum, nullum datur.

Eccleſ. 4.

Idcircò Sapiens alio loco monet: *Fili, conſerua tempus, & deuita à malo.* Nihil temporis ei concedendo, quia nihil ei debetur: neque vmquam ad malum occaſionem captando, quia numquam tibi iuſta peccandi præbetur Occaſio. Quòd enim communiter, & indifferenter, etiam in malis rebus, occaſio vocitetur, abuſus eſt: & apud Chriſtianos, ſpecies ei tantùm & exterior quædam Occaſionis apparẽtis delineatio eſt concedenda. Dum autem ita appellatur, hoc ſenſu fieri putan-

putandum eſt, vt illa temporis vel rerum occurrentium ad malum perpetrandum aptitudo & optata commoditas, dicatur occaſio: quia eumdem locum ſupplet in malo, quem in bono iuſta ſibi tuetur occaſio.

Hinc illud Menandri: Ad praue agendum, parua ſatis occaſio eſt. Vnde & natum creditur illud adagium: *Occaſione dumtaxat opus eſt prauitati.* *Menand.* *Horat. Epodôn 13. Ode.*

Proprium prorſus huic propoſito exemplum eſt, quando Semei tam plenus omnis mali fuit, vt minima tantùm opus eſſet occaſione, qua totum virus ſuum in alicuius caput effunderet: itaque Deus ei obtulit Dauidem, qui ex ipſius malitia econuerſo maioris meriti occaſionem eliceret. Itaque in illum, gurgitem maledictorum velut ſentinam copioſiſſimè euacuauit: adeò vt propterea diceret Dauid: *Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid.* hoc eſt: Quia certò erat malitiam ſuam in aliquem exerciturus, permiſit potiùs Deus, vt in eum exerceret, qui inde etiam fructum ampliorem colligeret. Occaſio iuſta non fuit; ſed malo ipſi præmeditato, conueniens quædam rei aptitudo. Semei ad nequitiam promtitudo. *2. Reg. 16.*

Ita fuit illegitima & ſiniſtrè accepta occaſio, quando Aaron & Maria ſoror eius, Moyſen probro iactauerunt, ob vxorem eius (vt inquit Scriptura) Æthiopiſſam; & ideò, quæ tam petulantis audaciæ caput fuerat, in lepram incidit, vt corporis morbo mentis vitium puniretur. *Num. 12.* Maria ſoror Moyſi.

Dictum illud Domini noſtri cum hac quoque quadrat ſententia, quando ſuorum carnalium amicorum ad malum paratam ſemper promtitudinem arguebat: *Neque enim fratres* (cognati) *eius credebant in eum. Dicit ergo eis Ieſus: Tempus meum nondum aduenit: Tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* Ita nocendi cupidi, ad minimam occaſionis vmbram, quam interdum & ſibi ipſi fingunt, parati ſunt lædere. *Ioan. 7.* Fratres Chriſti cognati.

Huc ſpectat illud Fimbriæ figmentum, iuſtæ occaſionis & cauſæ prætextu in M. Scæuolam excogitatum. Fimbria ſiquidem Romanus, omnium hominum audaciſſimus, vulnus quodam tempore Mutio Scæuolæ infiixit, volens eum trucidare, à quo tamen conualuit. Quod vt vidit Fimbria, ſe velle *Val. Max. lib. 9.* Fimbriæ in Mutium calumnia.

Scæuolam in ius vocare, ait, & accuſare. Quumque interrogaretur in quo eſſet eum accuſaturus, (qua de cauſa ſcilicet quave occaſione id meditaretur) reſpondit ſe obiecturum illi, quòd nimis parcè telum in corpus ſuum recepiſſet: qui tandem etiam Scæuolam occidit: quia homo ſceleſtus minima tantùm occaſionis ſpecie vel temporis aptitudine indigebat, vt facinus intentatum perpetraret.

Lupus ouē innoxiam culpat.

Ita lupus in ouem occaſionis prætextū quærens, innocuam ouiculam accuſabat quòd aquam turbaſſet ex qua ipſe biberet; cùm tamen illa in inferiori præterfluentis aquæ parte bibiſſet, lupus verò in altiori, ad quem ab ouicula lapſus aquæ ne fingi quidē poterat. Sic vulgò dicimus; Facilè fuſtem inuenerit, qui canem cædere voluerit. Sed de mala occaſione, (licet hoc nomine indigna) eiuſque deteſtandis muneribus, hoc eſt, de miſerando talis occaſionis exitu, aliquid ampliùs proferamus, nouo ad id capite adornato.

Schemat. 6. Cap. 7.

Occaſiones non captandæ ad malum, ſed fugiendæ: amplectentium verò vindictæ recenſentur.

QVia ferè error ille communis eſt, qui in munerum diſtinctione & acceptione committitur, ideò benè eſt diſcernendum inter occaſiones ſe offerentes, & munera illas comitantia. Idcircò non fruſtrà monet Apoſtolus: *Nolite errare, fratres mei dilectiſsimi: Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* (Iac. 1.) Inter hæc verò data & dona, ſicuti occaſionem quoque benè merendi ſalutemque operandi, cum fructu inde promanante, meritò collocamus; ita occaſionis in malum peruerſio, ars eſt fraudulenta diaboli; vt idem ait Apoſtolus: *Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens: ſed terrena, animalis, diabolica.* (Iac. 3.)

Non

Non hîc ago de ijs quæ nonnumquam caſu quodam per ignorantiam ſpecie quadam occaſionis eueniunt, ſed de arreptis ſtudio & voluntate nocendi. Alioqui non ſum neſcius fieri interdum vt aliquid oboriatur, quod per errorem pro occaſione iuſta vel veriſimili arripitur, & tamen reuera eius quod putabatur ſubeſt nihil. Ita Prętoriani milites olim, ludos in theatro ſpectantes, cùm arbitrarentur quendam ex commilitonibus, quem Auguſtus ab apparitore amoueri iuſſerat (equitum enim ordinibus, vbi ille conſederat, is debebatur locus) Auguſti iuſſu interfectum eſſe; coorto tumultu, parùm abfuit, quin Auguſtum interimerent. Sed remedio fuit, quòd is, quem interemtum putabant, incolumis repentè comparuit. Sic etiam Lartes Tolumnius, Veientium rex, cùm in teſſerarum proſpero iactu, per iocum colluſori dixiſſet, *Occide*: & fortè Legati Romanorum interueniſſent, ſatellites eius errore vocis impulſi interficiendo Legatos, luſum ad imperium tranſtulerunt; occaſionis ſpecie arrepta, quę verè nulla ſuberat. Verùm, vt dixi, de ſimilibus erroneis occaſionibus hîc non agitur; ſed de maleuolè conquiſitis captatiſque occaſionibus ad malum, nobis iam ſermo eſt.

Occaſiones erroneæ.

Fulgoſ. lib. 9. cap. 9. Prætoriani milites.

Fulgoſ. lib. 9. cap. 9. Ludus teſſerarum.

Occaſiones maleuolè acceptæ.

Eiuſmodi ſunt in ſpeciem effictæ mali perpetrandi occaſiones, quas ſuprà, Cap. 3. 4. & 5. ſchematis ſecundi in medium adduximus, & alia de cauſa in ſchemate nono ſumus adducturi: huiuſmodi ſunt, Iudæ captantis opportunitatem loci, temporis, perſonarum & rerum, ad Chriſtum tradendum, vt pacto condixerat. Item Seniorum Babyloniorum caſtitati Suſannæ ſtruentium inſidias. Iudæorum quoque quærentium anſam occidendi Dominum ſine ſtrepitu. Quæ, vti diximus, non ſunt vero nomine occaſiones, nec à Deo conceſſæ, nec quærendæ, neque acceptandæ dum ſe offerunt: quia dæmonis inſtinctu ita iſtæ opportunitates ſæpe adornantur, vt faciliùs gliſcat conceptum ſcelus, non niſi Deo tamen ita permittente.

Exempli gratiâ, ſtimulis libidinis quiſpiam quaſi œſtro percitus egreditur, viſurus num forte fortuna reperturus ſit explendæ cupiditatis occaſionem: obambulat, quærit,

circumſpectat, indagat, vt venator aut auceps, ſi fortè alicunde optata ſe offerat præda; quidni liceat opinari, diabolum ex altera parte alicunde excire leuiculam, quæ illi opportunè videatur occurrere?

Sic de alio, qui cædem, aut ebrietatem, aut rapinam animo voluit: & ſicut leo vel lupus circuit quærens quem deuoret, ita omnem illi mouent lapidem, captantque ex omni parte occaſionem, quod mente conceperint perpetrandi. Alioqui, vt ſæpe dixi, nec tempus, nec occaſio, nec opportunitas ad malum datur. Omnia ſiquidem (quod ſuprà meminimus) tempus habent: atque ita cùm peccatum nihil ſit, inter illa quæ ſunt, locum non habet. Inquantum enim actus eſt vel cogitatus naturalis, à Deo eſt; at inquantum peccatum eſt, à malo eſt, cui nihil vſquam iuris eſſe poteſt, neque in tempore, nec in loco, neque in vlla re alia.

Iniuria fit tempori, quando ad malum impeditur. *D. Thom. 1. Parte, quæſt. 10. art. 6.*

Quocirca, cùm pars vel minima temporis vel tempeſtiuitatis ad malum abripitur, iniuria (vt ita dicam) fit tempori, & per conſequens cæleſtibus corporibus; quorum motu, Dei ordinatione, tempus menſuratur (vt dicit D. Thomas, Tempus eſt in primo motu cęli, ſicut in ſubiecto, & primo menſurato.) Iniuria fit & ceteris creaturis, cum tempore à communi omnium Conditore productis.

Hinc futurum, vt quando omnium iuſta ratio reddenda erit, & creator omnium Chriſtus ad iudicandum venerit, vt de omni momento ſicut de omni verbo exigat rationem, pugnabit tum pro eo orbis terrarum contra inſenſatos: vt qui illo abuſi fuerint; & tempore atque creaturis ad ſalutem ipſorum factis ac datis, vſi fuerint ad ſuam ipſorum perniciem.

Occaſionis ad malum quæſitæ calamitas.

Munera verò & fructus ita ſumtæ occaſionis, nihil niſi maximam pariunt calamitatem. Iudas à dæmone poſſeſſus, proprijſque ſuſpenſus manibus, crepuit medius, & effuſa ſunt omnia interiora eius. Senes illi impuri lapidati ſunt, immortalem pro tentato flagitio referentes infamiam. Iudæi malè mulctati nota & plaga indelebili. Giezi puer Eliſæi auaritiæ ſatiandæ occaſionem obliquè arripiens, pro munere lepram Naamani contraxit. Ita quotquot alicuius peccati occaſio-

4. *Reg.* 4.

nem

nem ſe nactos exiſtimarunt, ſe ipſi fefellerunt; & more piſcium, eſcam è naſſa petentes capti ſunt, & ſuo malo ſapere docti. Sic Filius prodigus, cum ſui ſimilibus, luxurioſis ganeonibus: Epulo diues auarus, cum lurconibus: Ioab truculentus, cum homicidis: Aman faſtuoſus, cum ſuperbis: Phariſæi hypocritæ, cum ſimulatoribus. Et qualicumque vitio obſtricti, ad quod ſpecies aliqua occaſionis eos quadam opportunitate videtur allicere; omnes, niſi filij prodigi exemplo conuerſi fuerint, miſerandus manet interitus.

Schemat. 6. Cap. 8.

Occaſionis noxiæ euitatæ exempla, & pœna captatæ.

VErùm enimuerò, quemadmodum bona rei benè gerendæ occaſio, vel propter munera ipſa quæ largitur, & fructum inde prouenientem, eſt amplectenda; quis non videat ita, vel propter ſolum dolendum euentum, malam occaſionem aſpernandam eſſe? Occaſiones ad malum fugiẽdæ.

Occaſionem eiuſmodi explendæ libidinis habuit Ioſeph, ipſamet hera eum quæſita opportunitate captante; ſed euitauit, auerſatus eſt, eluctatus eſt, chlamyde quoque in ipſius manibus relicta. *Geneſ.* 39.

Occaſionem trucidandi Saulem, hoſtem iam factum, habuit non ſemel Dauid; ſed numquam arripiendam eſt ratus. 1. *Reg.* 24. *&c.*

Occaſionem peccandi habuiſſe Suſanna dici poteſt (qualem eiuſmodi captatores effingunt & optandam exiſtimant) quando oſtijs pomarij clauſis, ſola ab illis nefarijs iudicibus ad conſenſum poſtulabatur. Sed mortem elegit potiùs, quàm aſſentiri nequitiæ. *Dan.* 13.

Occaſionem tali ſpecie pictam habuerunt & Apoſtoli deſerendi Chriſtum, abeundique retrò cum reliquis, præ-

ſertim

ſertim quando rogabantur à Domino; *Numquid & vos vultis abire?* ſed neutiquam apprehendendam exiſtimarunt: Petro nomine omnium reſpondente; *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

Eiuſmodi, & quidem ſplendidas, ac velut benè comtas ſceleris audendi occaſiones, habuerunt omnes illi martyres & virgines, quibus honores, diuitiæ, regales nuptiæ, regna integra quandoque oblata ſunt; ſi modò in illicitum actum inflecti ſe ſiuiſſent, ſed mortem contemtis omnibus ſibi perſuaſere præferendam.

Itaque non ſunt vllo modo vanæ, fictitiæ, vmbraticæ, & prætextæ occaſiones ad vitij velamen apprehendendæ: ſed potiùs dicendum cum Seneca; Etiam ſi ſcirem Deos ignoſcituros, & homines ignoraturos; adhuc, propter peccati vilitatem, peccare dedignarer. Sicque ſentiendum faciendumq; conſtanter in omni genere peccati, cuius aliqua nobis offerri videtur occaſio. Eoque ſtudio & modo adimplendum eſt, quod de perfectè laudato homine dicit Sapiens; *Qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus: & facere mala, & non fecit.* Dum ſcilicet non ſolùm ſecretò, tutò, impunè, verumetiam cum laude & præmio peccandi occaſiones viſæ ſunt dari, & tamen eas non arripuit; quin omnibus eſt modis deteſtatus, ſolo conſcientiæ dictamine præmunitus; adeò vt nec Gygis annulus in Chriſtiani veri digitis locum vllum inueniat.

Seneca.

Eccleſ. 31.

Gygis annulus.

Errant eapropter grauiſſimè, qui quiduis ſibi licitum exiſtimant; vel poſt facinus quodcumque commiſſum, ſe immunes à labe arbitrantur, eò quòd percommoda patrandi facinoris occaſio ſe ſponte ſua videbatur offerre. Putant nempe ſibique perſuadent eiuſmodi homines, cum Holoferne, (quod ſuprà notatum eſt) turpe eſſe, & contra virilis animi exiſtimationem, ſi nacti vſquam opportunè mulierem, illa ex ipſorum manibus immunis abſcedat. Tales ſunt, qui iuxta S. Scripturæ iudicium, ex omni offerente ſe fonte vel aqua per viam bibunt: qui ad quamcumque proximi ſui vxorem hinniunt; & tam proſtitutæ caſtitatis mulieres, quæ ſub omni fronde vel arbore ſedeant, omni tranſeunti

Error cōmunis per occaſionē peccantiū.

eunti occaſionem præbent; quales ſunt venatrices illæ animarum, quæ quemlibet ſibi occurrentem adoleſcentem aut virum, quaſi ex voto, & optata mentis ſententia oblatam ſibi à Deo exiſtiment victimam. Dicuntque cum Terentio, In tempore veni, quod rerum omnium eſt primum. Et cum Plauto; Ipſa opportunitas non poterat mihi opportuniùs aduenire. *Terent.* *Plaut.*

Hinc fit, vt omnes qui per occaſionem peccant, per occaſionem quoque ſeſe excuſent, ſed fruſtrà. Nam, vt neque fructuum vetitorum pulchritudo nec ſerpentis aſtutia Euam, neque Euæ blandities Adamum, neque Dauidem viſæ Bethſabeæ lauantis adſpectus, neque alabaſtri profuſi fragrantia proditorem, excuſarunt: ita neque vel maximè obuia & quaſi è cælo demiſſa ad malum occaſio, prætexi poteſt malitiæ in commiſſi delicti excuſationem. Nam, vt neque Luciferi ceterorumque Angelorum apoſtatarum lapſus, ex nobilitate conditionis, & pulchritudinis excellentia, iuſtam ſumſiſſe potuit occaſionem; ita neque prætextu tam adulterinæ occaſionis, quiſquam à noxæ fœditate vel à pœnæ magnitudine præſumere debet excuſationem. Occaſio mali non excuſat à malo.

Porrò, quia hoc ſchemate de commodis *Occaſionis*, vt amplis hoſpitalitatis præmijs ac muneribus egimus, & beneficij tanti occaſione de ſiniſtra quoque occaſione eiuſque incommodis quædam adiecimus; ſi fortè quis munerum tam odibilis occaſionis, hoſpitio apud ſe imprudenter exceptæ, fructum inuiſum vno adhuc exemplo velit deguſtare, vt magis ab illius conſuetudine diuertatur: fabulam illam de Mida à Poëtis confictam tantum opus eſt intueri. Vt ſiquidem auarus is erat, percommodam fouendæ explendæque illi ingluuiei occaſionem ſe nactum arbitrabatur, cùm Liberum hoſpitio excepiſſet. Pro hoſpitalitatis itaque officio, quodcumque poſtulaſſet impetrauit; vt nimirum in aurum verteretur quidquid attingeret. Quis vberiorem tali occaſione exſpectaret hoſpitij remunerationem? ſed quid accidit? Huic felici miſero & eſca & potus, dum ſumendo contingebat, in aurum verſa, necem pro vitæ incolumitate, ac pro Occaſionis in malum arreptę digna punitio. *Ouid. Metam. lib. 11.* De Midę ſtulto voto Auaritię pœna.

P beati-

beatitudine miſerandum exitium erant allatura; niſi Pa-
Rom.6. ctoli profluuio ablutus diſcrimini ſe eripuiſſet. Sic *ſtipen-
dia peccati, mors*, inquit Apoſtolus. Ita ſpecioſa illa confictæ
ad malum occaſionis amœnitas, poſtea in maiorem tormen-
Horat.1. epiſt. ad Lollium. ti acerbitatem, iuſto Dei iudicio, commutatur. Impletur-
que illud Poëtæ: *Nocet emta dolore voluptas.* Illudque S. Scri-
Apoc.18. pturæ: *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit: tantum da-
Luc.16. te illi tormentum & luctum.* Ita Diues epulo in illis maximè
fuit cruciatus, quæ vtcumque ei optatam dederant peccandi
occaſionem; quales erant diuitiæ, veſtes ſplendidæ, epulæ,
amici, fauor hominum, & otium cum Cornucopiæ.

Reſtat ſub finem, vt in frementis frendentiſque diaboli I
impotentiam oculos conijciamus, prout in ſchemate depin-
gitur. Vt, quàm illum grauatè ferre cognoſcimus Angeli
boni ſtudium, almæ *Occaſionis* hoſpitio exceptæ munificen-
tiam, & ritè donis vtentium incrementum; tam nos auidè ad
hæc omnia mentem aduertamus, & fruamur conceſſis.
Neque tamen ob id quidpiam de vigili ſalutis noſtræ cura
Gregor.4. Moral. remittendum: quia (vt inquit D. Gregorius) diabolus quò
valentiùs vincitur, eò adhuc ad inſidias ardentiùs inſtigatur.
Idemque expulſus, acriores conatur infligere ſtimulos. Quo-
circa, gaudendum quidem pro parta victoria, ſed ſeriò de no-
uo conflictu cogitandum.

ORA-

ORATIO VI.

Vt cæleſtibus donis ſincerè vtamur, ijſque reſpondeamus.

DEus, à quo bona cuncta procedunt, qui & cunctis tibi placere volentibus infinitas de te benè merendi occaſiones elargiris, vberemque tam ſalutaris ſtudij progignis effectum: Da nobis, quæſumus, in hoc opus gratiam ſingularem, vt tantæ beneficentiæ grati æſtimatores, omnibus tuis datis & donis ad maiorem tui nominis gloriam, & ſalutis noſtræ profectum ampliorem, vti valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

DVM TEMPVS LABITVR, OCCASIONĒ FRONTE CAPILLATĀ REMORĀTVR. 7.



A. *Nunc opus eſt alios Terrarum inuiſere tractus,*
Et Iuuenes alios. Moniti vos ergo valete.
B. *Quis ſubitæ calor iſte fugæ?* C. *Quin ſi fuga tandem*
Certa tibi eſt; pennas ſaltem Dea calua fugaces
Siſtat adhuc. D. *Cur tot nequidquam verba per auras*
Perditis? hinc aliò, mora nulla, recedo; valete.
E. *Aufugiat? ſparsos potius pro fronte capillos*
Arripite. D. *Ai! ſine, ſponte ſequar; veſtriſq; morabor*
Ædibus, ad iuſtam donec perduxero metam.
F. *Laudo animos, nam vi cogi* DEA *gaudet amicâ.*

Schematis 7. explicatio;

In quo, dum TEMPVS *labitur,* OCCASIONEM *fronte capillatum prudentes remorantur.*

Schemat. 7. Cap. 1.

Quomodo fieri poſſit, vt tempore præterlabente, occaſioni tamen mora inijciatur.

HOc iam ſchemate Lectori ſpectatorique ob oculos ponitur, TEMPVS, tametſi diligens eius ratio habeatur, ſemper tamen præterlabi, itaq; auolare, vt nequeat ſtabile retineri, neque elapſum reuocari. Occaſionem verò, tametſi fugam ſuo quoque modo minetur (præterit ſiquidem non remorata) ſiſti tamen illius fluxum, ſi per ſedulam apprehenſionem illi remoram & quaſi manus inijciamus. Sic enim fit, vt per frontem capillatam capiatur, dum illam arripimus quando ſe primùm offert: quemadmodum præcipuam OCCASIONIS ſic depingendæ rationem in Præfatione docuimus, & prima fronte res ipſa teſtatur. Tempus retineri nō poteſt.

Itaque hoc ſchemate, de temporis fluxu & occaſionis remora, primariè nobis eſt diſſerendum. Attamen tacitæ priùs obiectioni reſpondendum eſt; Quare iam primùm ſchema iſtud auolantis temporis, retentæque per frontem occaſionis inducamus, cùm potiùs primo ipſorum ingreſſu videatur id debuiſſe exhiberi? Ingenuè fateor, potuiſſe ita fieri: at, vt aliqua ſubſit ratio faciendi ſicut iam dicitur, tamen aliæ præſtantiores ſuppetere viſæ ſunt, quæ ſuaderent ita potiùs fa- Occaſioni ſe offerēti remora inijcitur.

ciendum, ſicut iconum & ſchematum ordo præ ſe fert.

Quia in officioſa illa tam gratorum hoſpitum exceptione, ſchemate quinto adornata, ſatis apertè illa demonſtrantur quæ in primo occaſionis aggreſſu dicuntur obſeruanda: vt ſunt, attentio, ſtudium, ſedulitas, obſequium, apprehenſio, & in vſum deductio; quæ omnia iuuenes illi probi prudenteſque, in ſchemate quinto & ſexto, ex animo & re ipſa profitentur.

Humanitatis itaque plenum officium, promtumque erga tempus & occaſionem obſequium illic exhibitum, abundè ſatis illud re expreſſerunt, quod communiter dicitur, *Occaſionem* prima fronte apprehendendam: re inquam præſtiterunt quod typo conſulitur. Cùm verò non ita commodè, fugæ quoque periculum, eodem illo ſchemate potuerit exprimi; quid obeſt, hîc iam illud (licet quaſi poſtliminio) figurare? Sit igitur hoc ſchemate præcipuum nobis ſtudium, ſuis adumbrare coloribus, & temporis fugacitatem, & occaſionis retentionem, iuxta typi proſcenium.

Alter tamen adhuc nodus primùm ſoluendus eſt, Quomodo tempus auolare fingatur & occaſio retineri, cùm nihil fiat ſine tempore: atque ita, cùm ad moram præſentemque occaſionis vſuram tempore ſit opus; videaturque neceſſariò, apprehenſa iam occaſione ne elabatur, etiam tempus ſiſti eadem opera, ad illam in actum deducendam, quod ſine tempore fieri nequeat; quomodo fingimus *Occaſionem* ſiſti, & fugere tẽpus. Addo, quòd ipſa *Occaſio* nihil aliud ſit quàm temporis opportunitas, & tempeſtiuitas ipſa, vel rei alicuius certa temporis parte opportunus euentus ad aliquid agendum; vt nec occaſio ſine tempore, nec remora occaſionis citra temporis moram, neque vſus illius abſque temporis vſura, (quæ in productione conſiſtit) eſſe poſſe videatur.

Difficilior ex ipſo proponendi modo prima fronte videtur obiectio, quàm reuera ſit, quando vel minimum introſpicitur; quemadmodum non dubito, quin iam ipſe per te, Lector, aſſequeris. In primis, certum eſt, benè recteque fingi, pingi, dicique tempus auolare, neque vllo poſſe modo retineri, iuxta

illud

illud Senecæ: Fluunt omnia, & in aſſidua diminutione ſunt corpora noſtra; rapiuntur fluminum more. Quidquid vides, currit cum tempore homo: fluida eſt materia, & caduca, & omnibus obnoxia caſibus. Cicero verò vicinius noſtro propoſito, ſic ait: Horæ cedunt, dies, menſes, anni: nec præteritum tempus vmquam reuertitur; nec quod ſequatur ſciri poteſt. Vtque canit Ouidius: *Seneca epiſt. 67.* *Cicero pro Marcel.*

Tempora labuntur, tacitiſq́; ſeneſcimus annis; *Ouid. 6. Faſt.*
Et fugiunt fræno non remorante dies.

Item: ——— *Eunt anni, more fluentis aquæ.* Aquę fluxui tēporis fluxus cōparatur.

Item: *Nec quæ præterijt curſu reuocabitur vnda,*
Nec quæ præterijt hora redire poteſt.

Item: *Et fugit intereà, fugit irreparabile tempus.*

Auolat itaque irreuocabile tempus; & tamen ad occaſionis moram, obſeruationem, & vſum, opus eſt tempore; viderurque propterea, vt ſuprà meminimus, occaſione retenta, tempus quoque retineri.

Diſtinctione temporum hîc ſolum eſt opus, præteriti, præſentis, & futuri. Sicut enim occaſio, ſi negligatur, cum illa temporis opportunitate præterlabitur: ita ſi eam arripueris; retines, in vſum adducis, tecumque ſaltem in fructu atq; muneris vtilitate cogis commorari: tempus verò licet pro parte illa, quæ occaſionem inducebat, prætereat, (neque enim præſens vmquam teneri neque pręteritum reuocari poteſt) aliqua tamen ſemper ſui parte adeſt, quantum ad tam opportunæ occaſionis tam aptè apprehenſæ vſum opus eſt.

Tempus enim ſemper vtenti ſuppetit: nam etiamſi ſemper præterlabitur, tamen continuo partium ſucceſſu perſeuerat. Atque vti quod modò præſens erat, nunc præteritum eſt, ita interim quod futurum erat factum eſt præſens, ſicque illæ tres temporis partes inceſſanter ſibi mutuò ſuccedentes efficiunt, vt & tempus ſemper tranſeat, & ſemper tamen ſit præſens, diuerſarum ſcilicet partium reſpectu. Itaque non eſt quòd quis metu deficientis temporis occaſionem oblatam omittat arripere, quare occaſione capta, tempus vtendi numquam eum deſtituet, ſi ipſe non deſit ſuo muneri. Tempus pręſens, pręteritū, & futurū.

Quem-

Quemadmodum namque aqua in flumine, quæ præterlapſa eſt, nequit reuocari, ſed interim dum illa, quæ modò præſens erat, præterfluit, ita interim quæ inſtabat, accedit, & fit præſens; vt numquam in profluenti deſit aqua volenti haurire, vel alia ratione illa vti. Vnde & vulgatum dictum eſt de rebus eiuſmodi communibus: Non prohibendum, aquam haurire profluentem: neque ignem ab igne accipere; aërem ore attrahere, publica via incedere &c. Quod Ennius apud Ciceronem allegauit.

Ennius Cicer. 1. offic.

Nam in ſimilibus accidit illud, quod iam nunc de continuo temporis fluxu protulimus. Vt enim temporis parti ſuccedit pars altera, & altera huic (iuxta Ariſtotelem, Inſtans eſt principium futuri & finis præteriti) ita in aqua fluminis, flamma ignis aut candelæ, & in aëre faucibus follibuſve hauſto, vel alia ratione impulſo & præteruolante.

Ariſtot.

Schemat. 7. Cap. 2.

Quia tempus ſemper labitur, ſemperque eſt præſens, idcircò captanda opportunitas.

TEmporis vt aquæ aſſiduum fluxum, aſſiduamque quodam ſenſu præſentiam, eleganter appoſiteque deſcribit Ouidius, hiſce verſibus.

Metā. 15.

Cuncta fluunt, omniſq; vagans formatur imago.
Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu,
Non ſecus ac flumen. Neque enim conſiſtere flumen,
Nec leuis hora poteſt: ſed vt vnda impellitur vnda,
Vrgeturq; eadem veniens, vrgétque priorem;
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterq; ſequuntur:
Et noua ſunt ſemper. Nam quod fuit antè, relictum eſt,
Fitque quod haud fuerat; momentaq; cuncta nouantur.

Clariſſimè hîc ſingula diſſoluuntur quæcumque dubium aliquod initio parere poterant, quomodo & tempus ſemper effugiat, & tamen cum occaſione retenta retineri ipſum quoque

que intelligatur: diuerſarum ſcilicet partium conſideratione.

Verùm, quandoquidem potiſſimùm hîc de temporis volubilitate diſſeritur, quatenus ſecum opportunitatem adducit, quam *Occaſionem* vocamus; tam neceſſariè de temporis illius ſpatio, tantiq; momenti portione benè obſeruanda ne elabatur, nobis eſt agẽdum, quàm de ipſa Occaſionis ſtatim apprehendendæ cura, ne ſupinos indignata prætereat. Nam, tametſi dixerimus, itáque res habeat, tempus vt labatur, ſemper nihilominus aliqua ſui parte (more fluentis aquæ) ſuppetere; quid tamen illud nobis eſt profuturum, ſi illam temporis particulam, qua ſe occaſio offerebat, incurij neglexerimus? Quemadmodum enim tunc occaſio neglecta pertranſit, neque arripi auerſa poteſt, vt quæ in occipite calua ſit; ita præterit ſimul opportunum illud tẽporis ſpatium, non reuocabile: neque quod ſequitur, elapſa illa tempeſtiuitate nos poteſt iuuare, ad rem illam agendam, quæ tali tempore talique occaſione erat facienda. Temporis ratio habenda.

Inſuper, ſicut omnia certo modo & ordine, à certis hominibus, certiſque vt plurimum inſtrumentis debent confici; alioqui, vt eſt in prouerbio, inuita Minerua, vel inuito Marte, fruſtrà attentatur; ita & aptum rei illi peragendæ tempus æquè eſt neceſſarium. Quid mirum igitur, æquè aduigilandum, ne tempus opportunũ negligatur, quàm ſedulò curandum ne quid rerum neceſſariarum deſit operi faciundo? Idque conſtat, quod & aliàs attigi, in ædificatione, agricultura, nauigatione, emtione, regimine, bello, pace, ſalutis cura, & omnibus denique ritè procurandis. Opportunè omnia facienda.

Ridiculus ſit, qui littus aret, vel in aquis ſeminet? ſit & ridiculus, qui in bono ac fertili ſolo, ſed intempeſtiuè id faciat. Rideas aëra verberantem? ridebis & ſtringentem gladium, quando nec tempus nec permittit occaſio; vtpote inter amicos, nulla ſubſiſtente cauſa ferri eximendi. Exſibilandus, qui arenâ loco pulueris ſulphurei tormentũ impleat? explodatur & is, qui nulla ſuppetente materia bombardam exploſerit. Cerebro imminuto cenſebitur, qui cribro aquam hauſerit? non magis ſapere exiſtimes, qui temporis opportunitate neg-

lecta, velit importunè & intempeſtè quidpiam aggredi: veluti etiam quiſquis omittere occaſionem voluerit, quando tempus & opportunitas ſuaſerint arripiendam. Vtrobique enim eadem eſt culpa; facere aliquid citra temporis proprij commoditatem, vel idipſum negligere, quādo datur occaſio.

2. *Tim.* 4. Importunè quomodo.

Quod Apoſtolus Timotheum monet importunè quoque peccatores ſubinde arguendos, inſtandumque; noſtro potiùs propoſito conſentit quàm aduerſetur: nam quod importunum videtur admonito, illud monenti reique ipſi cenſet Apoſtolus opportunum: ſicque *vexatio dat intellectum*, quæ tamen patienti numquam opportuna iudicatur.

Iſa. 28.

Schemat. 7. Cap. 3.

Temporis fugacitati incunctanter inuigilandum.

Tempori inuigilandum.

DE temporis itaque fugacitate, eiuſque ob id diligenti ratione, maximè quantum illud occaſionem in opportunitate attingit, eique indiuiſè connexum eſt, nunc paucis agamus; & tum ad *Occaſionis* remoram animum manumque applicabimus.

Occurrit in primis Eccleſiaſtici ſententia, quæ ſcopo noſtro ſuffragatur. *Non defrauderis à die bono, & particula bonæ diei non te prætereat.* Quaſi dicat, attende, ne te quidquam impediat, quo minùs diem bonum benè impendas: quia tali pacto fraudareris illo tempore ad bonum tam accommodo. Immo tanta animi contentione ſingula momenta talis diei temporiſque obſerua, vt ne punctum quidem tibi pereat, ſine fructu præterlabendo. Vt ille ſuo modo dicebat;

Eccli. 14.

Diſtich. Fauſti Andrelini.

Nulla dies abeat, niſi linea ducta ſuperſit:
Non decet ignauum præteriſſe diem.

Quapropter valde patheticè quidā ſic torpentem exſtimulat:

Tempus it, I; quid? ſtas? fors cras te abdet tumulo mors.

Hoc eſt, quod Dominus ipſe admonebat, & exemplo mouebat

uebat ad opus. *Operamini dum dies eſt; venit nox, quando nemo poteſt operari.* Item, *Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.* Sicut enim ſator, meſſor, viator, operarius, miles, mercator, & quiſquis aliquid operis prę manibus habet, diei, luminis, ſique res aliud poſtulet, temporis opportuni exactam habere debet rationem; ita ſe ſemper ad alacritatem, vigilantiam, & promtitudinem debet excitare; maximè cauendo ab oſcitantia, torpore, incuria, & tarditate in agendo; quæ, vt occaſioni datæ, ita felici quoque ſucceſſui ſunt inimiciſſima. Vnde illud Lucani; *Nocuit differre paratis.* Periculum eſt in mora. *Simon dormis? Surgite, eamus. Vſquequo piger dormies? Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Quid ſtatis hîc tota die otioſi?* Et illud Sunamitidis ad puerum ducentem aſinam, cui ipſa mœrens inſidebat: *Mina, propera.* Item, *Vigilate: Viriliter agite. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Et ſimilia infinita; quibus ad agendum quod agimus exſtimulamur.

Io an.9. *Io an.12.* *Lucan.li.2.* Mora in omni expeditione odioſa.

Hinc fruſtratæ ingreſſu cæleſti virgines illæ imprudentes, quia falſæ fuerunt nimia ſua ſecuritate: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum Chriſto ſponſo ad nuptias æternas.

Sic econtrà niſi feſtinaſſet Abraham, & niſi acceleraſſet Sara vxor eius, non poterat optatum hoſpitalitatis officium Angelis præſtitiſſe, quos non niſi maximis precibus tantiſper fuerat remoratus. *Geneſ.18.*

Ita quoque niſi feſtinaſſet Rachel, in tanta ſæuientis patris acceleratione, nequiuiſſet tempori occultare idola paterna argentea, quæ fugiens meritò & prudenter abſtulerat. *Geneſ.31.*

Niſi feſtinaſſet Dauid, quaſi tempore & occaſione vrgentibus, dum gigas ille terribilis ſurrexiſſet, & aduerſus eum propinquaret; non benè omnes numeros ſuæ expeditionis adimpleſſet: defuiſſet ſibi, rei gerendæ, totique Reipublicæ ab ipſius euentu dependenti. *1.Reg 17.*

Si non feſtinaſſet Abigail, vt ſuprà retulimus, tempori non veniſſet ad placandum Dauid, qui iam tunc internecionem toti familiæ Nabal erat interminatus, accinctuſque ad facinus properabat. Quantumque fuiſſet in mora periculi, non *1.Reg.25.*

 celauit

eclauit eam Dauid, dicens: *Viuit Dominus Deus Iſrael; Niſi citò veniſſes in occurſum mihi, non remanſiſſet Nabal vſque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.* Hoc eſt, ne quidem canem vnum viuum reſeruaſſem.

Accelera-tio, & dila-tio, pro re nata.

Si in hac heroina, & moræ tempeſtiuæ prudentiam, & accelerationis accommodatæ opportunitatem, pro occaſionis imperio æquè ſapienter vſurpatam, exempli gratiâ, lubet animaduertere; videte, quomodo maritum ob indignam Dauidis repulſam increpitura, occaſionem captans, moram nexuit, expectauitque vſque mane, donec crapulam, qua ſe ille enormiter oppleuerat, edormiſſet. At interim, vbi opus feſtinato, vrgente iam occaſione, egit quod res præſens poſtulabat: aſſumtis inemtis dapibus, accelerato comitata famulatu; præceptis animo efficacibus verbis; ardens voto placandi commotum; hoc vnum tota mente voluebat, quod præſens illa rei temporiſque neceſſitas citra omnem moram agendum conclamabat. Mora vſa, vbi tempus ita poſtulabat; vbi verò properandum, accelerabat: occaſione vtrobique, diuerſo licet modo, prudenter obſeruata: ſicut fræno nunc remiſſo, nunc adducto, prout expediuit.

Iudith 14.

Niſi exactam ſimiliter ſurgentis auroræ opportunique momenti rationem habuiſſent Bethulienſes, iuxta Iudith inſtructionem, res tanta tam feliciter eouſque deducta, ſperato caruiſſet euentu. Ideoque, mox vt ortus eſt dies, *ſuſpenderunt ſuper muros caput Holofernis: accepitque vnuſquiſque vir arma ſua, & egreſſus eſt cum grandi ſtrepitu.* Vir non eſt, qui arma non capit, neque facit quod vult *Occaſio.*

Feſtina lentè.

Videndum tamen, ne prudentia in feſtinatione deſideretur; ſerueturque hoc dictum vſitatum vulgo, *Feſtina lentè*, hoc eſt, adhibita cura, ne ipſa acceleratio præpropera moram pariat: vt experimur, quando nimis properè aliquid legere volumus fit vt per hæſitationem & repetitionem plus temporis impendamus, quàm ſi moderatè feſtinaſſemus. Fitque eo pacto non raro immaturæ occaſionis ſtudium cauſa inopinati ſucceſſus.

D. Marti-nus.

D. Martinus aurigæ cuidam per viam petenti, an ea veſpera Lute-

Lutetiam peruenire poſſet, prudenter & prophetice reſpondit: Si feſtines, excluderis; ſin lento paſſu incedas, vrbem hoc veſpere ingredieris. Auriga indignabundus, tamquam à ſancto viro irrideretur, currum concitato impetu agere cœpit. Rotâ igitur fractâ impeditus, Lutetiâ excluditur; ac verum S. Martini præſagium fuiſſe re ipſa cognouit.

Verùm enimuerò, ratio vbique prę̨ualere debet & ἐπιείκεια, vt neq; citra illam accelerandum, ita illa vrgente nequaquam cunctandum eſt. Vnde rectè Cicero, in Oratione contra Antonium: His alijſque, inquit, omnibus de cauſis, conſulo vobis ego, ne cunctemini, aut rem extrahatis; ſed bellum ei quamprimùm inferatis, id cogitantes, plura negotia *opportunitate Occaſionum*, quàm viribus eſſe rectè confecta. Qua *Occaſione* vobis vtendum eſſe vel maximè ex hoc ipſo intelligere poteſtis, quòd numquam ego belli vobis ſuſcipiendi auctor fuiſſem, niſi id vobis ex vſu futurum cenſuiſſem. Ita Orator. *Cicero in orat. contra Antoniũ.*

Schemat. 7. Cap. 4.

Celeritate vtendum, quando vrget opportunitas, exemplis elucidatur.

QVantum in celeritate momenti ſit poſitum, dum ita res ferunt, natura quoque ipſa in piſcibus demonſtrauit. Vtraque pars in piſcibus, (inquit Ambroſius) armata eſt dentibus, quia in aqua ſunt: ſi namque diutiùs cibum verſarent, & non citò tranſmitterent, aquarum alluuione de dentibus eorum eſca poſſet auferri ac dilui. Ideò denſos & acutos habent, vt citò incidant, citò conficiant, cibum facilè & ſine aliqua mora & dilatione tranſmittant. *Hexam. li. 5. cap. 5.* Accelerationem piſces docent & hirundines.

Quare arbitramur etiam hirundines tantæ eſſe celeritatis, tamque crebris inflexionibus adeò eſſe agiles, niſi quia ita cogit docente Natura neceſſitas, & occaſionis nullò modo prætermittendæ lex eis innata. Volucrum (inquit Plinius) ſoli *Plin. li. 10. cap. 24. & 45.*

 hirun-

hirundini flexuoſi volatus, velox celeritas. At quam ob cauſam ? addit. Hirundo ſola auium non niſi in volatu paſcitur. Ecce, niſi ita natura prouidente captaret temporis opportunitatem, eſcam quoque non captaret, quia alioqui lento alarum ſtrepitu præmonitæ muſcæ culiceſque in aëre volitantes ſe à roſtris hirundinum tempeſtiuè ſubducerent.

Eccli 36. Hoc ipſum diligentiæ & agilitatis ſtudium nobis Scriptura commendat: *Feſtina tempus, & memento finis.* Ac ſi dicat; Statim atq; ſe tempus opportunum & occaſio offeret, feſtina arripere; atque ita initium cœpti aggreditor, vt & finem præ oculis habeas, quem intendis. Vt enim dicunt Philoſophi; finis eſt primum in intentione, ſed poſtremum in opere. Sique ita te geſſeris, rem præclaram facturus es: eritque quò enarrent poſteri mirabilia tua per te exantlata. Alioqui, tametſi optimè finem rei capeſſendæ deſideres intendaſque; tamen ſi in principio temporis opportuni rationem non amplectaris, excides ſpe tua, fruſtrabiſq; vniuerſos mira de te exſpectantes.

Celeritate vſus eſt Abraham, cùm Lothum fratris ſui filium, à quinque regulis (qui regem Sodomorum prælio vicerant, & opimam prædam ceperant) abduci audiuiſſet: *Numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo, & perſecutus eſt eos. Et diuiſis ſocÿs, irruit ſuper eos nocte percuſſitq; eos: reduxitq; omnem ſubſtantiam & Lot fratrem ſuum.* (Geneſ. 14.)

Eſther 3. Niſi ita fuiſſent vſi celeritate Eſther & Mardochæus, in auertendis hoſtium gladijs à Iudæorum ceruicibus, quibus Amani inuidiâ impendebant; non euaſiſſent ſperatum excidium. Flagrante ſiquidem internecionis ſententia, *feſtinabant curſores, qui miſſi erant, regis imperium explere. Statimq; in Suſan pendebat edictum,* vt occiderentur delerenturq; omnes Iudæi. Quis non videat, temporis quantumlibet præteruolantis celerrimam habendam fuiſſe rationem; neq; vllo modo vel puncto temporis, tam ardenti periculo indormiendum? Ideoque rebus omnibus ad opus neceſſarijs ritè comparatis, regiſque mutata iam (Eſther interueniente) ſententia; *egreſſi ſunt veredarÿ celeres nuncia perferentes: & edictum regis* (priori contrarium) *pependit in Suſan.* Mora nulla, & ita (Eſther 8.)

res

res poſtulabat: alioqui fruſtrà omnia, etiam ad rem quàm maximè conducentia.

Vix dici queat, quàm egregios conceptus, optataſque magnarum rerum expeditiones, frequenter impediat inuiſa illa cunctatio & mora, quæ quibuſdam nimis eſt in more. Hinc Pſalmographus, tam ſui quàm noſtri occaſione, toties ad Dominum clamabat: *Accelera, vt eruas me: Domine, ad adiuuandum me, feſtina: Domine, ne moreris: Deus meus, ne tardaueris: Citò anticipent nos miſericordiæ tuæ; quia pauperes* (viribus virtutibuſque deſtituti, & opis tuæ indigentes) *facti ſumus nimis.*

Celerem eiuſmodi in neceſſitate & opportunitate expeditionem, temporiſque ſedulam rationem, in Ioſue licet obſeruare. Quinque ſiquidem regibus cingentibus iam iamque expugnantibus Gabaonem, miſere ſtatim (vt fit) Gabaonitę ad Ioſue, dicentes; *Aſcende citò & libera nos, ferq́; præſidium: conuenerunt enim aduerſum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis.* Quid tum Ioſue? Quis dubitet? quod præſens exigebat neceſſitas. *Aſcendit Ioſue, & omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortiſsimi. Irruitq́; ſuper eos* REPENTE; *tota nocte aſcendens de Galgalis*: & de hoſtibus triumphauit. *Ioſ.* 10.

Niſi ſimili feruore & acceleratione vſus fuiſſet Saul, cùm ciuitas Iabes Galaad extremè periclitaretur, (Naas rege Ammonitarum ad celerem æquè ac fœdam deditionem vel euaſtationem vrgente) nequiuiſſet eos liberare. Prima eius erat ab inauguratione expeditio: nuncij accurrentes inuenerunt eum, ſequentem boues de agro: qui confeſtim audiens rei neceſſitatem, flentemque populum Gabaa pro ingruente communi calamitate: ſtatim conſcripſit exercitum trecentorum & triginta millium. At, quo pacto tam citò tantum potuit conflare militem, præſertim cùm necdum bellicum vllum actum exercuiſſet, ſatiſque acerbam ipſo regni in limine paſſus fuiſſet plurimorum peſſimorum hominum auerſionem, ſtudentium vniuerſum populum ab eius obedientia & obſequio publica rebellione diuertere? Quo itaque vſus eſt artificio, qua methodo ad tantas copias in momento temporis

1. Reg. 11.

Admirandę expeditiones.

poris conſcribendas? Occaſionem arripuit præſentem; neceſſitati temporis ſe totum dedit; quod res ipſa poſcebat aggreſſus eſt; rationem porrò modumque ipſa docebat neceſſitas. *Aſſumens vtrumque bouem, concidit in fruſta, miſitque in omnes terminos Iſrael, per manus nunciorum, dicens: Quicumque non exierit & ſecutus fuerit Saul & Samuel, ſic fiet bobus eius. Inuaſit ergo timor Domini populum, & egreſſi ſunt quaſi vir vnus. Et recenſuit eos in Bezec, fueruntque filiorum Iſrael trecenta millia, virorum autem Iuda triginta millia. Et factum eſt, cùm dies craſtinus veniſſet* (ecce opus grande vnius diei, per accelerationem) *conſtituit Saul populum in tres partes; & ingreſſus media caſtra, in vigilia matutina, & percuſſit Ammon dum incaleſceret dies: reliqui autem diſperſi ſunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter.*

Valde accommodum huic propoſito ex profanis quoq; Hiſtoriis exemplum vnum atque alterum ſubiungamus, eodem namque ſpectant hæc omnia. Accelerationis efficaciam vel vnica Marci Catonis expeditio plus ſatis edoceat. Is, cùm animaduertiſſet in Hiſpania potiri ſe quodam opido poſſe, ſi inopinantes inuaderet: quatridui iter biduo per confragoſa & deſerta emenſus, nihil tale metuentes oppreſſit. Victoribus deinde ſuis cauſam tam facilis euentus requirentibus, dixit, tum illos victoriam adeptos, cùm quatridui iter biduo arripuiſſent: quod ſine dubio *accelerationi* fuit adſcribendum.

Front. li. 3. cap. 2.

Similiter Lucullus feſtinatò rem agendam exiſtimans, cùm aduerſus Mithridatem & Tigranem, in Armenia maiore apud Tigranocertam, non ampliùs quindecim millia armatorum haberet, hoſtis autem innumerabilem multitudinem ſed inhabilem; nondum ordinatam hoſtium aciem inuaſit, atque ita protinus diſſipauit, vt ipſi quoque reges, abiectis inſignibus, fugerent.

Front. li. 2. cap. 1.

Flaminius Imperator Romanus, ne occaſionem rei benè gerendæ ſineret elabi, videretque ſibi accelerandum; Senatus literas, quibus inerat imperium, vetans ne pugnaret, non aperuit niſi poſtquam iam hoſtem ſuperauerat. Si legiſſet literas, hoſtium ſpolia non legiſſet.

Plutarch. in Marcello.

Simi-

Similiter E. Fuluius literas Senatus in ſinu poſuit, cùm vellet de Campanis ſumi ſupplicium: eoque facto aperuit; illis ſerò, ſibi tempeſtiuè. Iuxta enim ipſius ardorem ac iudicium res moram non patiebatur. *Liuius.*

Nicias occaſionis neglectu, & intertextu moræ ſuos in diſcrimen adduxit, apud Syracuſas. Sic habet Plutarchus: Omnium malorum cauſam omnes in Niciam referebant, qui periculorum rationibus ſubducendis occupatus, cùm etiam minima quæque caueret, *rerum gerendarum gubernatricem temporis Occaſionem* præterfluere ſinebat. Nam (alioqui) in ipſo rei peragendæ curſu, nemo illum iure potuit vnquam reprehendere. Ecce, tergiuerſatio ſola, & opportuniſſimæ occaſionis momenta ſubuertit, & viri aliàs laudatiſſimi famam fœdè conſpurcauit. *Plutarch. de viris illuſt.* Occaſio, rerum gerendarum guberna-trix.

Schemat. 7. Cap. 5.

Aliis adhuc argumentis oſtenditur, accelerandum negotium, dum ſe offert OCCASIO.

ALiquot adhuc hiſtoriæ ſacræ documentis, exemplíſque dein profanis aliquot, ſedulam in opportunitate curam temporis commendemus, quò magis inuiſam tarditatem tandem aliquando auerſemur: quia, vt rectè Sophocles; Vrgentibus bellis celeritas optima eſt. Cui ſimile eſt illud Vegetij; alia de cauſa ſuprà memoratum. In rebus bellicis, celeritas ampliùs ſolet prodeſſe quàm virtus. Et Euripides his conſonans, immo quaſi claſſicum canens; Cunctantem (inquit) maximè Mars odit: & ita in omni negotio opportunè peragendo. *Sophocles.* *Vegetius de re milit. lib. 4.* *Euripides.* Cunctatio odioſa.

Dauid id non ignorans, vtpote cuius manus docuerat Deus ad prælium, & digitos eius ad bellum; quando iam ſibi à filio ſuo Abſalom impendere videbat periculum, malletque inſtinctu diuino potiùs iræ ad tempus cedere, quàm ardua moliendo malum magis exacerbare, ſeruiendum

tempori atque neceſſitati præſenti exiſtimauit : ſed tamen in acceleratione ſpem negotij benè conficiendi collocabat.
2. Reg. 15. Dixit itaque ſuis ; *Surgite , fugiamus : neque enim erit nobis effugium à facie Abſalom. Feſtinate egredi , ne fortè veniens occupet nos , & impleat ſuper nos ruinam , & percutiat ciuitatem in ore gladij.*

2. Reg. 17. Ita quando iam in montibus campiſque profugus verſabatur , nunciatum ei induſtriâ Chuſai conſilium , quò ſe ſtatim in tuta reciperet , niſi vellet ſe perditum . Dixerunt quippe nuncij regi : *Surgite & tranſite citò fluuium , quoniam huiuſmodi dedit conſilium contra vos Achitophel.* Achitophel namque conſilium dederat Abſalomo , vt expeditis duodecim millibus , Dauid vbicumque eſſet obrueretur ſtatim: Chuſai verò ſecretò à Dauide ſubornatus , conſilio hoc de induſtria refutato , efficacibus rationibus ſuaſit , vt copiæ infinitæ conſcriberentur , totoque regni robore contra Dauidem procederetur , vt ita interea dum res illa magnæ molis & moræ curaretur , Dauidi ſpatium fieret temporis , ad loca tutiora capeſſenda : quod quàm celerrimè re ipſa eſt præſtitum. *Surrexit enim ſtatim Dauid, & omnis populus qui cum eo erat, & tranſierunt Iordanem, donec diluceſceret; & ne vnus quidem reſiduus fuit , qui non tranſiſſet fluuium.*

2. Reg. 20. Similiter , quando iam rebelli illo filiò neci dato , rex in priſtinum ſolium Hieroſolymam remearet, Seba ſeditionem mouente , ſeparatus eſt omnis Iſrael à Dauid , ſecutuſque eſt Sebam : adeò vt domum reuerſus Dauid, ſtatim , citra vllam moram, vt par erat, mittendum putarit exercitum contra ſeditioſos. Dixitque ob id Amaſæ duci : *Conuoca mihi omnes viros Iuda in diem tertium, & tu adeſto præſens. Abijt Amaſa vt conuocaret Iudam, & moratus eſt extra placitum, quod ei conſtituerat rex* (ecce neglectum Occaſionis, & tergiuerſationem bonæ expeditioni contrariam.) *Ait autem Dauid ad Abiſai: Nunc magis afflicturus eſt nos Seba quàm Abſalom : tolle igitur ſeruos Domini tui, & perſequere eum ; ne fortè inueniat ciuitates munitas vt effugiat nos.*

Recepit ſe ille Seba , tantillæ moræ ſpatio , in ciuitatem Abe-

Abelam; ſed Ioab feſtinans circumdedit munitionibus ciuitatem, accelerauit expugnationem, ſuaque diligenti inſtantia coegit mulieris ſapientis auxilio ſeniores ciuitatis, ſeditioſi Sebæ caput tradere per muros; & res ita citò compoſita eſt ſedataque ſeditio, quæ alioqui vix ſerò tandem maximis laboribus & impenſis potuiſſet exſtingui.

Non ſecus enim in ſimilibus negotiis tempeſtiuè eſt proſpiciendum, quàm reſtinguendum incendium, ſtatim atq; ſuo ſe fumo vel flamma emicante prodiderit. Ignis etenim qui ſui initio vnica aquæ ſitula facilè ſopiri poteſt, poſtquam inualuerit, vix flumine exhauſto reſtinguitur. Sic de Arrij primùm aſſurgente & poſtmodum flagrante ſecta Hieronymus: Arrius in Alexandria, vna ſcintilla fuit; ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem eius flamma populata eſt. Vnde rectè Poeta quidam non inelegans:

Tergiuerſationis incommoda.

Ex ſcintilla incendium.

Hieronymus in cap. 5. Epiſt. ad Galatas.

Parua priùs iacuit tectis ſcintilla fauillis,
Scintillam mora, flamma moras, incendia flammam
Iſta ſecuta; dedit tantos ſcintilla dolores.

Quis etiam non videat, in ipſa iam incendij graſſatione opus eſſe aquarum copia, & acceleratione? Nam quemadmodum nihil efficitur, ſi lympha defuerit; ita nec proderit copia, ſi lentè, ſenſim, & interpolatis tantùm vicibus, nunc vnam iniicias ſitulam, & paulò pòſt aliam, & ita deinceps. Sic namque agendo, quantumcumque aquæ ſuppetit, abſumetur: & ne tantillum quidem de incendij voragine ſuperaueris.

Incendiũ ſubitò opprimendũ.

Ita cùm regnum aliquod in ſe diuiſum, flagrat armis, & bellum vndique & vndique bellum inſonat, & inteſtinis cuncta tumultibus incenduntur; ſi nunc manipulum vnum immiſeris, poſteà adhuc vnam adhibeas turmam; nunc tot millia aureorum, & paulò pòſt totidem impendantur: ſenſim illud deſolabitur; militem omnem, omnemque belli neruum conſumſeris; & tantum abeſt vt victoriæ quidpiam conſequaris, vt etiam vires hoſtiles & rebellium copiæ futuræ ſint auctiores. Sic enim & incendium modico aquæ aſpergine non exſtinguitur, ſed dum per antiperiſtaſin fit qualitatum contrariarum repugnantia, maiores acquirit

vires pars ſuperior. Sic namque fabri,iniectu laticis in focum ſuum, dum ſtridentia tingunt æra lacu, non ignem ſopire, ſed calentiorem feruentioremque efficere intendunt.

Ignauiæ detrimenta. Acceleratio itaque, temporiſque attenta ratio priuſquam elabatur, res eximias producit in effectum, ſuperanturque ea ratione vel maximæ difficultates. Econtrà ignauia & torpor, etiam cælitus oblatas victorias & felices effectus eneruant & peſſundant. *Antiph.* Hoc eſt quod Antiphanes inquit: Diligentiæ ſubiiciuntur omnia. Aduerſum verò eſt prorſus, *Quinctil.* quod Quinctilianus in protelantibus & prolixis cunctatoribus arguit. Sera plerumque nulla. Plerumque, inquit, ſera pro nullis ſunt. Docet id exitus non rarò euidentiùs quàm poſſit verbis vllis exprimi. Vrget interdum neceſſitas adhibendi remedij ędibus ruinam minantibus, vel nauigio præ vetuſtate nimiáve alliſione ferè fatiſcenti: at dum dies ex die trahitur, differturq; in menſes, quod primo momento opus facto fuerat; inopinatò iactura caſuſq; ſuperuenit, nullo neq; pretio neq; tempore reparabilis.

Longè aliter, ideoque feliciùs, T. Quinctius Coſ. qui victis *Front. li. 3. cap. 1.* acie Æquis & Volſcis, cùm Antium oppidum expugnare ſtatuiſſet, ad cōcionem vocato exercitu, expoſuit quàm id neceſ- Accelerationis effectus. ſarium & facile eſſet, *ſi non differretur:* eoque impetu, quem exhortatio concitauerat, aggreſſus eſt vrbem, eaq; potitus eſt.

Ita cùm Pharnacem primo congreſſu viciſſet Cæſar, amicis Cæſar. ſcripſit: *Veni, vidi, vici*: ſummam rei geſtæ *celeritatem* indicans. Non neglectę quoque accelerationis argumentum fuit in cæco nato à Chriſto illuminato; quod & ipſe pari modo loquendi, quo olim de ſua expeditione Cæſar, eſt conteſtatus. Dum vicini ſiquidem aliiq; omnes, quotquot eum anteà viderant prę ſubitâ illius hominis mutatione vix crederēt eumdem eſſe; tandem ab illis interrogatus, quî tam repentè, natiua illa oculorum orbitate ſublata, & oculos & oculorum v- *Ioan. 9.* ſum nactus eſſet: reſpondit: *Ille homo qui dicitur Ieſus, lutum* Cæcus videns. *fecit* (ex ſputo) *& vnxit oculos meos, & dixit mihi, Vade ad natatoriam Siloe, & laua.* Quid egit hic cæcus? tergiuerſatus eſt? an diſtulit in craſtinum? an moram nexuit, *Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa?* Nihil horum; immò ipſa

quoque

quoque feſtinatio mora illi viſa fuit. Vtque ſcias, illum ſumma vſum acceleratione, quò tantò celebrior eſſet fama miraculi, verba quibus totum deſcribit negotium conſidera: ſic inquit, vt tunc Cæſar, *Abij, laui, vidi.*

Aſt antequam finem huic Capiti imponamus, ſpecimen & ſeruatæ & neglectę celeritatis in vno eodemq; exēplo, ſed partium diuerſarum hominibus, obſeruemus; quò meliùs neceſſaria tantæ rei cognitione & recordatione imbuamur. Sic in Hiſtoria rerum Indicarum legimus. Stephanus Gamma, Indiæ Prætor Luſitanus, viribus ferox, & paterna gloria ſtimulante, haud leuis momenti rem, cùm à Vaſco patre olim, tum nuper à Garzia Prętore cogitatā, ſuſcepit; vti ſubductas ad Suezium Mahometanas triremes ingenti cum Turcicæ rei detrimento combureret. In id claſſe inſtructa ornataq; in ſpeciem Dienſis reuiſendæ, vel Adeni mox oppugnandi; ad Arabicum fretum rectà contendit: & ſucceſſiſſent vota; *ſi protinus* ab Sanis introitu Suezium petiiſſet. Sed *viſendi ſtudio*, applicita ad dextrum littus claſſe, dum agros vicoſq; maritimos, & veteris Arabiæ monimenta perluſtrat; *interim* de ipſius aduentu & malè tecto conſilio, ad regionis Præfectum *citatis equis* nuncij perferuntur. *Neq; ille cunctandum ratus in tali re* (ecce accelerationem aduerſæ partis, contra alterius vagabundam tarditatem) validas equitum ac peditum copias ad loci cuſtodiam *extemplò* ſubmiſit. Ea re *ſegnes* Luſitanorum conatus eluſi.

Cunctationis diſpendium.

Pet. Maff. Hiſt. Ind. lib. 11.

Acceleratio efficax.

Appropinquanti Suezium Stephano, à præcurſoribus nunciatum, Turcica naualia magnis firmiſq; militum pręſidiis obtineri. Non plus triduo (*tantum in celeritate momenti eſt*) Suezium Turcæ præoccupauerant. Luſitanus Prætor, magna ſpe deiectus, & grauiter ſemetipſum incuſans, in Arabem & Saracenum effudit iras. Ita videas aliquando quoſdam magna quidem animo præcipientes, ſiue quod ad propriæ ſalutis augmentum, ſiue quod ad præclarum Reipublicæ ornamentum & bonum conferat: ſed, dum neſcio quibus priuati vel honoris vel commodi auocamentis præoccupantur, omnia contrà quàm ſperaras eueniunt.

Sic porrò Annibal poſt Cannenſem pugnam, fracto Roma-

norum exercitu, victoriȩ occaſionem non eſt proſecutus; ideò
Plutarch. in vita Annibalis. Romam non intercepit. Sic de eo Plutarchus: Annibal victor, in reficiendo exercitu *tempus terens*, ſpatium victis dedit, ad reſpirandum. Nam, *ſi extemplò*, finita pugna, victorem exercitum Romam duxiſſet, proculdubio, aut ſuccumbendum omnino, aut extremum ſubeundum diſcrimen Romanis erat. Huius poſteà *tarditatis* ſæpè pertæſum Annibalem tradunt, palamque conqueſtum. Vnde cunctanti illud obiectum fuit à Maharbale, equitum præfecto: Vincere ſcis Annibal, ſed victoria vti neſcis.

Quàm ſit periculoſa tergiuerſatio, quamq; accelerandum, vbi occaſio & adridens victoria ſtrenuum in arduis progreſſum efflagitant; docet nos ipſe, etiam in animalium pugna, naturæ ductus. Si quando namque accidat, vt inter depugnandum vna ferarum concertantium vel lapſu fortuito vel impetus violentiâ in terram proſternatur, mox altera inuolat ac iugulum petit. Sic de Dauide legimus, cùm giganteam il-
1. Reg. 17. lam molem fundæ rotatu humi ſtrauiſſet, *cucurrit & ſtetit ſuper eum*: atque benè auſpicatam de tanto hoſte victoriam, præciſa proprio ferro ceruice, maiori cum laude eſt proſecutus. Vt in ipſo illud de filio Prophetiſſæ, hoc eſt de Mariæ virginis vnigenito, vaticinium fuerit præfiguratum, quo dicit
Iſa. 8. Dominus Iſaiæ: *Voca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere; feſtina prædari.*

Schemat. 7. Cap. 6.

Occaſionem apprehendentium negligentiumq; diuerſitas.

Tempore itaque Iuuenibus iſtis nequidquam renitentibus valefaciente, *Occaſio* quoque minatur abſceſſum: at illi, veriti ne elabatur, per reſperſum pro fronte capillitium illam remorantur. Tali ſe modo nympha ſtringi ſentiens, ſtabile pollicetur hoſpitium obſequiumque, donec ad iuſtam laborum ſtudiorumque metam, iuxta animi ſententiam, eos perduxerit. Quorum ſano prudentique conatui illud Homeri

A D

Occaſio per capillatã frontem retinenda.

meri quadrare cognoſcitur:

Vos premite, & vinclis magis arctè ſtringite. Homer. Odyſſ.

Hîc iam igitur de Occaſione opportunè arripienda ſtringendaq; tractandum eſt: quod non exiguæ eſt artis atque prudentiæ argumentum. Sicut enim Chriſtus Dominus noſter, de caſtitatis angelicæ ſublimi conſilio decernebat; *Non omnes capiunt verbum hoc:* ideoque, vt ad generoſum certamen prouocans, animanſq; timidiores, inquit, *Qui poteſt capere, capiat:* ita & de temporis opportunitate ſiue Occaſione ſolerter obſeruanda ſentiendum eſt. Non in rerum præſtantia, ſed in modo ſe ad ſtudium debitum excitandi, pono ſimilitudinem. Matth. 19.

Hinc dicit Sapiens: *Eſt tacens, non habens ſenſum loquelæ: & eſt tacens, ſciens tempus apti temporis.* Tempus quidem ſemper aliquod eſt, ſed tempus apti temporis, illa ſola pars eſt temporis, quæ vt loquendi ita rei gerendæ eſt accommoda; quam opportunitatem, tempeſtiuitatem, & occaſionem appellamus. Illud autem tempus apti temporis noſſe, diſcernere, & arripere, hoc opus, hic labor eſt, & magnarũ mentiũ vigor. Eccli. 20. Opportunitatis encomium.

Iam dictis valde conformis eſt illa quoque Salomonis ſententia: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo.* Quemadmodum enim mala aurea intexta lecto aliive ſubſtrato argenteo operi, vel naturalia quoq; aurea ſtragulo argenteo impoſita, admirabilem (tum propter pretij excellentiam, tum propter colorum concordantiam) pariunt oculis ſpectantium voluptatem; ita quando prudens eloquium apto & opportuno tempore prolatum fuerit, mirè audientium afficit animos. E contrà de eo qui oblatam occaſionem vix adſpectu dignatur, ſed in ſordes proiecti & voluptatibus deditis animi demergit, illud eiuſdem dici poſſit: *Circulus aureus in naribus ſuis.* Quadrat & iſtud ingratitudinis & indignitatis elogium in ignauum illum, illiberalem, & verè ſeruilem ſeruum, qui talentum à domino acceptum defodit in terram; cùm tamen illi, vt omnibus aliis, ad negotiandum fructumque faciendum collatum fuiſſet. Prou. 25. Prou. 11. Matth. 25.

Ita ecce aliqui *Occaſionis* beneficio ſe indignos ſua ignauia faciunt; alij verò ſtatim ex illa lucrum referunt admirandum. Occaſionem negligentium indignitas.

Abijt

Abijt qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. Quocirca, ſicut qui oblata benè merendi occaſione diligenter ſunt vſi, magnis encomiis laudati, & ſuper multa ac magna conſtituti fuerunt; ita torpidus ille occaſionis oblatæ contemtor, exceptus pro meritis, hæc audire coactus eſt: *Serue male & piger*; & ſimiles malæ notæ nomenclaturas. *Tollite ab eo talentum: & inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium.*

Eiuſmodi ſunt, commodi iſti temporis occaſioniſq; traductores & diſſipatores, de quibus ita apud Horatium:

Horat. 1. Epiſt. *Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.*

D. Leo. Hinc grauiter, vt omnia, Diuus Leo: Non dormientibus prouenit regnum cælorum; nec otio & deſidia torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur. Vnde Apoſtolus omnes illos monens, quibus rerum cura commiſſa eſt: *Sollicitudine,* inquit, *non pigri; ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes.* Sicut oculi igitur ſeruorum in manibus dominorum, vt ad nutum obſequantur; ita omnes Deo ſeruientes, promti, alacres, & quaſi accincti, calceati, immò alati ſtare debent, ad ſtatim exſequendum, quod nutu diuino perſpexerint faciendum. Vtque vigilantibus iura ſubueniunt; ita ſtertentes, rebuſque ſuis indormientes causâ cadere neceſſum eſt. Quæ omnia in ſollicitudine capeſſendæ occaſionis locum habere cenſentur. *Rom. 12.*

Prou. 9. Hortatur eapropter Sapiens appoſitè: *Da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia. Doce iuſtum, & feſtinabit accipere.* Sapientes, ecce, norunt vti temporis opportunitate, & occaſione, vt numquam ſine fructu prætereat, quandocumque offertur. Sicut prudens nauarchus celerrimè fortiſſimeq; ad ventum vela componit, vndecumque illum adſpirare conſpexerit, cuius propterea eſt obſeruantiſſimus.

Itaque ſi viro prudenti ac probo occaſio miſerendi proueniat, ſtatim mouetur ad miſericordiam, & exercet charitatem: ſi patientiæ exercendæ profertur occaſio, vel ad verba vel ad verbera, ad iniuriam & perſecutionem, mox arripit tanti meriti materiam. Si verbum ſalutaris admonitionis præſtandum alicui, hoc agit quod monet Sapiens, *Ne reuerearis proximum* *Eccli. 4.*

tuum

tuum in caſu ſuo: nec retineas verbum in tempore ſalutis. Ita Tobias contribules ſuos communis captiuitatis occaſione ſolabatur: *monita ſalutis dabat eis*, & charitatis operibus adiuuabat. Sic iuſto, ſi occaſio pietatis, caſtitatis, ſobrietatis, humilitatis, manſuetudinis, liberalitatis, diligentiæ, & cuiuſcumque alterius virtutis exercendę conceditur; non omittet eam extemplò arripere, & iuxta eius dictamen operari. Sic namque & mercator auidus, quamcumque augendarum opum occaſionem, & ſcientiarum ſtudioſus oblatam accumulandæ eruditionis opportunitatem, impigrè ſolent amplexari. *Tob.* 1.

Doceat nos Cæſar ſtratagemate bellico, quanta ſagacitate in cunctis quæ ad propriam publicámve vtilitatem faciunt, ſit captanda occaſio. Is in Gallia, quia compererat, Ariouiſto Germanorum regi inſtitutum, & quaſi legem eſſe non pugnandi, decreſcente luna; tum potiſſimùm acie commiſſa, impeditos religione hoſtes vicit. Simili opportunitate captata Antiochus Machabęos ob Sabbati reuerentiam ab armis abſtinentes cecîdit; donec meliori accepto conſilio etiam ſabbatis arma capeſſenda pro aris & focis decreuerunt. Sed pluribus exemplis occaſionis momenta proximo Capite expendemus. Stratagema bellicum. *Front. li.* 2. *cap.* 1. 1. *Mach.* 2.

Schemat. 7. Cap. 7.

Statim arripiendam OCCASIONEM, *exemplis oſtenditur.*

EXemplis pauculis quod ſuperiori Capite eſt tractatum elucidemus. Quando vidit Semei, hominum ſceleratiſſimus, Dauidem reducem fieri, iam iamque regali ſolio reſtituendum, memor iniuriæ quam regi verbis factiſque nefandis intulerat, virum Belial hoc eſt diabolicum, virumque ſanguinum appellans, lapideſq; in eum iactando per viam, cùm mœrens rebellante Abſalomo filio exilium peteret; *feſtinauit* oblatam arripere occaſionem, qua ſibi regis gratiam poſſit demereri, meritamq; millies mortem euadere. Curauit itaque diligenter, vt primus omnium in Iordanis tranſitu regi ſup- 2. *Reg.* 19. Occaſionis acceptę exempla.

S plex

plex occurreret, veniamque precaretur, quam etiam gratiâ opportunitatis eſt aſſecutus. Tanti referebat, prima fronte capillatam ſe offerentem arripere.

4. Reg. 4. Mulier illa vidua Prophetæ, quæ ob creditorum importunitatem de totius familiæ euerſione periclitabatur, quum ab Eliſeo conſilium leuandæ inopiæ accepiſſet; vt ſcilicet mutuò ſumeret vaſa vacua non pauca, & in ea de pauxillo olei quod habebat infunderet, nullo modo negligendam putauit tam obuiam occaſionem, ſed ſtatim arripuit fecitque quod erat iuſſa: & in tantam olei copiam opportuna illa exuberauit inſtillatio, vt vaſa ſufficientia per totam longè viciniam reperiri nequirent.

Act. 2. Iudæi, qui Dominum noſtrum Dei filium morte turpiſſima condemnarunt cruciq; affixerunt, maximumque hoc facto ſcelus admittentes quod vnquam poterat perpetrari; audita Petri exhortatione, velut occaſione bona reconciliationis ſe offerente, ſtatim compuncti corde eam arripientes dixerunt: *Quid faciemus, viri fratres? Petrus verò ad illos: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm.* Ita factum eſt extemplò: *& appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.*

Matth. 15. Syrophœniſſæ fides & induſtria. Chananæa illa Euangelica, non olei naturalis, vt illa veteris Teſtamenti vidua, ſed ſpiritualis indiga vnctionis, *Miſerere mei, fili Dauid*, inquit: *filia mea malè à dæmonio vexatur. Dominus autem non reſpondit ei verbum.* Dumque illa clamando non deſiſteret, captaretque vndiquaque impetrandi occaſionem: ecce tibi opportuna progreditur occaſio, etiam vnde minimè ſperaretur. Quando ſiquidem Dominus noſter, non ſolùm Apoſtolis nequidquam pro illa intercedentibus, rigidè ſatis reſpondiſſet, *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael* (erat enim iſta Syrophœniſſa) ſed & ipſi quoque mulieri, iam eum præuertenti & ſuppliciter adoranti, dicentique ex intimis afflicti animi penetralibus, *Domine, adiuua me*; parum admodum ſpei videretur relinquere, dicens: *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus*: ilicò illa gratam *occaſionis* frontem conſpiciens, arripuit,

puit, ipſumque Dominum in verbo cepit, dicens, *Etiam, Domine*; benè dicis; ita eſt vt ais; ſic mihi fieri deſidero, vt æquum eſſe ipſemet profiteris: *nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Iudæi filij ſunt, & domini noſtri, quorum nos intuitu, qui gentiles ſumus, canum loco reputamur. Ipſi panem habeant, nobis cedant micæ de menſa ipſorum decidentes. Captum ſe videns capi volens Dominus, & feminæ in ſalutis occaſione arripienda demirans induſtriam & fidem, non ſe potuit (vt ita dicam) continere, quin exclamaret: *O mulier! magna eſt fides tua; fiat tibi ſicut vis.* Rectè igitur exemplo eorum qui ſtatim occaſionem boni alicuius arripiunt, nos quoque facturi ſumus, ſi circa hoc ſtudium aduigilauerimus. Catellorum ius.

Nam, ſi mentem aduertimus, numquam deeſt occaſio vel rectè agendi, vel aliquid magno cum merito tolerandi. Sed, vt diximus, aduigilandum eſt; vt piſcatori ad hamum, aucupi ad decipulam & retia, venatori ad odoram canum vim, prædam geſtu, accubitu, latratúve prodentium; & vt nauclero atque agricolæ ad ventum & auram; & denique cuicumque cuiuſcumque rei ſtudioſo, ad id vnde maxima ex parte dependet quod ſectatur. Accurrit, occurrit, ſe offert ingeritque non raro occaſio, ſi attendas. Occaſio rectè agendi numquã deeſt.

Si exempli gratia videre lubeat, quàm inopinatò nonnumquàm leui de cauſa maximæ rei ſuccreſcat occaſio, victoriam illam raram & admirandam Annibalis contra Romanos expendamus, quam apud Cannas obtinuit; vt obſeruemus quàm parua, atque errore quidem data, ſed ſeriò arrepta occaſione acciderit. Eo prælio (inquit Fulgoſius) quo Romani infeliciter apud Cannas cum Annibale dimicarunt; vulnerato Pauli Æmilij Conſulis equo (qui ob id pedes remanſerat) quidam equites, qui ei adſtiterant, ab equis deſcenderunt, vt Conſulem in alium equum transferrent. Ceteræ autem equitum turmæ, quas, quòd longè ab eo loco aberant, cauſa, propter quam equites deſcenderant, latebat; arbitratæ Conſulis iuſſu atque conſilio primos illos equites deſcendiſſe, atque idem omnibus agendum eſſe, eodem mo- Occaſio victoriꝫ ex errore oborta. *Fulgoſius li. 9. cap. 9.*

mento omnes ab equis deſcenderunt. Qui error magna ex parte, vt eo prælio Romani vincerentur, cauſa (dicam, Occasio) fuit. Itaque Annibal, deſcendere Romanos equites conſpicatus, ad ſuos conuerſus, dixit; Malle ſe vt Romani equites illud facerent, quod agere conſpiciebantur, quàm vt vincti ad ſe deducerentur. Errore enim compulſi, ſibiipſis equorum opem, quam neceſſariam habebant, ademerunt.

Plutarch. in Annibale. Accedit quod Plutarchus refert, in eadem pugna. Romani (inquit) effuſo curſu in hoſtem delati, dum vrgendo cedentes in medium coëunt, Occasionem dederunt Pœnis, vt ex vtraque parte concluderentur: duobus ſcilicet quaſi lunæ cornibus Romanos intromiſſos circumcingendo. Vt vt eſt, ex his aliiſque videmus, ſi pendeat hamus, nuſquam ferè deeſſe rectè obeundi officij occaſionem.

Schemat. 7. Cap. 8.

Acceptæ neglectæque Occaſionis exempla.

Animi gratiâ nunc in vno eodemque exemplo arreptæ neglectæque occaſionis ſpecimen obſeruemus; vt varietas non ſolùm magis oblectet, verùm etiam res per contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcat.

2. Reg. 6. Maximæ eſt victoriæ, ſeipſum vincere. Quum Dauid rex accinctus Ephod lineo, totis viribus ante arcam ſaltaret, ludens cithara, maximæ victoriæ (teſte Diuo Gregorio) per hoc præbens argumentum, ſeipſum vincendo, ſeque ad Dei gloriam ita publicè humiliando, in actu, in habitu, & in toto ſe, quantus quantus eſſet; tum Michol vxor eius, filia Saul, proſpiciens per feneſtram vidit regem Dauid ſubſilientem atque ſaltantem coram Domino: & deſpexit eum in corde ſuo.

Occaſio neglecta. Ecce occaſionē bonam laudandi Deum, congaudendi marito, in tam diuino cultu, in tam excellenti triumpho; accipiendique peramplam à Domino benedictionem, ſi occaſionem ad hæc oblatam arripuiſſet, non faſtidiuiſſet, non habuiſſet

buiſſet contemtui; cùm ex oppoſito pro meritis omnia contraria reportarit. Nam, *cùm Dauid reuerteretur, vt benediceret domui ſuæ; egreſſa Michol filia Saul* (ſuperbiæ nempe faſtuſque paterni hæres) *in occurſum Dauid, ait; Quàm glorioſus fuit hodie rex Iſrael, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum ſuorum: & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris!* O impudentem Michol imprudentiam! Nónne hoc eſt inſultare *Occaſioni* cælitus datæ, oblatamque ſalutis anſam maledictis inceſſere?

At nunc ex altera parte attendite Dauidem regem, prudenter OCCASIONEM maioris virtutis ac meriti ex occaſione malè habita rapientem. Sequitur etenim: *Dixit Dauid ad Michol; Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius; & præcepit mihi, vt eſſem dux ſuper populum Domini in Iſrael. Et ludam, & vilior fiam pluſquam factus ſum. Et ero humilis in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, glorioſior apparebo.* Hinc quoque factum eſt, vt iſte ſingularem poſteà à Deo acceperit benedictionem & gloriæ amplioris augmentum; illa verò tulerit maledictionem, ſteriliſque effecta ſit. Occaſio obſeruata. Veræ humilitatis energia.

Aliud ex Sacro codice proferamus occurrentis & arreptæ occaſionis exemplum. Quum iam filij Iſrael, peccatis promerentibus, viginti annorum ſpatio, à rege Chanaan ſubiugati premerentur; nihilque affulgeret auxilij, niſi à Domino: accidit vt mirabili occaſione tota illa calamitas in gaudium verteretur. Quando etenim Debora prophetiſſa (cuius aliàs alia de cauſa facta eſt mentio) duce Barac comitata, Siſaram principem hoſtilis exercitus, Domino eum cælitus perterrente, vertiſſet in fugam: *Siſara de curru deſiliens fugienſq; venit ad tentorium Iahel, vxoris Haber Cinæi*: (en cum ipſo accurrente ſimul accurrit *occaſio* heroicum facinus perpetrandi, in totius Reipublicæ populique Dei liberationem, quam Iahel illa fortiſſima non neglexit) verùm ex ipſa ſacra Hiſtoria rei totius euentum audiamus. *Egreſſa igitur Iahel in occurſum Siſaræ* (occaſioniſq; eum comitantis) *dixit ad eum: Intra ad me domine mi, intra, ne timeas. Qui ingreſſus ta-* *Iudic.4.* Iahel mulier fortis & prudens. Opportunitatis arreptæ exemplum.

bernaculum eius, & opertus ab ea pallio, dixit ad eam; Da mihi, obſecro, paululum aquæ, quia ſitio valde. Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Dixitq́ Siſara ad eam, Sta ante oſtium tabernaculi; & cùm venerit aliquis interrogans te, & dicens; Numquid hic eſt aliquis? Reſpondebis, Nullus eſt. (Hem tibi opportunitatem opportunitate opportuniorem.) Quid accidit? *Tulit itaque Iahel clauum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſconditè & cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſúmque malleo, defixit in cerebrum vſque ad terram: qui ſoporem morti ſocians defecit, & mortuus eſt. Humiliauit ergo Deus in die illa Iabin regem Chanaan coram filiis Iſrael: qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec delerent eum.*

3. *Reg.* 1. Nathan & Bethſabeę induſtria.

Valde tempeſtiuè quoque arripuit occaſionem ex conſilio Nathan Prophetæ Bethſabea, ad filium ſuum Salomonem regali ſolio aſſerendum. Quum ſiquidem ſubita factione Adonias ſe, patre adhuc Dauide viuente, regem curaſſet conclamari; arrepta ex hac neceſſitate occaſione, dixit Nathan ad Bethſabee matrem Salomonis; *Num audiſti quòd regnauerit Adonias, & dominus noſter Dauid hoc ignorat? Nunc ergo veni*; (En tibi & hîc occaſionem per frontem apprehenſam, priuſquam elabatur.) *accipe conſilium à me, & ſalua animam tuam, filiíque tui Salomonis. Vade, & ingredere ad regem Dauid* (periculum in mora, ideò accelerandum) *& dic ei; Nónne tu domine mi rex iuraſti mihi ancillæ tuæ, dicens, Quòd Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo? quare ergo regnat Adonias? Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam poſt te, & complebo ſermones tuos.*

Arrepta tam dextrè prudenterque deducta occaſio effecit, vt & ceſſaret Adoniæ præſumpta prætenſio, & Salomon regis imperio legitimè rex crearetur, & in throno patris ſui collocaretur. Tanti refert, occaſionem oblatam vrgentemque prima fronte arripere, cœptumque opportunè per illam opus ſedulò proſequi: quemadmodum captam leo prædam non minori

minori ſtudio ſtringere mordicuſque tenere ſatagit, quàm prius quærebat optatam.

F Laudat idcircò Angelus factum illud Iuuenum in typo præſtantium: aſſeritque, OCCASIONEM gaudere tali violentia tam ſibi amica qua conſtringitur. Et quid mirum, cùm & Deus ipſe ita à nobis orationibus, votis, factiſque gaudeat deuinciri, qui ad hoc occaſionem ſuppeditat.

ORATIO VII.

Vt mediis ad ſalutem conceſſis benè vtamur.

CVm nihil oderis, Domine, eorum quæ feciſti, ſed vt finem quæque ſuum conſequantur, media omnia ad id conuenientia mirabili ſunt à te ordine diſtributa, vt præter ſacroſancta ſalutis noſtræ remedia, etiam creaturæ ſingulæ, & momenta temporum vniuerſa, & euenta cuncta, etiam aduerſa, huius tuæ diſpoſitionis ſint adminiſtra: Aperi nobis ſenſum & oculos, & manus noſtras erudi; vt in omnibus proficiendi occaſionem contemplantes, eam mente manuque amplexemur; quò & hîc piè viuamus, & gloriam poſtea conſequamur æternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Sche-



A. *Hei mihi! quo* TEMPVS, *quo ſe gratiſsimus hoſpes*
Proripuit? B. *Quò blanda parens Occaſio rerum*
Tam locuples abijt? C. *O ſi mihi Iupiter illam*
Nunc ſtatuat reducem, neglectaq; tempora reddat!
D. *Vt mihi nulla breuis, ſine fructu, diffluat hora!*
E. *O mihi delapsi fiat ſi copia vultus!*
A. TEMPVS, *ades! Nobis vtinam te* OCCASIO *ſiſtas!*
Grati eritis. B. *Vos amplectemur.* C. *Dona placebunt*
D. *O volucres Diui, pia Numina, adeſte, redite.*
E. *Vos reuoco.* F. *Fruſtrà:* G. *Renuunt auerſa reuerti.*

Schematis 8. explicatio;

Quo exhibetur, vt imprudentes ſerò ſapiunt, ſuamq́ deplorant amentiam.

Schemat. 8. Cap. 1.

Extrema mundani gaudij luctus occupat.

MALE (inquit Democritus) pereas, quia Gratias virgines, meretrices effeciſti. Quod ille in eum detorquebat, quem videbat quibuſlibet temerè ſine diſcretione dona largientem; hoc nos illis omnibus meritò dicimus attribuēdum, qui OCCASIONE, TEMPORIS OPPORTVNITATE, DIVINAEQ. GRATIAE donis verè virginibus, vt meretricibus abutuntur: nō quidem cum Democrito malè illis imprecantes vt pereant, ſed quid mereantur indicantes. Et quidem, quando cum filio prodigo, omnia ſua diſſiparunt cum meretricibus iſtis ita à ſe proſtitutis ac violatis, vtinam cum eodem quoque ad mentem redeant, & veræ pœnitentiæ inueniant ſpatium. In Schemate præſenti, ſuam ſaltem deplorantes amentiam animaduertemus.

Democr. Gaudia mundi, luctu terminantur.

Gratię virgines.

Verè, vt aiebat Lactantius, largitas, liberalitas, & beneficentia, regiæ laudes ſunt; ſed ſæpè in indignos cadunt. Vel quòd his laudum titulis falsò ornentur immeritò; vel quòd harum virtutum vtilitas indignis non rarò conferatur: qui ſuam non vident inſaniam, niſi quando ſe regia dona ſpreuiſſe conſiderant: pluriſque æſtimant, quando illis ipſis carere coguntur, quàm dum poſſiderent.

Lactant.

Vota ſtultorum prępoſtera.

Tangit ſeram hanc ſtultorum ſapientiam, qui ſuprà nomi-

Democrit. natus Democritus. Stulti, inquit, deſiderant abſentia, præſentia verò, etſi meliora præteritis, negligunt. Atque ita aſſiduus eos manet luctus, pro temporanea illa vanaque lætitia, quam ſibi ipſi effinxerunt, in occaſionis temporiſque illuſione, qualem in tertio & quarto Schemate eos exercuiſſe notauimus.

Abſentia quæruntur, quæ ſpernebantur præſentia.

Hinc in caput ipſorum iuſto Dei iudicio vibretur, quod dixit Sapiens: *Extrema gaudij luctus occupat.* quodque D. Iacobus, in ſua inculcat epiſtola. *Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum conuertatur, & gaudium in mærorem.* Et verè, iuſta rerum trutina hanc eis ſtultitiæ mercedem decernit.

Prou. 14. *Iac.* 4.

Nam, quod dicit Propheta de idololatris condignam peccatis pœnam luentibus, de iſtis quoque, ſenſu non longè petito, dici poteſt. *De mercedibus* (inquit) *meretricis congregata ſunt,* (bona ſcilicet, præmia, donaria) *& vſque ad mercedem meretricis reuertentur. Super hoc plangam & vlulabo, vadam ſpoliatus & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum.* Ac ſi dicamus breuibus: Vnde lucrum, inde damnum: Malè parta, malè dilabuntur: Turpe compendium, infame diſpendium. Vtque Rhadamanthi ſententia, in rerum diuinarum humanarumque irriſorem lata, commemorat, ad Rei ſic expoſtulantis interrogationem:

Mich. 1.

Andreas Fruſius.

Vt Rhadamanthæum ſtetit ante tribunal Eraſmus,
Anne ioco ſcribens ſeriò damnor? ait.
Cui iudex: Libri dant ſeria damna iocoſi.

SI TIBI CVLPA IOCVS, SIT TIBI POENA IOCVS.

Stultuli iſti temerariiq; TEMPORIS OCCASIONISq; illuſores, magnū ſibi hoc ludo gaudium plauſumq; excitarant, tamquam mercedem meretricum inde corradentes, ſeq; illarum trophæis exornantes: iam verò, dum ſentiunt quantum damni tam ſtultus ardor attulerit; æquum eſt, vt & inde ſupplicium, quod ſibi pepererunt, ferant; faciantque iam planctum pro plauſu, & pro luſu luctum. Et quidem iuxta iam dicti Vatis exemplum, in ſe nomine ipſorum transfiguratum.

Hieron. Dicit D. Hieronymus, quòd draco victus ab elephante, mirabiliter ſibilat. Struthio autem oua ſua in arena dimittit, & à

Draconis ſtruthioniſque lamenta.

beſtiis

beſtiis conculcantur, perditque ea non rarò: & tametſi non plangat, luget tamen, quando per craſſam negligentiam ita proiecta, non ſine mœſtitudine calcata deplorat.

Exemplum itaque draconis ponitur propter modum planctus, ſtruthionis verò propter cauſam; quæ noſtris æquè conueniunt. Inſenſati namque cæleſtium donorum contemtores, percepto veſaniæ detrimento, planctum draconum æmulantur exteriùs vlulatibus omnia complentes: & poſtquam cum ſtruthione per tam ſtupidam oſcitantiam, oua, ſemina, ſpem ſobolis, meſſem in herba, vitæq; æternæ media perdiderunt, mœrore ſeu metanœa meritò conficiuntur interiùs, quòd occaſionem tantorum bonorum fœtam contemſerunt. Sera ſapientia.

His itaque illud conuenit, quod Demades de Athenienſibus dicere ſolebat: Eos ſcilicet numquam de pace quærenda decernere, niſi pullis veſtibus indutos. Innuens, eos eſſe bellandi cupidiores, quàm ſat eſſet; nec niſi clade ſuorum admonitos de pace cogitare. Ita iſti, poſt nimis pertinax ſuæ inſipientiæ bellum, nimiſque prolixam vecordiæ conſectationem, ſerò tandem nimio ſuo malo edocti, ſentiunt meliora fuiſſe capeſſenda conſilia. *Plutarch.* Pullis veſtibus pacem petere.

Faciunt itaque iſti in hoc Schemate, quod dicit regius propheta: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum; poſteà accelerauerunt.* Ita ſiquidem lubebat interdum populo Iſraelitico inſanire, & contemto Deo vero circa idola ſe effundere: ſed quando meritas tantæ ſtultitię dederunt pœnas, variis modis à Deo afflicti; tunc accelerabant ad veniam poſtulandam, poſtquam icti ſapere incipiebant. Quod & alibi idem his verbis exprimit: *Cùm occideret eos, quærebant eum; & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Vexatione ſcilicet, iuxta Iſaiæ dictum, dante intellectum, ad mentem & reſipiſcentiam venire videbantur, culpamque agnoſcere. *Pſalm. 15.* *Pſal. 77.* *Iſa. 28.*

Verùm, ſicuti quidam ita ad reſipiſcentiam vexatorum, verè cognoſcunt errorem, & ſaltem ad mentem redeunt, vt prioris vitæ commiſſa deplorent; ita non pauci ſentiunt quidem incommoda pro meritis inflicta, ſed ſtupiditate quadam animi præpediti, non redduntur adhuc per illa prudentiores.

Achæi Calliconis ſtultitia.

Similes illos dixerim illi Achęo Calliconi, qui fictile vas pului̇naris loco capiti ſupponebat. Verùm, quia duricie illius offendebatur, paleis impleuit, vt mollius haberet cubile. Sentiebat quidem incommoditatem tam rigidi ceruicalis; ſed ſenſus ille exterior tam parùm interiores ſenſus erudiuit, vt non minus ſtoliditatis in medela poſuerit, quàm in priore errore poſuerat.

Schemat. 8. Cap. 2.

Sera lamenta eorum, qui concionem OCCASIONIS *contemſerunt.*

Prou. 8. Sapientiæ concio.

IPſi ſibi nunc lugubrem cantant cantilenam, qui priùs angelicam & diuinam temporis occaſionisq; adhortationem peropportunam verterunt in fabulam. *Numquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? In ſummis excelſiſq; verticibus ſupra viam, in mediis ſemitis ſtans, iuxta portas ciuitatis, in ipſis foribus loquitur, dicens: O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli aſtutiam, & inſipientes aduertite. Audite, quoniam de rebus magnis locutura ſum.* Hactenus vox Sapientiæ.

Concio occaſionis. *Demoſth. 1. Olynth.*

Quis ignoret, ita quoque clamare quouis tempore & loco, (vt antè diximus) benè agendi OCCASIONEM? Audite Demoſthenem iſtud magno ſententiæ pondere atteſtantem. Grauiſſimæ ſunt, inquit, & ſapientiſſimæ OCCASIONVM conciones, eædemq; perſpicuæ; nec ſine pernicie negliguntur. Occaſionis vox (inquit) nihil aliud eſt, quàm diligens temporis & ceterarum circumſtantiarum conſideratio. Sed ſtulti non audiunt vocem clamantis Sapientiæ, Occaſionemque concionantem contemnunt, dum coràm alloquitur.

Ezech. 33. *Ierem. 4.*

Impletur in ſimilibus illud Ezechielis, immò Domini ipſius ad Ezechielem: *Fili hominis, factus es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulciq; ſono canitur: audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Illud quoq; Ieremiæ Prophetę in eos quadrat: *Filij inſipientes ſunt, & vecordes: ſapientes ſunt vt faciant mala, benè au-*

nè autem facere neſcierunt. Vnde & luctus quo digni ſunt, eſt inexplicabilis, quia damnum quod patiuntur æſtimari nō poteſt. Meritò talibus & illud Sapientis applicetur: *Luctus mortui ſeptem dies: fatui autem & impij, omnes dies vitæ eius.* Eccli. 22.

Expetiit filia Iephte Iudicis in Iſrael à patre, vt duobus menſibus virginitatem ſuam cum ſuis ſodalibus in montibus plangeret, priuſquam iuxta impium patris votum victima fieret (vouerat etenim, ſe, ſi victor rediret, immolaturum, qui primus è domeſticis occurreret, occurrit autem gratulabunda ei filia) obtinuit quod expetebat. *Et exinde mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum, conueniant in vnum filiæ Iſrael, & plangant filiam Iephte diebus quatuor.* Si perditæ virginitatis & OCCASIONIS amiſſæ iactura deploranda veniret pro merito, non id quatuor diebus in anno eſſet faciendum, ſed ne quatuor quidem dies toto anni circulo immunes eſſent à lacrymis.

Iudic. 11. Iephte filia.

Virginitatis amiſſæ luctus.

Verùm lamenta iſtorum parumper expendamus, prout in
A typo exprimuntur. Dicit primus: *Hei mihi! quò tempus, quò ſe gratiſſimus hoſpes Proripuit?* Ferè eadem iſta cum damnatorum querela eſt, quam ſacra nobis Scriptura pronunciat: qua temporis velocitatem incuſant, quaſi nimis præpeti penna præteruolarit, ipſique ſint extra culpam. Sic aiunt: *Tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aër continuò in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius; ſic & nos nati, continuò deſiuimus eſſe.* Sap. 5.

At, quis hîc excuſationi locus? Quis non videat, vndas, rates, naues, & quidquid ſecum flumina rapiunt, præterlabi? Quis non idem in ętate conſiderat, ſi viuit videtq; ? Rectè ideò Tullius: Curſus eſt certus ętatis, & via vna naturæ, eaq; ſimplex, ſūa cuique parti tempeſtiuitas eſt data. Ex quibus verbis videmus, non tantùm ætatis humanæ tempus continuo fluxu tranſire; verùm etiam ſtatis decurſus huius partibus ſuam eſſe tempeſtiuitatem, & ad ætati cuique conuenientia opportunitatem. Prudenter eapropter Poëtæ illius verbis moneantur eiuſmodi, meliori tamen ſcopo: *Vtendum eſt ætate, cito pede labitur ætas.* Maximè, cùm, vt dicit Auguſtinus, Tempora non

Cicer. Philipp. 11.

Ouid.

Auguſtin. epiſt. 49.

fortuitò, ſed Dei prouidentia labuntur. Vnde conſtat, Dei prouidentiam idonea ſuis temporibus ſuppeditare argumenta, fructuosè aliquid producendi: ſicut ſtata ſunt anni tempora agriculturæ, ſementis, meſſis, vindemiæ, ceterarumq; functionum humanis vſibus neceſſariarum.

Plin. Sec. lib. 20. Itaque omnibus de tempore tranſacto querimonias fundentibus, cum Plinio reſpondetur, Præterita non præteriiſſe, impoſſibile eſt.

Alter ab illo ſic occaſionis neglectum deplorat: *Quò blanda parens* OCCASIO *rerum Tam locuples abijt?* Iam blandam parentem, rerumq; omnium locupletem appellat; quam, cùm adeſſet, laruam, monſtrum, ſponſam inuerſam nuncupabat. B

Plutarch. de Tranq. animi. Rectè de talibus ſerò ſapientibus, ita Plutarchus: Inſipientes bona quoque præſentia tranſmittunt: vnde adeò ad futurum vergunt intenſiſſimæ ſemper eorum curæ. Prudentes contrà, acri recordatione reducentes in rem præſentem, vel ea quæ iam non ſunt, inſtare etiam atque adeſſe faciunt.

Luc. 19. Lubeat, quęſo, Lector, hunc prudentium morem mecum in Zachæo quaſi coràm intueri. *Quærebat videre Ieſum, quis eſſet.* (Vita æterna eſt, noſſe Ieſum: beatitudinem itaque & ſalutem in Saluatore quærebat; rectè: occaſionem omnem captabat; optimè.) *At, nõ poterat præ turba,* (multa ſalutis ſtudioſum circumueniunt incommoda) *quia ſtatura puſillus erat.* (Tyroni & robur & vſus deficit.) *Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum; quia inde erat tranſiturus.*

Futura quaſi præſentia efficere. Tam ſtudioſus fuit occaſionis indagator, vt & futurum ſibi quaſi præſens effecerit, præcurrendo, aſcendendo, & intenta oculorum acie proſpiciendo: obtinuitque quod optabat, & pluſquam ſperarat. Ea eſt vbertas occaſionis benè obſeruatæ, præſertim in rebus publicis, & quod caput eſt, in ſalutis æternæ negotio.

Schemat.

Schemat. 8. Cap. 3.

Occaſionem eſſe captandam: quique præteritam neglexerit, neque veriſimiliter amplexurum venturam.

TAntum abeſt, vt quis ſe neglectæ occaſionis meritò purgare poſſit; vt potiùs quærere, captare, ac venatorum more debeat indagare necdum ſe offerentem. Nam ſæpè accidit, vt neque opinanti, ab aliis indicio aliquo demonſtretur, vel ipſa ſe ſponte prætendat.

Huius non obſcurum in Athenienſibus exemplum facile eſt obſeruare. *Stans enim Paulus in medio Areopagi, ait: Viri* Act. 17. *Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video. Præter-* Areopagum. *iens enim & videns ſimulacra veſtra, inueni & aram in qua ſcriptum erat,* IGNOTO DEO. Ecce adſtabat ipſis eodem loco Inopinata OCCASIO cognoſcendi verum Deum, ſi ſcrutati fuiſſent, & ſæpe adeſt non videbant. Apoſtolus verò illam eis reuelat hac occaſio- Occaſio. ne, dicens: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cùm ſit Dominus omnium, fecit ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ; definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum; quærere Deum, ſi fortè attractent eum, aut inueniant; quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrûm. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt: Ipſius e-* Aratus. *nim & genus ſumus.* Videte quomodo vndiquaque eos captare doceat occaſionem, & quaſi palpando, eam, vt viam ſalutis, inueſtigare.

Fruſtrà itaque iſti in Schemate, cum ſui ſimilibus, elapſam Qui pręteritis icti, requirunt, vel ſe purgant, quaſi verò eam, ſi iterùm coràm ſi- non attenſtatur, ſint amplexuri: cùm circa præterita ſolùm ſapientes dunt ad ſint, circa præſentia verò, multoque magis circa futura, æquè pręſentia, ſemper futuri imprudentes; quod ſtultorum eſt. rarò capeſſunt futura.

Ideò

1. Reg. 26. Ideò & Saul de ſe confeſſus, ne pilo quidem melior prudentiórve ex ea confeſſione euaſit. Dum ſiquidem Dauidem innoxium ad necem perſequeretur, acccideretque vt Dauid dormienti Regi ſeruiſque ſtertentibus, haſtam & ſcyphum aquæ, qui erat ad caput eius, auferret, eque eminentiori loco cuſtodes regis negligentiæ accuſaret, nominatimque ducem militiæ Abner, dicens: *Nonne reſpondebis Abner? Et reſpondente Abner ac dicente, Quis es tu qui clamas & inquietas regem? ait Dauid ad Abner: Numquid non vir tu es? & quis alius ſimilis tui in Iſraël? Quare ergo non cuſtodiſti dominum tuum regem? ingreſſus eſt vnus de turba, vt interficeret regem dominum tuum. Non eſt bonum hoc quod feciſti. Nunc ergo vide, vbi ſit haſta regis, & vbi ſit ſcyphus aquæ, qui erat ad caput eius. Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi Dauid? Et ait Dauid; Vox mea, domine mi rex. Quam ob cauſam dominus meus perſequitur ſeruum ſuum? Quid feci? aut quod eſt malum in manu mea? & ait Saul:* PECCAVI; *reuertere, fili mi Dauid: nequaquam enim vltrà tibi malè faciam, eò quòd pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie. Apparet enim quòd ſtultè egerim, & ignorauerim multa nimis.* Dauid occaſionem nocendi ſuo perſecutori toties oblatam, numquam arripuit; Saul verò toties econtrà oblatam, pacis, amicitiæ, & reſipiſcentiæ occaſionem viſus eſt quidem apprehendere; verùm, quoties oblatam permiſit elabi, toties deplorauit abſentem.

Vigilum dormitatio.

Quis meritò vel non datam vel elapſam conqueratur occaſionem, cùm ferè ſemper ipſa in vigilantis incurrat oculos? Auguſtinus de ſe lepidum refert exemplum oblatæ inopinatò occaſionis, cuius ope & efficacia ardentiſſimas ambitionis curarumque ſæcularium febres in ſe aliiſque curaret. Inhiabam honoribus, lucris, coniugio, & tu, Domine, irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates. Sed quid? an ipſe ſuo malo medelam occaſionémve remedij conquirebat? Non id lego. Sed Deo acceptum refert, qui mirabili eum iuuit occaſione. Quàm ergo (inquit) miſer eram! & quomodo egiſti, vt ſentirem miſeriam meam? Pergit nar-

Inopinatæ occaſionis exemplũ.

Auguſtin. Confeſſ. li. 6. cap. 6.

narrare. Die illo, quo, cùm pararem recitare Imperatori laudes; quibus plura mentirer, & mentienti faueretur ab ſcientibus, eaſque curas anhelaret cor meum, & cogitationum tabificarum febribus æſtuaret; tranſiens per quemdam vicum Mediolanenſem (en tibi à Deo datam occaſionem) animaduerti pauperem mendicum (iam credo ſaturum) iocantem atque lætantem: & ingemui; & locutus ſum cum amicis meis qui mecum erant, multos dolores inſaniarum noſtrarum, &c. ſecuritas, lætitia, liber animus mendici, ipſi occaſionem præbuerunt, ſuam culpandi curandique cupiditatem, animique æſtuantis inquietudinem. Si non arripuiſſet, data quidem æquè fuiſſet, ſed neglecta & inefficax, eius culpâ. Lęta mendicitas.

Non præteriit quoque oblatam inopinatò occaſionem Alipius, ſingularis eius amicus, ſed inſaniis Circenſium ludorum ſpectandorum multùm deditus. Quodam namque die, cùm ſederem (inquit Auguſtinus) loco ſolito, & coram me adeſſent diſcipuli, venit, ſalutauit, ſedit; atque in ea quæ agebantur animum intendit. Et fortè (en tibi ſimiliter & iſti Occaſionem præter dantis accipientiſque opinionem ſponte ſe ingerentem, ſed non negligenter exceptam prehenſamque) lectio in manibus erat; quam dum exponerem, & opportunè mihi videretur adhibenda ſimilitudo Circenſium, quò illud quod inſinuabam & iucundius & planius fieret, cum irriſione mordaci eorum quos illa captiuaſſet inſania: tu ſcis Deus noſter, quòd tunc de Alipio ab illa peſte ſanando non cogitauerim. At ille in ſe rapuit (per occaſionem) meque illud non niſi propter ſe dixiſſe credidit. Ita Auguſtinus. Vt autem videamus, eamdem rem ab aliquibus aliquando in occaſionem boni accipi, ab aliis verò interdum rapi in malum: audiamus quod ibidem additur. Et quod alius, inquit, acciperet ad ſuccenſendum mihi, accepit honeſtus adoleſcens ad ſuccenſendum ſibi, & ad me ardentiùs diligendum.

Aliud exemplum. *Auguſtin. Confeſſ. li. 6. cap. 7.*

Auguſtin. ibidem.

Schemat. 8. Cap. 4.

Juſta manet eos METANOEA, *qui oblatam* OCCASIONEM *contemſerint.*

Metanœa ſeu dolor occaſionis amiſſæ.

SErum huius Schematis planctum, inſipientiæ comitem, quem Veteres *Metanœam* nuncuparunt, in ſe deſcribit Propheta Ieremias, ſuper vaſtatione Ieruſalem, eò quòd ſigna Domini & voces Prophetarum ad meliora vocantium, velut optimam ſalutis OCCASIONEM, contemſiſſent: quam tamen, puerorum inſipientium more, requirere videri voluerunt cùm ſerò eſſet.

Poſtquam ſiquidem Propheta calamitatem & vaſtationem eis ingruentem depinxiſſet; iuſtum meritumque luctum eis prædicit, exhortantis loquendi modo. *Filia*, inquit, *populi mei, accingere cilicio, & conſpergere cinere. Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* Et appoſitè ipſemet in ſuis pro hac vaſtitate lamentis inquit; *Plorans plorauit in nocte*, Quia ſcilicet diem lucemque ſine fructu tranſegerant. Ideoque iuſtè fatetur ipſa ciuitas deſolata culpam ſuam, omnium ſuorum inſipientium filiorum nomine, non cognoſcentium tempus viſitationis ſuæ neque pacis. *Abſtulit omnes magnificos meos Dominus in medio mei. Vocauit aduerſum me* TEMPVS. Temporis enim pars ſubſequens, præcedentis contemtæ partis vindex efficitur. Iuſto Dei iudicio quaſi tempus ad hoc prouocante, ac hoſtibus ad puniendum ignauos ſpatium & opportunitatem ſuppeditante.

Ierem. 6.

Thren. 1.

Quocirca temporis negligenter expenſi memoria tacti Iudæi per afflictionem, quaſi remordente conſcientia ſtimulati, orant præteritum redire, dari ſibi denuò opportunitatem, vt iſti excordes in Schemate iuuenes votis replent æthera. Ita pergunt in lamentis Propheticis Iudæi: *Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur: innoua dies noſtros, ſicut à principio.*

Thren. 5.

Votum

Votum iſtud illi prorſus eſt ſimile, quod in typo videmus expreſſum.

C *—— O ſi mihi Iupiter illam* (OCCASIONEM)
D *Nunc ſtatuat reducem, neglectaq́; tempora reddat!*
E *Vt mihi nulla breuis, ſine fructu diffluat hora!*
O mihi dilapſi fiat ſi copia vultus!

Iuxta illud Euandri:

O mihi præteritos referat ſi Iupiter annos! Æneid. 8.

Miſeri quoque Iudæi talibus ploratibus præteritorum temporum inſipientiam conteſtati ſunt, flebili illo Dauidico carmine: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui, Sion. Si oblitus fuero tui, Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui: ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.* Pſal. 136.

Rectè quidem ita Propheta: at illi, quorum iſta contexuit nomine, quando ita ſapuerunt vt ſic ex animo loquerentur? Quando nimirum in captiuitate, ob præteritas culpas & negligentias temporis opportuni, erant conſtituti. *Illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Difficile profectò, & peregrinum valdè; ſed meritò quia non cantaſtis in patria. Quando tempus & locus id officij ab illis poſtulabat, à Prophetis Dei iuſſu deſidia ipſorum reprehendebatur, negligebant: iam verò; iam, inquam, quando locus & tempus omniſque occaſio eis ademta eſt, videntur mira præſtituri, ſi anſa ſuppeteret. Atque vtinam noſtrum Belgium non ita quoque irrita haberet vota illa, quæ non ſine ſpecie ac ſpe reſipiſcentiæ tempore afflictionis emiſiſſe notiſſimum eſt!

Ita videas, pleriſque quaſi oculos aperiri per lapſum, ſicut de ſe Balaam teſtabatur, *Vir qui cadens apertos habet oculos.* Num. 25. Sed vt nec ipſe poſt tam euidentium errorum apertam manifeſtationem prudentior effectus eſt; ita nec eiuſmodi homines verè reſipiſcunt, tametſi reſentiant, videanturque ſtimulo quodam pudoris & doloris adacti errata cognoſcere. Sed

quia ſibi ſapiebant dum errabant; non facilè ad veram ſapientiam, niſi ſingulari Dei miſericordia mouente per reſipiſcentiam, adducuntur.

Auguſtin. Confeſſ. li.6 cap.8. Alipij tentatio.

Valdè accommodum habemus exemplum in Alipio (poſtmodum Tagaſtenſi Epiſcopo) quem ſuperiori Capite mirabili occaſione ab inſania Circenſium ludorum reuocatum audiuimus. Is cùm paulò pòſt ab amicis & condiſcipulis ſuis ad immania illa ſpectacula iterùm valdè inſtanter inuitaretur, & non obſtante reluctatione tandèm aſſentiretur, nixus quadam aſſumtæ conſtantiæ confidentia; dicenſque: Si corpus meum in illum locum trahitis & ibi conſtituitis, numquid & animum meum & oculos meos in illa ſpectacula poteſtis intendere? Adero itaque abſens, ac ſic, & vos & illa ſuperabo. Quibus auditis, illi nihilo ſeciùs eum adduxerunt ſecum, idipſum fortè explorare cupientes, vtrùm poſſet efficere. Quò vbi ventum eſt, & ſedibus quibus potuerunt locati ſunt; feruebant omnia immaniſſimis voluptatibus. Ille clauſis foribus oculorum, interdixit animo, ne in tanta mala procederet, atque vtinam & aures obturaſſet! Nam quodam pugnæ caſu, cùm clamor ingens totius populi vehementer eum pulſaſſet, curioſitate victus, & quaſi paratus quidquid illud eſſet, etiam viſum contemnere & vincere; aperuit oculos, & percuſſus eſt grauiore vulnere in anima, quàm ille in corpore, quem cernere concupiuit. Et non erat iam is qui venerat, ſed vnus de turba ad quam venerat, & verus eorum ſocius, à quibus adductus erat. Quid plura? ſpectauit, clamauit, exarſit, abſtulit inde ſecum inſaniam, qua ſtimularetur redire, non tantùm cum illis à quibus priùs abſtractus eſt, ſed etiam præ illis, & alios trahens.

Curioſitatis illecebra.

Iſtud ad longum appoſui, quia & aliis ſeruit caſibus, quibus aliquando adoleſcentes & alij nimis confidenter ſe exponunt, & audaces potiùs quàm fortes animis, potatorum, impurorum hominum ac iuuencularum conſortiis ſe fidentes ingerunt, & corruunt. Atque vtinam tandem cum Alipio omnes emergant! Dicit Deo D. Auguſtinus de illo Alipij caſu: Et inde tamen manu validiſſima & miſericordiſſima

eruiſti

eruiſti eum tu, & docuiſti, non ſui habere ſed tui fiduciam, ſed longè poſteà.

Schemat. 8. Cap. 5.

Sibi ſapientes, occaſionem ſæpè reiiciunt: & in propria aſtutia capti, ſuo aliorumque malo ſapere diſcunt.

COmpletur in illis ſibi nimium fidentibus, illud quod apud Prophetam Iob legimus: *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium prauorum diſsipat.* Videntur ſiquidem ſibi præ ceteris ſapere, etiam dum deſipiunt maximè, quicumque pręſentem occaſionem faſtidiunt, vel etiam negligunt tantùm. Nemo enim prudens volenſque (de ſtultis & ſtertentibus hîc taceo) occaſionem ſe offerentem omittit, niſi prætextu maioris alicuius prudentiæ melioriſve conſilij. Vel enim melius conſilium præ manibus habere ſe credunt, vel Deum ſubmiſſurum meliorem opportunitatem. Dumque ſic ſibi ſapiunt, faciuntque; in aſtutia ſua vani ſapientes capiuntur, & conſilium ipſorum diſſipatur. Et ferè non videas, niſi opinione melioris conſilij, errores committi. *Iob 5.* *Fallentes ſeipſos.*

Tunc ſequitur in re, quod in verbis prædicti Prophetę ſubſequitur: *Per diem incurrent tenebras.* Hoc eſt, in re clara ac manifeſta aliis, tam deliranti aſtutia non præpeditis, ipſi impingent, quaſi tenebræ cautelam à lapſu prohibeant, cùm ſint omnes vbique viæ ſole ſplendente conſpicuæ: *& quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie.* Id eſt, in negotio, quod per ſe luce meridiana lucidius eſt, hallucinabuntur & ambigent, non ſecus quàm cæcus ſecus viam oberrans & ceſpitans; vel alius nocte obſcura circumuallatus. Cæcutientes in propria aſtutia.

At, exemplum huius rei proferamus in medium. *Senuit Iſaac & caligauerunt oculi eius:* at magis cæcutiuit Eſau, tametſi vegetus & ſucculentus. Nam quando coxerat Iacob pulmentum, veniſſetque ipſe de agro laſſus, ait: *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò laſſus ſum. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. Ille reſpondit* (attende aſtutiam, hoc eſt ſa- *Geneſ. 27.* *Geneſ. 25.*

pientiam propriam, prudenſque in ſpeciem conſilium, ſed merum ſtultitiæ meræ prætextum) *En morior*, inquit, *quid mihi proderunt primogenita?* Prudenter admodum vt ex obliquo apparet. Nam, ſi certò iam iam moriendum, caſu quo pulmento carendum eſt; eoque obtento vita redimitur, vt ipſe videtur præſupponere; quis non dicat prudenter factum, quòd iacturam rei inutilis patiatur, vt eam rem comparet, de qua vitæ incolumitas pendet?

Iniqua deliberatio.

At in præſuppoſito latebat error; tam quoad rei proiectæ adeptæque æſtimationem, quàm quoad neceſſitatis extremæ imaginariam apprehenſionem. Ita ſolent claudicantes ex vna vel altera parte deliberatores rerumque æſtimatores concludere. Quando, vbi aliquid vel agendum vel non agendum trutinatur & controuertitur, ſtatim vna ſola agendi vel non agendi ratione occurrente decernunt; non attendentes, an plures maioríſve momenti non ſint fortè rationes, in contrarium militantes.

Statera doloſa, iudicium proprium.

Vt, ſi matrimonium alicui ineundum ſit vel non ineundum deliberetur: & ſimulatque aliquid pro vna vel altera parte in mentem venit, feratur ſententia. Nempe ſi deliberans cogitet, pulchra vel diues eſt, vel ſimile quid; inferatque exemplo, ergo eſt ducenda. ſed, an mala, moroſa, impudica, infamis, intractabilis, hæretica, & mille talibus ornata præconiis, non conſideret; nónne claudicat eiuſmodi deliberatio? Solùm etenim ob inanis iactantiæ næuum, etiam formam ipſam & diuitias, & id genus alia, in puella Poëta contemnebat, dum ſic ait:

Martialis Lib. 1. Epig. 32.

Bella es, nouimus; & puella, verum eſt:
Et diues; quis enim poteſt negare?
At, dum te nimium Fabulla laudas;
Nec diues, neque bella, nec puella es.

Ita, ſi equum, domum, agrum, vel aliquid aliud emere ſit animus; re quapiam notata quæ commendet, ſtatuunt aliqui, rem illam citra omne dubium coëmendam; non conſideratis infinitis incommodis, quæ, ſi attendas, emtionem omnino diſſuadeant: certum eſt tales deſipere, egereque iudicio.

dicio. Velut etiam qui econtrà, leui quodam vitio in eadem re notato, decernunt non comparandam; non obſtantibus tot tantiſque in contrarium argumentis, quæ præponderarent ſuaderentque omnimodis emendam, ſi iuſta lance librarentur.

Non aliter accidit interdum in maioris momenti deliberatione: vt, ſi cum hoſte confligendum, necne? an ſit pax ineunda quæ offertur, ſuadetúrve, an non? vtrùm de ciuitatis alicuius deditione tranſigendum, an ſecus? an oppidum inſultu aggrediendum, an contrà dolo bono tentandum, vel potiùs longa obſidione domandum? an caſtra metanda, vel mouenda ſint? Ita, ſi de ſalute bonoque Reipublicæ magni quidpiam ſtatuendum. Denique, quotieſcumque de rebus magnæ molis deliberandum erit: quis neſciat, tam euidentem eſſe hallucinationem erroremque iudicij, ſi vna tantùm ex parte ratio vna attendatur, & non ex oppoſito aliæ pro ſententia aduerſa facientes; atque ſi quiſquam numum aureum, vel quiduis aliud in bilance conſtituat ponderandum; & non reſpiciendo an in oppoſita lance iuſtum ſit pondus impoſitum, ſed ſolùm animaduertendo, quòd pars illa, vbi numus eſt, deorſum feratur, ſtatim iudicet, ſatis abundeque ponderare: cùm verè ridiculum ſuo ſe facto perhibeat, vt qui iuſti id ponderis eſſe determinet, quod ſine oppoſito pondere, per ſe ſolum ponderatur. Aequa rerum æſtimatio quid requirat.

Quid enim mirum, ſi aureus vel leuiſſimus vnam bilancis partem deorſum premat, ſi altera æquilibrij lanx relicta ſit vacua, vel pluma tantùm paruula impoſita? Ita, ſi quis iudicet, tale vel tale facinus, familiare, ciuile, vel bellicum, ideò aggrediendum, quia vna vel altera ratio, in quam primùm oculos coniicit, quæve primùm vel potiſſimùm in mentem venit, id ita ſuadere videtur; certum eſt, illum apertùm dare ſuæ imprudentiæ argumentum. Simile à bilance & trutina.

Hoc porrò & ipſe loquendi modus nos docet; quando vocabula ipſa quibus vtimur, nos ad libellam, trutinam, bilancem, & calculum reuocant, quoties de re aliqua deliberare, eamque benè ponderare, æſtimare, & quaſi in æquili-

brio

brio ponere dicimur; vt, quò maius rationum pondus impulerit, eam mox in ſententiam pedibus eamus.

Conſideratio in deliberatione, quaſi rationum conſtellatio.

Vox quoque ipſa conſiderationis id confirmat, cuius vis & energia non id permittit, vt ſtatim hoc vel illo animi inſtinctu, huc illúcve nauis impellatur, aut aſtrolabia vel horoſcopa inſtrumenta vertantur; ſed eò tantùm, quò ſiderum ſitus, motus, mutuúſve reſpectus & coniunctio, ex certis naturæ rationibus, eiuſmodi componenda eſſe demonſtrant: ita, per modum loquendi, de rebus quibuſlibet agendis vel non agendis, maturè circumſpectéque eſt conſiderandum: hoc eſt, videndum, quæ ſit rationum hoc illúdve ſuadentium vel diſſuadentium, quaſi ſiderum concurſio, velut quædam (vt ita dicam) conſtellatio & conſideratio.

Conſiderationis exemplũ.

Tit. Liuius Decad. 3. lib 5.

Martius Imp.

Si conſiderationem hanc, & quaſi rationum conſtellationem, per accuratam diſquiſitionem, in expeditione bellica (quæ etiam in aliis quibuſlibet locum habere poteſt) lubet in exemplo quodam intueri: audiamus apud Titum Liuium, Martium Imperatorem ad milites ſuos in concionem conuocatos orantem. Tam ambiguus ſiquidem & profligatus erat tum rerum in exercitu Romano ſtatus, vt flere omnes repentè, & offenſare capita, & alij manus ad cælum tendere, deos incuſantes, cœperint: alij ſtrati humi ſuum quiſque nominatim ducem implorare, neque ſedari lamentatio poterat; excitantibus centurionibus manipulares, & ipſo minitante & increpante Martio, in quem iamnunc ſub extrema hac animorum conflictatione, communibus omnium ſuffragiis, ſummam Imperij detulerant. Exanimatio quippe militum inde oborta erat, quòd deletus iam exercitus Romanus amiſſæque Hiſpaniæ viderentur: timerentque aduentantem Aſdrubalem, ad reliquias belli delendas.

Animorũ deiectorum erectio.

Martius eos increpauit, quòd in muliebres & inutiles ſe proieciſſent fletus, potiùs quàm ad tutandos ſemetipſos & Rempublicam ſecum acuerent animos, & ne inultos imperatores ſuos iacere ſinerent: quibus excitati milites, repentè magnam ſtragem in hoſtilia caſtra intulerunt. Sed ad orationem

tionem eius veniamus, qua poſteà ad ſerium cum hoſte conflictum ſuos inflammauit; omnibuſque benè conſideratis, cauſiſque vrgentioribus ritè trutinatis, determinauit ex æquo, datam OCCASIONEM eſſe arripiendam. Verùm ſingula in eius verbis attendamus, præſertim iuxta conſiderandi deliberandique rationem, cuius gratia iſtud pro exemplo adducimus. Sic itaque in graui ſua oratione Martius ad ſuos milites: *Eo ipſo quod difficillimum videtur, facillimum erit.* Tertia vigilia noctis, ſilenti agmine ducam vos: exploratum habeo, non vigiliarum ordinem, non ſtationes iuſtas eſſe, &c. Scio (inquit) audax videri conſilium: ſed in rebus aſperis & tenuibus, fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt. QVIA, SI IN OCCASIONIS MOMENTO, CVIVS PRAETERVOLAT OPPORTVNITAS, CVNCTATVS PAVLVLVM FVERIS, NEQVIDQVAM MOX OMISSAM QVERARIS. Vnus exercitus in propinquo eſt; duo haud procul abſunt: nunc aggredientibus *par aliqua opportunitas*; & iam tentaſtis veſtras & illorum vires. Si diem proferimus, & heſternæ eruptionis fama contenti deſierimus; periculum eſt, ne omnes duces omneſque copiæ conueniant: tres deinde duces, tres exercitus ſuſtinebimus hoſtium; quos Cn. Scipio incolumi exercitu non ſuſtinuit. Hucuſque Martius, verè Martius, æquus rationum momentorumque æſtimator, trutinator, & conſiderator, necnon ſedulus OCCASIONIS oblatæ obſeruator: vt Valerius Maximus, non immeritò, ex capite concionantis ad milites, flammam eluxiſſe, teſtetur.

Orationis Martij pars.

Val. Max. li. 1. cap. 6.

Schemat. 8. Cap. 6.

Omne negotium vtraque ex parte benè trutinandum.

QVandoquidem igitur æquè in magnis atque in paruis vulgaribuſque rebus conſideratio iſta atque rationum diſcretio locum habere debet; quò maturiùs iſtud tractabimus, eò plus vtilitatis exſpectandum erit. In ſacro itaque exemplo,

Diſcretio in omni deliberatione neceſſaria.

emplo rationum vtrimque in deliberatione vrgentium exa-ctam videamus trutinationem, quemadmodum in bello, præcedenti Capite, nos docuit Martius; vt fiat id quaſi praxis manibus noſtris adeò familiaris, vt in omni re propoſita ſtatim ad eam recurramus: ſicut numularius mox ad ſuam trutinam confugit, quando pars ei aurea obtruditur, de qua vel minima ſuſpicio oboritur.

Dan. 13. Trutina Suſannæ iuſtiſſima.

Suſanna prudens, pia, in caſtitate radicata, tametſi repentè circumuenta, trutinam iſtam tamen recti iudicij & diſcretionis vacillare non permiſit, ſed ad iuſtum æquilibrium, famam, vitam, animamque ipſam comparauit. Quum enim ab iniquis impuriſque illis ſenioribus iiſdemque iudicibus ad illicita ſollicitaretur, vel mors ei certa, ſub falſa criminatione, foret exſpectanda: ingemuit quidem præ ſubito animi mærore, & rei inexſpectatæ nouitate: aitque, quaſi deliberans, & rem vtrimque in bilance diſponens: *Anguſtiæ mihi ſunt vndique*. Iam vtramque ſuſpenſæ bilancis partem conſiderantem attende. *Si enim hoc egero* (inquit) *mors mihi eſt*: mortiferè pecco, & ipſo facto rea mortis efficior; *ſi autem non egero*: ſi vobis in malum non aſſentior; *non effugiam manus veſtras*; quia, vt minamini, velut adulteram accuſabitis, teſtes ipſi futuri & iudices.

Ecce libratam & vtrimque nutantem bilancem in medio pendentem. Non ex aliqua conſtantis Heroinæ vacillatione quoad voluntatem, ſed tantùm pro rationum momentis inter ſe pondere ſuo pugnantibus. In vtramque ſtateræ partem oculos diſcreta conuertit, non in alteram tantùm; nec obiter quidem vel obliquè, ſed fixè & directè, vt res merebatur: omnibuſque benè perpenſis, deliberatis, & conſideratis vt oportebat, tandem reſoluit; certa de bono euentu, vtcumque res ceterùm caderet; vt accidit quoque, teſte ſucceſſu ipſo. Decernit itaque, & ex præponderante bilancis altera parte indubitata determinat in hanc ſententiam: *Melius eſt mihi abſque opere* (malo ſcilicet) *incidere in manus veſtras; quàm peccare in conſpectu Domini.*

Et quemadmodum trutina iſta, ratioque deliberandi, er-

rare

rare non poteſt; ita ab aliis experimentis accipit ſuæ iuſtitiæ & æquitatis approbationem, ſi poſteà ad maiorem (vt fit) ſecuritatem lubeat adhibere. Ita hæc tam æqua Suſannæ deliberatio nec falli nec fallere potuit: quia iuxta diuinam amuſſim, rationis, legis, & conſcientiæ dictamen, fuit inſtituta. Hinc Deus ipſe admirando iudicio eam comprobauit, miſſo Daniele, qui cæleſti indagine latentes nequitiæ technas aſſecutus, iniquos illos iudices tanti mali molitores, publico populi annuente ſuffragio, morti addixit, innocentemque à necis diſcrimine liberauit.

Sic, inquam, in omni re dubia deliberare oportet, vt non ſtatim vnius aut etiam alterius rationis pondere in hanc vel in illam partem delabamur; ſed omnibus ex vtraque parte benè perpenſis (& quidem, ſi opus, ad hoc, iuxta ſe inuicem ex aduerſo deſcriptis) ſecundùm præpollentem lancem, rationeſque præualentes faciendum ſtatuamus. Neque pluribus numero plus tribuendum, ſed ponderi cauſarum, etiamſi forent pauciores.

Ita Cicero de Critolao Peripateticæ ſectæ Philoſopho agens, qui cum Carneade & Diogene Stoico Romam miſſus fuit Legatus: Quæro, inquit, quam vim habeat libra illa Critolai; qui cùm in alteram lancem, animi bona imponat, in alteram corporis & externa; tantum propendêre illam boni lancem putet, vt terram & maria deprimat. *Cic. Tuſc. quæſt. li. 5.* Libra Critolai.

Adeò idem hanc rationum huc illúcve impellentium conſiderationem iudicabat neceſſariam, vt etiam in dicendi genere eam abeſſe non permitteret. Hæc, inquit, noſtra oratio, multitudinis eſt auribus accommodanda, ad ea probanda, quæ non aurificis ſtatera, ſed quadam populari trutina examinantur. Vnde & Apuleius; Trutinatam ſententiam, vocat, grauem & rectè examinatam. Sic & Perſius canit, in diſcretæ bilancis commendationem: *Cic. 2. de Orat.* *Apuleius.*

Scis etenim iuſtum geminâ ſuſpendere lance
Ancipitis libræ. Atque idem alibi: *Perſ. Sat. 4.*
Atque exporrecto trutinantur verba labello. *Satyra 3.*

Schemat. 8. Cap. 7.

Malè iudicantium de rebus temeritas, & merita pœna.

VT autem propoſitum à quo digreſſi ſumus reſumamus, in Eſau inſipientiam eorum detegamus, qui dum aſtutè ſe agere exiſtimant, tunc deſipiunt maximè; &, vt dicere cœperamus, iuſto Dei iudicio, apprehenduntur in aſtutia ſua, & conſilia eorum (non benè trutinata) diſſipantur.

Iob 5. Iudicij defectus in deliberatione.

Ita Eſau ſuamet ſapientia deluſus eſt; quia non erat vera prudentia, ſed apparens tantùm aſtutia; alteram ſolùm deliberationis obortique dubij partem conſiderans. Hinc ſerò quoque, cum ſui ſimilibus, ſtultitiam tantam deplorauit: quando nimirum malè prouidi ſui conſilij iacturam expertus eſt. Quum etenim frater eius, emto iam iure fruitus, benedictionem à patre accepiſſet, & pater id ei referret; *irrugijt clamore magno, & conſternatus eſt.* Cumque eiulatu magno fleret, tandem ſpecimen aliquod benedictionis accepit, ſed primogenita inſulsè (licet vt putabat prudenter) diuendita, in æternum non recuperauit.

Geneſ. 27.

Num. 24.

Ita & Balaam ariolus, cùm videret Domino placere, vt benediceret Iſraeli, cui iam tertiò, petente Balac rege Moabitarum, maledicere conatus fuerat, benedixit ei, multa præclara de Chriſto eiuſque fideli populo vaticinatus. At, quoniam poſt tot tamque euidentia diuini nutus argumenta, totidemque reſipiſcentiæ occaſiones, ad Deum reuerſus non fuit, immò regi Balac pernicioſum ſuggeſſit conſilium, vt fornicarias Moabitidas in exercitum Iſraelis immitteret: id ei inſinuans cùm exprobraret ipſi rex quòd non feciſſet vt expetierat; *Pergens* (inquit) *ad populum meum, dabo conſilium, quid populus tuus populo huic* (Iſraeli) *faciat extremo tempore. Docebat Balac* (inquit D. Ioannes) *mittere ſcandalum*

Balaami peruerſitas.

Apoc. 2.

lum coram filiis Iſrael; edere & fornicari. Quia (inquam) OCCASIONEM ſalutis toties oblatam non apprehenderat, fatuitatem ſuam ſentiſcens, non ſine ingenti cordis Metanœa proclamauit: *Heu! quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus?* quæ nempe tam ſpecioſè de Saluatore erat vaticinatus. Inter maledictionis intentatæ molimina, & inter coactam diuinitùs Iſraelis benedictionem, exultabundus dixerat quidem; *Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia*; manifeſta ſe pandebat & illic ſalutis OCCASIO, quam ſibi cum filiis Dei optabat communem: ſed quia non arripuit, remorſum torquentis conſcientiæ percipiens, dixit poſteà de Domino, quem ſtellam in Iacob orituram prophetauit: *Videbo eum, ſed non modò*; verum, quia primùm in extremo iudicio. *Intuebor illum, ſed non propè:* Et hoc veriſſimum, quia chaos magnum à Deo illum ſequeſtrabit, cum omnibus illis, quibus dicturus eſt, *Diſcedite à me maledicti, in ignem æternum.* *Num. 23.*

Magnis itaque lamentis deploratur amiſſum, quod habitum cum riſu negligebatur. Sic olim tempore Honorij, per craſſam incuriam deperdita fuit Roma, Alarico Gothorum rege eam repentino ſatiſq; facili ingreſſu intercipiente. Dumque Honorius Imperator inopinato nuncio cognouiſſet, Romam perditam, nihil eiuſmodi vel cogitans, putauit hoc ipſum de gallo gallinaceo (ob inſignem pugnacitatem Roma nominato) eſſe renunciatum. Sed veriſimile eſt amiſſæ veræ Romæ mœſtitiam eum plus affeciſſe, quàm priùs habitæ iuſtam æſtimationem, vt eſt in hominum more. Ferè namque ita fieri videmus, vt rerum pretioſarum quæ poſſidentur parua nonnumquam habeatur ratio: at quando ſunt perditæ, tum ſentitur damnum, veriorque ex mole recuperationis fit de illis æſtimatio. Tunc enim accidere ſolet communiter, vt quàm citò, facilè, oſcitanterque neglectæ amittuntur; tam ſerò, difficulter, & non niſi cum maximis impenſis recuperentur. Verſus tamen ille omnibus notiſſimus vtramque boni officij partem ſatis in mentem adducit, omneſque admonet: *Baronius tom. 5. anno Domini 410.* Roma gallus gallinaceus.

Ouid. *Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.*

Hinc, ſicut ille in Schemate clamat, *dona placebunt*; priùs C ſcilicet ſpreta; ſi modò offerantur; ſic ferè raro tempori ſapimus, & ſerò nihil non parati ſumus attentare. Non malè talibus conuenit, quod Melibœus, de ſe dolenter inſinuat, aliosque ſimilis negligentiæ reos inſimulat:

Sera lamenta negligentium.

Virgil. Eclog. 1.

Sæpè malum hoc nobis, ſi mens non læua fuiſſet,
De cælo tactas memini prædicere quercus.
Sæpè ſiniſtra cauâ prædixit ab ilice cornix.

Quibus non ineptè ſubiungas, quod Æneas profitetur, de neglecto ſaniorum conſiliorum libramine, pro Troianæ cladis auerſione, per Lacoonta & alios in medium prolatorum, dum ad illa quæ infrà ex eodem ſub finem Capitis quarti, Schematis decimi, afferemus, ſic addit:

Æneid. 2.

Et, ſi fata deûm, ſi mens non læua fuiſſet,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras;
Troiaq; nunc ſtares, Priamiq; arx alta maneres.

Ex Baron. tom. 6. anno 464. Daniel Stylita.

Anno Domini quadringenteſimo ſexageſimo quarto, Daniel Stylita in columna habitans, admirandæ ſanctitatis vir; aliquando Gennadio Patriarchę Cõſtantinopolitano & Leoni Imperatori, eum ſanctimoniæ gratia venerabundè inuiſentibus, prædixit incendium vrbis Conſtantinopolitanæ: quod vt ieiuniis precibuſque auerterent, admonuit: ſed neglexerunt opere exſequi; atque anno vno pòſt, vaſtata eſt incendio inopinato, & quaſi diuinitus immiſſo, ciuitas. Eratque periculum, ne quod vulgò celebratur orbis terræ miraculum, cerneretur pati ſimilia incendio Sodomorum. Vix tandem in tanto malo eis venit in mentem S. Danielis prædictio. Ad ipſum itaque confugerunt miſeri: quos increpauit negligentiæ, quòd præmoniti malum pœnitentiæ operibus non auertiſſent: vt qui in patiendo ſolùm fuerint Niniuitæ, non autem in pœnitendo.

Vt igitur ex iam dictis patet, error in eo conſiſtit, vt pręſentia negligantur, & tunc deplorentur quærantur que abſentia. Cumque omnia ſuo ſint tempore quærenda & acceptanda, fruſtrà eorum aliquid extra tempus ſuum requiratur.

Dicit

F Dicit eapropter in typo diabolus, FRVSTRA: ſimulque re- Hieroglyphicum
G ti ventum captans, facto ſuo ſuperuacuum laborem redarguit: vt ille ibidem deſperans dicit: *Neſcit ſors lapſa reuerti.* Et diabolus alter: *Renuunt auerſa reuerti.* Vt vulgò dicimus: Laterem lauare, dealbare Æthiopem, littus arare, in ventum niti, fruſtrà laborare. Ita diabolus, qui lætanter anteà & cum voluptate ad malum perpetrandum impellit; poſteà, ſi poteſt, inducit ad deſperationem, vt ſequenti Capite oſtendetur. inanis ſtudij.

Schemat. 8. Cap. 8.

Diabolus peccatum antequam committatur leue facit; grauiſſimum verò, cùm fuerit perpetratum.

ADimpletum illud in hoc Schemate videmus, quod plerique quidem non rarò patiuntur, ſed non æquè cognoſcunt miſeri vt euitent: Diabolum ſcilicet initio, ante peccati perpetrationem, omnia facilia & tenuia facere; malo verò peracto, extremè aggrauare. Diaboli fraus.

Illud ſiquidem curat hoſtis noſter teterrimus, quod piſcatores. Naſſam exponunt, in quam piſces eſcæ pellecti dulcedine vel auiditate compulſi, os primùm latè patens ingrediuntur: ſed quando nituntur regredi, omnia arcta & anguſta valde reperiunt, vt foramen, per quod intrarant, nequeant ad remeandum inuenire. Naſſa diaboli, peccatum.

Sic diabolus lata & ſpatioſa omnia ante peccati completionem ſolet efficere, quando verò voluptate pelliciente peccator illapſus eſt, ita conſtringit omnia, vt nullum videatur effugium miſero. Naſſæ etenim ea eſt forma, ſiue viminea ſit illa, ſiue lino contexta; vt lato primùm orificio, arctiori ſemper & arctiori meatu ad præcipuam alui capacitatem penetretur; in quam prono viminum filorúmve ductu illapſi piſces, dum regredi iam benè paſti meditantur, anguſtum illud foramen in medio ac ſpatioſo ventre libratum, vix vmquam Naſſæ deſcriptio.

quam reperiunt, ampliora ſemper laxioraque latera rimantes.

Huic piſcatorum dæmonumque artificio reſpondet illud quod in Iob legimus : *Saluabit te de ore anguſto latiſſimè, & non habente fundamentum ſubter ſe.* Dei namque ſingularis innuitur gratia, qua quis per latiſſimum peccati orificium in anguſtum penetrans captus, iterùm inde ad amplum illud veſtibulum regredi poteſt & liberari: ſicut Ionas de ventre ceti ad os eius remeauit, per quod primùm fuerat abſorptus: & inde in pedes denuò eſt reſtitutus.

Iob 36. *Ionæ 2.*

Propheta regius ab hac anguſtia ſibi metuens, quam diabolus poſt laxum vt dixi lapſum molitur, ſic orabat: *Non me demergat tempeſtas aquæ* (ecce latitudinem, iam audi ſubſequentem anguſtiam) *neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Ieremias Propheta hanc in ſe machinatos aſtutiam & nequitiam incuſat: *Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me.*

Pſal. 68. *Thren. 3.*

En diaboli artificium. Lapſum primum in peccati lacum, vt cuius os ſit peramplum, ſemper effingit facilem & obuium: quando verò de regreſſu per pœnitentiam agitur, tantam ſuperponit illi conatui molem, ac ſi lapidem prægrandem ori lacus imponeret, ex quo quiſpiam conetur emergere.

Lapſus in peccatum facilis, at difficilis regreſſus.

In idem quadrat quod D. Bernardus de hac diaboli aſtutia, vt venatoris cornu, commemorat, dum illud Pſalmi quadrageſimioctaui explanat: *Ipſe liberabit me de laqueo venantium.* Sed qui ſunt (inquit) venatores iſti? Venatores vtique peſſimi & crudeliſſimi. Venatores, qui cornu non ſonant vt audiantur, ſed ſagittant in occultis immaculatum. Ac ſi diceret, vt alibi, cornu inflant, non dum adhuc venantur, ſed capta præda. Non priùs, ne ſibi proſpiciat, ad tutiora confugiendo: poſteà verò, ne ſperet euadere; ſed capturâ ipsâ & cornu ſtridore perculſa deſpondeat animum; ſitque

Bernardus ſerm. 3. in Pſalm. 90.

Venatores diaboli.

Vna ſalus victæ, nullam ſperare ſalutem:

2. Aeneid.

quod deſperantium eſt extremum refugium, quo ſe in ſua miſeria ſolantur infelices. Frvstra, inquit ille deceptor animarum. O nequam, nequam, vbi nunc illud tuum nequaquam? *Nequaquam moriemini*, inquiebas; ita vitæ ſecuritatem F

tem in peccati commendationem aſſerebas. Et cùm induxiſti in laqueum, horrendis hiſce vocibus aures obtundis: Periiſti, noſter es, damnatus es, ipſa te ſalus non ſeruet; gehennæ incendiis deberis æternis. O impoſturam! ô amentiam!

Denique quando diabolus ita homines inducit, vt læti hilareſque in peccatum ruant, vt ſalutis rerumque præſtantium occaſionem (vt olim Iſraelitæ terram deſiderabilem) pro nihilo habeant; & tamen poſteà errati conſcios extremè ſollicitos reddit, & ad puſillanimitatem ſpiritus tempeſtatemque adigit perhorrendam; caupones illos imitatur, qui ſub initium lætum vultum, promtum obſequium, facilem tranſigendi rationem, & omnia acceptiſſima pollicentur, vt nulla prorſus inſideat animo ſollicitudo: at quando iam venitur ad calculum mulctramque marſupij, tunc duri, rigidi, exactoreſque implacabiles exiſtunt. Diabolus caupones quoſdam imitatur.

Veriſimile eſt, filium prodigum, ne quid deeſſet ipſius infelicitati (vt iis euenit quotquot illum hactenus in eo genere imitati ſunt) in ſimiles hoſpites, ganeones, paraſitos & ἀσώτους incidiſſe; qui ad os loquuntur, dum fauet aura; at nubila ſi fuerint tempora, te omni ſolatio & auxilio deſtituunt, decoctis vniuerſis.

Ita & Cain ille fratrem ſuum Abel blandis demulcens verbis in perniciem induxit. *Egrediamur*, inquit, *foras:* quaſi amicitiæ ſymbolo inuitans, ad non ſolùm ſecurè, ſed etiam cum voluptate deambulandum. Et ſtatim, cùm eſſet in agro, inſurrexit aduerſus eum, & interfecit. *Geneſ.* 4.

Sic & lanius, quando boui lapſum irreparabilem ſtruit, blandè ceruicem demulcet, & interim trabali malleo fatalem illi ictum librat. Sic Simile à lanio.

Fiſtula dulce canit, volucrem cùm decipit auceps. *Cato in Diſtich.*

Fraus eſt iſta etiam illius proditoris Iudæ, qui oſculo amiciſſimum Dominum ſuum, omnium creatorem, in necem tradidit, mandauitque teneri & duci cautè, ne captus effugeret. Et ipſi viciſſim infames ſanguinis iuſti ac innocentis mercatores; qui blandè priùs, amicabiliter, & illecebroſè ſpondentes pecuniam, cum Iuda tranſegerant, eumque ad infandum Diabolus primùm laxat, deinde arctat extremè.

 ſcelus

ſcelus reddebant audacem; quando iam in barathrum deſperationis infelix nundinator inciderat, & ipſe ſibi latiſſimum illud os abyſſi, in quam lapſus erat, diffidentiæ prælo anguſtiſſimum fecerat, planè idipſum inextricabile illi reddiderunt, dicentes: *Tu videris*. Ac ſi dicant: Morere, iugulum vel laqueum pete, damnare, peri; *Nihil ad nos*. Tibi, quod ſcias, conſultum noluimus, cùm pecuniam polliciti ſumus, ſed Chriſti illius quæſiuimus interitum; quo obtento, quid ad nos quæ te fata maneant? *Tu videris*: quod è re tua fore credis, hoc age: ſi nequis, i te perditum. Prorſus perinde ac ſi homini iam labenti vim adhibentes, ingeminent; Tute quod intriſti, tibi exedundum eſt; coloque quod aptaſti, tibi pernendum: quod facis, fac citiùs.

Hæc eſt illa cataſtrophe blandæ illius illuſionis diaboli, quando & animam, Dei gratiam, & ſalutis occaſionem perdere, dilapidare, & peſſumdare, in ludo ponit; poſteaq; ſpem omnem veniæ ſecludit, & diris modis inſultat capto.

Abſalon pendens, voluptatis mundanæ typus. 2. Reg. 18.

Figura huius eluſionis non aliena à propoſito, in Abſalone notanda proponitur. Quando namque ab arbore implicitis ramo crinibus ſuſpenſus hæret, non obſcurè ſignificat, id in quo maximè mundani homines delectantur, ipſis tandem in laqueum verti, quo ſtrangulentur. Erat ſiquidem Abſaloni maxima pulcri capillitij voluptas. Quòd autem mulus, cui inſederat, ſub ipſo pertranſiit, ipſe verò ſuſpenſus manſit; non incongruè figuratur, præterire illa omnia, in quibus omnis ſpes, fiducia, & felicitas ponebatur, & in quibus mens vanæ lætitiæ fæcibus ebria quietè molliterque velut equitabat: miſeros verò manere Nemeſin & Metanœam.

Adblandientem hanc prima fronte perniciem in Semiramide licet animaduertere: quæ, libidine ardens & ſanguinem ſitiens, quos concubitu oblectauerat, occidere conſueuiſſe narratur: adeò vt proprij filij concubitum expetens, ab eodem fuerit interfecta.

ORA-

ORATIO VIII.

Pro vera pœnitentia, vitæque emendatione.

DEus, qui culpa offenderis & pœnitentia placaris, gratiæ tuæ lumen mentibus noſtris infunde, atque occæcatum cor noſtrum ad te conuerte; vt prioris vitæ negligentias valeamus agnoſcere, & per veræ pœnitentiæ ſtudium emendare: quatenus te ſolum Deum, omnis boni fontem, in donis tuis agnoſcentes, cura maiori illis vti ſtudeamus, & numquam de tua miſericordia deſperemus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.



A. *Hem ſocij, quantum video, non omnis ademta*
Spes nobis : noua præteritorum alludit imago.
B. *Siſte gradum,* TEMPVS. *Quo tam pernicibus alis*
Præcipitas? A. *Lenteſce precor, noſq; adſpice præſens.*
B. *Ah! fugit.* C. *Heu! velox Occaſio præterit, ora*
Detorquens aliò. D. *Miſeris quid deniq; reſtat?*
C. *Quid vetat iniectis manibus retinere fugacem?*
D. *Ferte manus.* C. *En eluctata eſt, veſte relictâ.*
Prende capillitium, et proprio remorare capiſtro.
E. *Heu! ſero ſapimus.* F. POST EST OCCASIO CALVA.

Schematis 9. explicatio;

Quo elapſum TEMPVS, *neglectamq́;* OCCASIONEM *nequidquam inſequuntur imprudentes.*

Schemat. 9. Cap. I.

Hallucinatio circa vmbram palpitantium, qui rem neglexerint.

HOC Schemate errorem illum præcipuè detectum animaduertimus, quo, qui verã opportunamq́; OCCASIONEM neglexerunt, ſibi nihilominus perſuadent adhuc poſteà, elapſam vtcumque poſſe recuperari, tempuſque perditum reſarciri; cùm imaginaria ſit tantùm cum plurimis ſpecies, quæ oculis ipſorum oberrare videtur: & ita meram tantùm phantaſiæ illuſionem, veram atque efficacem occaſionem quaſi reducem ſibi fingunt & pollicentur: dumque ſe miſeri palpant, ventoque inani paſcunt; turpiùs ſe poſteà fruſtratos intelligunt. Vmbram pro re captantium inſcitia.

A *Hem ſocij* (inquit primus, reliquis, vt ipſi videtur, ad rem attentior) *quantum video, non omnis ademta Spes nobis: noua præteritorum alludit imago.* Verè dicit, *imago,* quia res tranſiit, vmbra ſequitur. Et, *alludit*; quia fictitia quadam ſpecie ſe præterita videntur exhibere: non autem ſe re ipſa offerunt, vt anteà, TEMPVS & OCCASIO.

Rectè Propheta regius dixit: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Quia, ſicut Deus habenti, hoc eſt, benè vtenti, Pſal. 110.

dat ampliùs; facitque rem acu attingere, vtque par eſt intelligere, propter vſum rei in praxim deductum; ita non habenti, id eſt, non vtenti, quod habet aufert, & iuſta illum hallucinatione caſtigat, qui rei veritatem ac certitudinem, per debitam operam & obſeruantiam nec meruit nec dignatus eſt inueſtigare & aſſequi.

Hinc dum operans & occaſionem oblatam apprehendens illuminatur, & ſoliditatem ſalutis amplectitur; negligens, otians, & oſcitans obtenebratur, & circa inania vanę ſpei phantaſmata vagari, palpare, & vacillare permittitur. Vt impleatur illud eiuſdem Prophetæ: *In imagine pertranſit homo:* in vanis imaginationibus vitam tranſigit. *Sed & fruſtrà conturbatur*; vt ſcilicet apprehendat: quia vt nec aura nec vmbra capiuntur, ſic nec imaginaria tantùm poſſunt apprehendi, vel præterita reuocari.

Pſal.38.

Dan.5. Balſaſar ſibi placens in inſcitia.

Quando Balſaſar optimè ſibi ſuo functus munere videbatur, quòd grande feciſſet conuiuium optimatibus ſuis mille; vbi vnuſquiſque ſecundùm ſuam bibebat ætatem; iamque temulentus præciperet, vt afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo, quod fuit in Ieruſalem, vt biberent in eis rex & optimates eius, vxoreſque eius & concubinæ; iamque bibentes laudarent deos ſuos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneoſque & lapideos; & in eadem hora digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ, ſcribentes MANE, THECEL, PHARES, apparerent: *facies eius commutata eſt, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſeinuicem collidebantur; exclamauitque fortiter:* præ rei ſtupendæ nouitate, & latentis ſecreti formidine, atque euentus ambiguitate. Ecce tibi in hoc homine, (typo iam antè ſignatam) Metanœam bonam Occaſionem negligentium: nunc etiam huius Schematis ſpecimen in eodem obſeruemus.

Occaſionis amiſſæ idea.

Quando à Daniele myſterij ſenſum veramque obſcuri ænigmatis interpretationem, non niſi tamen in ſuimet capitis perniciem vergentem acceperat; audiretque, ſe, decreto cæleſtis

ſtis trutinæ, regno priuandum; viſus eſt quaſi ſub ſpecie aliqua ſolidæ apprehenſionis occaſionem amplecti, dum iuſſu ipſius Daniel indutus eſt purpura, & circumdata torques aurea collo eius, & prædicatum eſt de eo, quòd haberet poteſtatem tertius in regno.

Quaſi verò in interpretis ſui condecoratione, rectè ſuo functus ſit officio, occaſionem tantæ cladis auertendæ amplectendo, cùm ne vmbram quidem neceſſarij conſilij ad tantum malum præcauendum, attingeret. Ideoque non ſine cauſa tam ſimpliciter res tanti momenti deſcribitur, cùm ſtatim adiicitur: *Eadem nocte interfectus eſt Balſaſar rex Chaldæus, & Darius Medus ſucceſſit in regnum.*

Ita quandoque in rebus maximis optimam occaſionem rei præclarè gerendæ deſerimus, captata inconſultè aliqua alterius ſe offerentis imagine. Sic cùm Totilas Gothorum rex vrbem Romam obſideret, & Beliſarius per amnem ferre obſeſſis opem vellet; interim dum feliciter munimenta oppugnat, quæ Gothi in medio Tiberi conſtituerant, perlato ad eum nuncio, Iſacium à Gothis captum eſſe, quem ipſe in Portu vrbe ad mare præſidio vxori reliquerat; credidit Iſacium capi non potuiſſe, niſi vrbs quoque Portus eſſet amiſſa. Itaque nuncij atrocitate attonitus, nulla re vltrà petita, vt quomodo geſtum illud eſſet quod nunciabatur, certior fieret, OMISSA VICTORIA QVAM PENE MANV TENEBAT (en neglectam veram occaſionem ob aliam imaginariam tantùm) retrò ad Portum vrbem ſe conuertit, eo animo, vt vel illic occumberet, vel amiſſa recuperaret. Quò poſteaquam peruênit, incolumi reperta vrbe, intelligit Iſacium idcircò captum fuiſſe, quòd contra ipſius imperium, vt cum hoſte congrederetur, eruperat. Agnouit igitur ingentem errorem Beliſarius, in quem delapſus erat, dum malè intelligendo, feliciter cœptum certamen omiſit: tantumque ex eo dolorem concepit, vt penè ob id vitam amitteret.

Fulgoſius li. 9. cap. 9.

Victoria ferè parta, neglecta.

Ita agnoſcunt quamplurimi ſuo malo docti, quàm rectè ſciteque Euagrius: *Eſt* OCCASIO *præceps*; & cùm pedetentim ingreditur, apprehendi forſan poteſt: vbi autem manus effu-

Euagrius lib. 3. Eccl. Hiſt. cap. 26.

effugerit, in ſublime auolat, & inſequentes ſe ridet; nec patitur ampliùs, vt ab illis capiatur. Quod & Photius argutè depingit in quadam epiſtola. Occaſionem elapſam video: nec ineleganter mihi prouerbium imitans hanc fronte capillatam, pòſt ad cutem vſque caluam depinxiſſe videtur. Cùm enim aliquis tempus è manibus elabi ſinit, etiam ſi mille artibus inſequatur, comprehendere nequaquam poteſt.

Epiſt. ad Anaſtaſ. Bibliothecarium.

Schemat. 9. Cap. 2.

Qui veram occaſionem prætermiſerunt, inanes poſteà phantaſias captant.

Vmbraticę occaſionis exempla.

NOn inconuenienter ſimili de cauſa viſus eſt Pſalmiſta teſtari inſipientiæ ſuæ omniumque peccatorum calamitatem: qua fit, vt poſt peccati voluptatem primùm excæcantem, aliquem ſoliditatis patiantur defectum, circa veram rectitudinis ſubſtantiam laborantes. Sic inquit ipſe: *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ.* Ac ſi dicat: Inſipienter egi, mandata tua, Domine, tranſgrediendo, ſalutis anſam toties à te mihi benignè prætenſam non arripiendo: hinc putruerunt cicatrices meæ. Veſtigia vulnerum præcedentium, tametſi ſolidæ carnis exhibeant ſpeciem, tamen intus putruerunt, & non niſi fallacem dant oculis intuentium apparentiam.

Pſal. 37. Cicatrices peccatorum.

Ita OCCASIONIS elapſæ & neglectæ aliquando poſtliminio obuerſatur aliqua veri deludens imago; cuius apparens foris ſpecies facit, vt apprehendere velis nitariſque, at latens intus inanitas conatum captantis eludit, redditque bis miſerum; vt qui veram neglexeris, fruſtrà captes vmbraticam.

Ventum pugno ſtringere.

Occaſione huius phantaſticæ illuſionis, qua ſe iſti TEMPVS & OCCASIONEM complecti (etiam ſeriò) arbitrantur, cùm ventum pugno ſtringant potiùs, verè notatu dignum, diuinam ita prouidentiam iuſto quodam iudicio irridere ridiculoſque facere eos, qui ſeria eius monita riſui aliquando

quando habuerunt. Ita iſtud ipſe prædicit per Sapientem: *Quia vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui adſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia: Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè conſurgent, & non inuenient me, eò quòd exoſam habuerint diſciplinam.* Prou. 1.

Merces itaque condigna contemtæ OCCASIONIS bonæ eſt iuſta METANOEA, & ſpes confundens, quæ lactet ſed non paſcat; quia inanis & in aëre fundata. Deceptionis huius ſpecimen referunt poma illa iuxta mare mortuum in deſerto Sodomæ ſolo naſcentia: quæ ſpecioſiſſima foris apparere dicuntur, intus verò plena eſſe fumo & fauilla, inſipientium olim amentiam per incendij reliquias atteſtantia. Ita ceſpitant, ita titubant, & in vanum currunt omnes (vt dicit idem Sapiens) *infantium inſenſatorum more viuentes.* Addit- Sap. 12.
que: *Propter hoc, tamquam pueris inſenſatis, iudicium in deriſum dediſti. Qui autem ludibriis & increpationibus non ſunt correpti, dignum Dei iudicium experti ſunt.*

Vento ſe itaque paſcunt iſti ſerò ſapientes, & ſeipſos ſpe vana lactantes, neque mirum ob id, ſi in eis impleatur quod dicit Oſee Propheta: *Comedent, & non ſaturabuntur.* Item Oſee 4.
illud Iſaiæ: *Sicut ſomniat eſuriens & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius; ſic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.* Iſa. 29.

Porrò, cùm Sion ſpeculam ſignificet, vt verè mons ille Domini erat; quotquot ſolidæ rerum ſpeculationi reſiſtunt, meritò ſomniantium & hallucinantium pœna plectuntur: vt quæ videnda ſunt, non videant, neque ob id ad ea quæ agenda ſunt, conualeſcant. Sicque videntes non vident, & audientes non intelligunt, & demum ſemper captantes nihil accipiunt, quia imaginarias tantùm phantaſias ſectantur, neglecta rei ipſius ſoliditate. Hoc genus hominum Acconis vetulæ illius contubernio alboque meritiſſimè inſcribatur, quæ ſo- Mons Sion. Acconis vetulę ſtultitia.

lita fuit ad ſpeculum cum imagine ſua, perinde ac cum alia aliqua muliere, confabulari. Ita ſecum videas interdum phantaſticum muſſitantem.

Phocylid. Neque importunè propterea huc illud Phocylidis reuocemus, tametſi anteà poſitum ſemel; OCCASIONI obtempera, &, Noli ſpirare in ventos. In vtrumque iſti impingunt: priùs occaſioni non obtemperantes, & poſteà temerè vanoq; ſolatio ac conatu in ventos ſpirantes.

Sabellicus li.4. cap.9. In ventum arma gerentes. Pſyllos non immeritò dixerimus iſtos imitari, qui in Africa circa maiores Syrtes ſedes habuerunt. Hi, ſi vera ſunt quæ à Græcis ſcriptoribus produntur, quia Auſtrum ventum plus nimio haberent inuiſum, vt ſibi & ſuæ terræ noxium, ſumtis armis hoſtiliter in eum profecti ſunt, ceu vnum aliquem hominem, & non rem incorpoream peterent: & illi tam ſtultè bellum ventorum vni intulerunt, magno humanæ mentis ludibrio; ſed fortunæ adhuc maiori, victi ſunt: turbatis enim Auſtrino flatu arenis, ad vnum omnes perierunt.

Bœotij. De his autem eorumque ſimilibus dici poſſit illud Horatij de Bœotiis, quos ſtolidos fuiſſe fama eſt:

Horat. Epiſt. ad Oct. Aug. *Bæotum in craſſo iurares aëre natum.*

Ita ſapiunt tandem, qui à ſapientum omnium ſententia recedentes, occaſionis opportunitatem floccipendunt; & dum iuxta ſuum euentilatæ mentis iudicium rem aliquam magnam aggrediuntur, ridiculos ſe etiam pueris faciunt, quando ſtolidum cœptum fine ſimili propalàm innoteſcit.

Schemat. 9. Cap. 3.

Exemplis elucidatur phantaſticæ occaſionis vana captatio.

Occaſionis imaginariæ ſimulacrũ. QVòd ſi non illepidum vanæ huius captationis exemplum ex ſacra Scriptura depromtum lubet inſpicere, proferemus; vt quantò penitiùs fatuitatem figmenta ſectantium eruerimus, tantò ſtudioſiùs, dum tempus ſuppetit, & offertur occaſio, confeſtim ad opus mentem manumque conuertamus.

Quando

Quando Dauidem ad certam necem quærebat Saul, iam-que ſatellites ſubmiſiſſet, qui domum ipſius noctu vallarent, maneque interficerent; Michol intellecto ſui mariti periculo, *depoſuit eum per feneſtram. Porrò ille abijt & aufugit, atque ſaluatus eſt.* En itaque elapſæ occaſionis formam, dum illi interim ſtertentes ad vmbras & noctis tenebras excubarent. 1.Reg.19.

Dauid fuga per feneſtram elapſus.

Iam fruſtrati Saulis eluſionem condignam videamus, cum Schematis huius imagine facetè (ſeriò tamen) congruentem. *Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis. Miſit autem Saul apparitores, qui raperent Dauid: & reſponſum eſt, quòd ægrotaret. Rurſumq́ miſit Saul nuncios, vt viderent Dauid, dicens: Afferte eum ad me in lecto, vt occidatur. Cumq́ veniſſent nuncij, inuentum eſt ſimulacrum ſuper lectum, & pelles caprarum ad caput eius.* Ita laruam vel ſtatuam captant & deprehendunt, qui veram occaſionem neglexerunt.

Sic Eliphaz ille, vnus ex oneroſis illis conſolatoribus Iob, conceptum ſermonem tenere non potens, mirabilem ſe horrorem viſionis nocturnæ paſſum aſſerebat, quando ſolet ſopor occupare homines. Dicebatque, cùm ſpiritus ipſo præſente tranſiret, inhorruiſſe pilos carnis ſuæ. *Stetit quidam* (inquit) *cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quaſi auræ lenis audiui.* Fieri quidem id ita potuit, ſed nihilominus ſomniantium iſtorum ſpectra non obſcurè adumbrat, qui pro vera benè agendi occaſione, quam ſtolidè ignaueq́; neglexerunt, vmbraticam ſibi quaſi in viſione (verè nocturna, propter tenebricoſam eluſionem) confingunt occaſionis imaginem, & aridam ſtatuam, de qua quid ſtatuant ignorant. *Iob* 4.

Occaſionis phantaſticę ſpecies.

Ita de Hulrico Zuinglio refertur, quòd, cùm Andreæ Carolſtadij eius præceptoris inſulſa interpretatio non placeret, quam ſuper illis Domini verbis dabat: *Hoc eſt corpus meum*; quod ſcilicet hîc aſſidet menſæ; ipſe nouam de Euchariſtia ſectans ſententiam, (quam ſeſe in Bataui cuiuſdam epiſtola reperiſſe fatebatur) interpretabatur, *Hoc eſt*, id eſt, hoc ſignificat.

Titelmannus Heshuſius contra Caluinum & Bezam.

ficat. Quod prodigioſum commentum exemplis è Scripturæ petitis,cùm nec ſibi nec auditoribus perſuadere poſſet; narrat, ſibi in ſomno viſum adeſſe monitorem (ater fuerit an albus, inquit in ſubſidio de Euchariſtia, nihil memini) qui diceret; Quin, ignaue, reſpondes quod ſcribitur Exodi duodecimo: *Eſt enim Phaſe, hoc eſt tranſitus.* Sic ſpiritui nocturno erroris cum digna ſui eluſione inhærent, qui ſpiritui claræ veritatis & veræ fidei nuncium remiſerunt. Sic etiam circa imaginariam Occaſionis ſpeciem & laruam errabundi verſantur, qui veram iuſtamque cùm daretur non ſunt amplexi.

Val. Max. lib. 4. cap. 3. Continentia Xenocratis.

Cur non liceat ſupradictis annectere, præſertim illi, de ſtatua pro viua perſona lecto impoſita, cùm ſit ſatis affine, quod de Xenocrate Philoſopho Maximus Valerius recenſet? Quando namque certi iuuenes, cum Phryne nobili Athenarum ſcorto, pignore poſito, contendiſſent, quòd Xenocratem ad malum nequiret pellicere; eaque erga ipſum omnem perdidiſſet operam; pactum victoriæ pretium flagitantibus iuuenibus, eamque deridentibus, perquàm facetè meretricula reſpondit: De homine, inquit, vobiſcum, non de ſtatua vel trunco pignus poſui. Significans, virum ſapientia imbutum, inſtar inſenſibilis ſtatuæ nihil voluptatum illecebris potuiſſe permoueri. Statuam itaque & ipſa pro viuo homine deprehendit.

Seneca epiſt. 1.

Solum ita occaſionis ſimulacrum omnes eos amplecti certum eſt, quotquot ſuo tempore oblatam veram reſpuerunt. Rectè propterea Seneca: Quædam tempora nobis eripiuntur, quædam ſubducuntur, quædam effluunt. Turpiſſima autem iactura, quæ per negligentiam fit. Quanta (inquit) ſtultitia eſt mortalium, vt vſque minima, viliſſima, & irreparabilia ſibi imputari patiantur: nemo verò iudicat, ſe quidquam debere, qui tempus acceperit. Verè admirabile, quomodo tam pretioſarum rerum, quæ ſuo tempore totius mundi theſauris ſi fieri poſſet redimerentur, tam exigua eſt nobis cura atque æſtimatio dum abundè ſuppetunt: qualia ſunt tempus opportunum & occaſio. Perdimus interdum prodigè, quorum poſteà indigi, fruſtrà ſummis quoque votis eadem exoptamus.

Vmbram

Vmbram ita rei per ſe ſuamque nequitiam ſublatæ & proculcatæ ſectatus Eutropius, ſerò ſenſit, quid ſit deſipere & inſanire, vbi maximè eſſet ſapiendum. Sic habet Eccleſiaſtica Hiſtoria, rem ipſam enarrans: Eutropius eunuchus, Arcadij & Honorij temporibus, dum rerum potiretur, intemeratum Eccleſiæ aſylum violauit; dum non ſolùm ad eam confugientes violenter abſtraxit, ſed & malus auctor exſtitit Arcadio ſanctionis ſacrilegæ conſcribendæ; qua iuberentur confugientes ad Eccleſiam extrahi: Conſtantinopoli reclamante grauiter S. Ioanne Chryſoſtomo. Porrò qui huius ſanciendæ legis auctor fuit Eutropius, magna diuinæ prouidentiæ lance penſata iuſtitia factum eſt, vt idem anno ſequenti ad Eccleſiam confugere neceſſitate coactus, in ſe primùm ſæuientem experiri legem diuina indignatione compulſus ſit. De illo ita Ioannes Chryſoſtomus, Homilia in Eutropium: Præcluſit huius loci refugium legibus ſcriptis, quibus hoc irritum facere conatus eſt. At nunc re ipſa didicit, quale ſit quod fecit; & ſuomet facto legem ſuam primus abrogauit, *factus orbis totius ſpectaculum.* Et ſileat licet, omnes tamen admonet: Nolite hæc facere; ne, qualia ego, patiamini. Sua calamitate alios docet. Et altare, hoc ipſo illuſtrem ex ſe ſplendorem emittit, ac venerationem ſibi comparat; Quòd leonem vinctum tenet, &c. Sic conculcant inſipientes occaſionem, quam poſteà libenter venerabundi exoſculentur.

Cardin. Baron. tom. 5. anno 398.

Aſyli immunitas.

Chryſoſt.

Schemat. 9. Cap. 4.

Occaſionem atque opportunitatem ſpernentium ſtultitia; atque intolerandus eorum ſtupor, qui quoduis tempus ad quæuis opportunum exiſtimant, dummodo velint.

IN hoc conſiſtit imprudentium hominum error (iuxta iuuenum in typo depictorum amentiam, velo tempeſtiuæ ſpei contectam) quòd exiſtiment, tempore opportuno elapſo, ſuppetere adhuc opportunitatem agendi, quod anteà actum

Diſtinguendum neceſſariò inter tempus opportunum & importunum.

oportuerat. Illi autem in eo falluntur, quòd tempus quidem ſemper ſuppetit, eſtque ad manum; quia, vti dixi, more fluentis aquæ pars vna ſine interruptione aliam continuo fluxu ſubſequitur. Sed ſicut, ſi nauigium vel aliud quid, in flumine præteruectum eſt, quod apprehendiſſe debueras, dum ante te erat, aqua quidem ſemper ante te eſt, ſed pars illa aquæ, qua res illa aduehebatur, cum re ipſa præteriit: ita quando tempus cum occaſione opportuna præteriit, licet alia pars temporis immediatè ſuccedat, non illa tamen eſt ampliùs, quæ talem opportunitatem coniunctam habebat, & ſecum ferebat.

Quando verò quis prudens & vigilans temporis rationem habet, occaſionemq; ſe opportunè inferentem arripit, tametſi tempus illud tum prẹterlabitur, anſam tamen ſeu occaſionem illam tenet, tempuſq; continuò ſubſequens ei ſeruit, ad rectè occaſione illa vtendum, faciendumq; quod facto eſt opus: ſicut retento nauigio, aqua quidem præterfluit, quæ nauem aduexerat, ſed alia continuè ſubſequitur, quæ vſui ſiſtendæ vacuandæque nauis deſeruiat.

Imprudentium error.

Imprudentes autem non diſtinguunt inter tempus opportunum, & quoduis aliud tempus; inter occaſionem veram tempore conuenienti datam, & inter imaginariam, iuxta cerebri phantaſmata conquiſitam. Apertus in eo error animaduertitur, quòd opinari tales homines videantur, omne tempus (modò ipſi ſic velint) ad omnia æquè aptum fore; occaſionemque dandam ad nutum, quandocumque lubuerit.

Nõ quoduis tempus rei cuiuis opportunũ.

Eâdem prudentiâ ac ratione, ſeminare illi præſumant quouis anni tempore; metere quoque, non quando ad meſſem inalbeſcerent ſegetes, ſed quandocumque mens ferret, & animus nutu ſolo cunctis imperitans; vel etiam quando exhauſta tritico granaria, & pane priuata promtuaria, neceſſitate compellerent aceruare frumenta. Ita & piſcari, venari, aucupari, caſtrametari, confligere, arces atque oppida expugnare, hoſtem fundere, ẹdificare palatia, mundum nouum fabricari, eâdem lege poterunt, vbicumque, quandocumque, & quomodocumque tam maleferiato ipſorum ingenio collubitum fuerit. Certoque certius eſt, ad nutum ipſis cuncta ſucceſſura, niſi

certum

certum tempus occaſioniſque opportunitas ſit in omnibus obſeruanda. Hóccine ſapere eſt?

Inuenias non raró eiuſmodi hominum genus (vt in maiorem tanti ſtuporis deteſtationem iterùm repetam) qui quandocumque voluerint, terram, mare, & cælum ſibi obtemperare debere arbitrantur; neque vel ad vela faciendum, ducendúmve exercitum, vel ad moliendum inſultum, aut ad quiduis aliud aggrediendum, magis eſſe opus temporis occaſioniſque opportunitate exiſtimant, quàm ſi dij ſint: cùm tamen Deus ipſe, cunctorum conditor & gubernator, omnia ſuis temporibus ſeruato ordine diſponat, det, ſinatque prouenire: ſtante nihilominus ſupremæ poteſtatis plenitudine, qua ſuis creaturis, & ordini temporum per ſe conſtituto, non eſt alligatus. Præſumtuoſorum temeritas.

Si illiuſmodi temerarij, præſumtuoſi, atque faſtuoſi rerum ordinatarum temporiſque opportuni contemtores, ſe quidpiam ſupra ordinem à Deo datum ſtatumque valere perſuaſum nobis volunt; frementis Oceani compeſcant motus, atrocia ventorum prælia componant, irruentes imbrium nutu ſolo ſuſpendant procellas; grandini, frigori, ſoliſque flagrantis ardoribus ponant modum. Si nihil horum poſſunt, etiam cùm velint maximè; nolint igitur præſumere, quod in hominis poteſtate non eſt conſtitutum; velintque quod vult Deus, quodque temporis ratio, occaſioniſque opportunitas, non niſi Deo largiente ita proueniens, ad manum ſuggeſſerit.

Annibal poſtquam Romæ expugnandæ datam (præſertim ſtatim à pugna Cannenſi) occaſionem neglexiſſet; finxiſſetque ſibi fortè aliam id peragendi opportunitatem (eorum more qui vmbraticam pro reali captant) bis pluuia denſiſſima oborta, coactus fuit à cœpto deſiſtere. Faſſuſque tunc eſt errorem, quem iſtiuſmodi imprudentes occaſionis æſtimatores committunt. Animaduertẽs (inquit Plutarchus) Annibal imbrem procelloſum vno & altero iterùm die prohibere conflictum cum Romanis, conuerſus ad ſuos exclamaſſe dicitur, Modò ſibi mentem potiundæ vrbis Romæ, modò facultatem *Plutarch. in Annibale.*

tem

tem non dari. Ac ſi dicat, Cùm potui, nolui; cùm volui, non potui. Quia nempe oblatam occaſionem neglexerat, fruſtrà imaginariam captare conatus eſt.

Bernard. Hinc S. Bernardus prudenter hoc vlcus tangit. Adoremus, inquit, ſemper, & procidamus, & ploremus coram te, qui feciſti nos: & qui in hoc ipſum peccato noſtro manifeſto, iudicio tuo occulto, formaſti nos; vt forſitan, quia non multum hoc volumus, non poſſimus: vel, quia non voluimus cùm potuimus, cùm volumus non poſſimus.

Iſocrat. in Panegyric. Prudens eapropter Iſocratis adhortatio, qua præſentem opportunitatem apprehendendam oſtendit. Primùm (inquit) mihi nimis multa videntur, quæ nos hortantur ad bellum inferendum: in primis autem, *præſens* OCCASIO, quæ tam euidens & præclara cùm ſit, amittenda non eſt: *turpe enim fuerit, ea præſente non vti, deſiderare præteritam.*

Schemat. 9. Cap. 5.

Punitæ temeritatis exemplum, contra Occaſionem nitentium.

QVia tam tardè ſapere conſueuit illud hominum genus, qui inuita quoque OCCASIONE quæcumque præſumſerint audent attentare, exemplo memorando dictis noſtris plus momenti adhibeamus. Quum grauiſſima eſſet oborta populi Iſraelitici in deſerto diſſenſio, occaſione terræ promiſſionis, cui gregaria populi multitudo, adeoque turba tota turbata detrahebat, vt peſſima quæque de illa confingerent; Ioſue verò & Caleb, qui eam fuerant contemplati, contrà optimè pro terræ fecunditate & excellentia proteſtarentur, vſqueadeò vt ſe pro zelo veritatis, diuinique promiſſi ſtabilitate, periculo mortis exponerent; eouſque ſuccreuit populi obmurmurantis inſania, vt Moyſen & Aaron lapidaturi viderentur: & Dominus ipſe tanta cum maieſtate ſui nominis gloriam tuebatur, vt omnes, excepto Ioſue &

Num. 14. De terra promiſſionis diſceptatio.

Caleb,

Caleb, morti in deſerto obeundæ adiudicaret. Sedata tandem pauliſper populi tumultuantis inſolentia, auditaque contra ſe diuinæ iuſtitiæ cenſura, luxerunt vehementer. Et ecce, manè primo ſurgentes, acceſſerunt ad Moyſen & dixerunt: *Parati ſumus aſcendere ad locum, de quo Dominus locutus eſt, quia peccauimus.* Anteà ſiquidem in hoc omnis pendebat contentio, quòd nollent progredi, neque in promiſſam terram concedere.

Ecce, cùm vellet Deus, & dux ipſorum Moyſes, nolebant ipſi; cumque iam aliud conſilium iniiſſet Dominus, ipſi tum elapſam occaſionem voluerunt ſuo Marte reſumere, & cum hoſte, nolente etiam occaſione, committere, quod priùs, cùm eſſet opportunum, omnimodis detrectabant. Moyſes obſtitit, dixitque eis apertè, eſſe contra Dei nutum. *Cur*, inquit, *tranſgredimini verbum Domini?* hoc eſt voluntatem & imperium. *Non cedet vobis in proſperum. Nolite aſcendere: non enim eſt Dominus vobiſcum; ne corruatis coram inimicis veſtris. Amalecites & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, eò quòd nolueritis acquieſcere Domino.* Quòd nempe tunc progredi nolueritis, quando ipſi placebat; quod eſt occaſionem legitimam à Deo datam contemnere. Nec erit Dominus vobiſcum: in fictitia iſta ſcilicet opportunitate & proſperitate ſucceſſus, quam vobis pro veſtro ipſi arbitratu pollicemini.

Nunc verò animaduertamus, obſecro, quam toties iam memoramus vmbraticam hallucinantemque veriſimilitudinis ſpeciem oculis talium hominum obuerſantem: ſequitur in ſacra hiſtoria: *At illi* CONTENEBRATI *aſcenderunt in verticem montis. Arca autem teſtamenti Domini & Moyſes non receſſerunt de caſtris.* Quia nimirum ſtulto ac temerario hominum illorum conſilio Deus non intererat, & diuini homines refragabantur. *Deſcenditque Amalecites & Chananæus qui habitabat in monte, & percutiens eos atque concîdens, perſecutus eſt eos vſque Horma.* Quod vocabulum cùm ciuitatem ſignificet, idem quoque quod anathema ſeu deſtructionem ſonat. Neque abs re, cùm ad ſuam ipſorum perni- Punita temeritas.

a ciem

ciem ſoleant occaſionis contemtores propria ſequi iudicia, & conſilia ſua vana præfractè promouere. Itaque ceſſit eis, vt proterua ipſorum temeritas merebatur.

Porrò vt more noſtro ex profanis etiam hiſtoriis aliquid vltrà libemus, quò melior occæcationi huic ex variis confecta medela adhibeatur, Crœſum in exemplum punitæ temeritatis, qua deſpecto meliori conſilio ſuum inuita occaſione ſecutus eſt, producamus. Sic in Herodoto legimus: Crœſo Lydorum rege in expeditione contra Cyrum Perſarum regem occupato, Lydus quidam, nomine Sandanis (etiam antehac pro ſapiente habitus, & ob hanc quam dixit ſententiam plus nominis apud Lydios conſecutus) hunc in modum conſuluit: Aduerſus tales viros expeditionem paras, rex, qui coriacea ſubligacula, quique è corio reliquam veſtem ferunt: qui non quibus volunt cibis veſcuntur, ſed quos habent, vtpote regionem aſperam incolentes. Ad hæc, potu non vini vtuntur, ſed aquæ; non ficus ad comedendum nec aliud quidquam boni habentes. Quibus cùm nihil ſit quod eripias ſi viceris; ſin victus fueris, animaduerte quot bona amittes. Vbi enim guſtauerint illi noſtra bona, circumſiſtent nos, nec abigi poterunt. Equidem diis habeo gratiam, qui non induxerunt in animum Perſis, vt Lydos inuaderent. Hæc locutus, non tamen Crœſo perſuaſit. Crœſus itaque, ſic agentibus eum fatis, à Cyro captus regnoque exutus eſt. Itaque & ſerò ſapuit, tam euidentem aſpernatus OCCASIONIS admonitionem, didicitque eodem euentu, quàm verè ei aliquando à Solone fuerat prædictum, Neminem mortalium ante mortem beatum dici debere: nimiamque ſui fiduciam ſuum fallere auctorem.

Crœſus in Cyrum.

Herodot. lib. 1.

Perſici pugnaciſque militis deſcriptio.

Serò ſapere.

Schemat.

Schemat. 9. Cap. 6.

Quiduis quouis tempore attentantium vanitas, ſpretæque OCCASIONIS *punitio.*

PVlcrum contemtæ & fruſtrà feriùs arreptæ occaſionis exemplum in Saul rege aliàs monſtratum eſt. Poſtquam enim illi iterùm optabilis occaſio à Samuele erat oblata recuperandi honoris & gratiæ, quam apud Deum Prophetamque perdiderat, ſi modò Amalec fideliter iuxta Dei mandatum expugnaſſet; contemſit, nec eſt obſecutus Dei præcepto, ipſi per Samuelem expoſito. Redarguit eum vir Dei, dicens: *Melior eſt obedientia, quàm victima:* cumque Samuel indignatus abſcederet, arripuit ſummitatem pallij eius Saul, & ſciſſa eſt; dixitque Samuel: *Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Occaſionem oblatam ſuo tempore non arripuit, arripuit autem fictitiam, quando ipſi opportunum videbatur, & eluſus eſt, ſpeque ſua fruſtratus; & iuſtas tandem inſipientiæ pœnas dedit.

1. Reg. 15.

Obedientia melior victimâ.

Sciſſio pallij ſciſſio regni.

Profuerit, ſi alio ſed ſimili ferè exemplo hoc ipſum illuſtremus. Quum tempore Machabæorum Ioſephus & Azarias ſacerdotes audirent viderentque res benè geſtas & prælia, quæ per Iudam Machabæum fratreſque eius fiebant; volentes ſibi quoque gloriam nominis comparare, dixerunt, *Faciamus & ipſi nobis nomen, & eamus pugnare aduerſus gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt.* Siue occaſio tempuſque opportunum inuitaret, ſiue non: ſolùm quia ita ipſorum ferebat animus: quaſiq; omnia nutui eorum ſtatim obtemperatura eſſent, quando ſcilicet eis placeret. Inuito itaque, vt dicitur, Marte, nihil captata vel exſpectata bellicæ expeditionis opportunitate, in arma proruentes, cæſi, fuſi, fugatique ſunt, vſque in fines Iudææ; *& ceciderunt illo die de populo Iſrael ad duo millia viri, & facta eſt plaga magna in populo.*

1. Mach. 5.

Præſumtæ gloriæ merita punitio.

Iam verò rationem audiamus, ſpretęque Occaſionis argumentum. *Non audierunt* (inquit ſacra Hiſtoria) *Iudam & fratres eius*: ſcientes ſcilicet tempora & momenta opportunitati bellicæ optimè ſeruientia, & ſaniore ob id ſemper conſilio cuncta adminiſtrantes. At nunc fucum videamus, quem inſipientes illi in ſpeciem bonæ occaſionis ſibi ſuoque cœpto induxerunt. Ita ſequitur: *Exiſtimantes, ſe fortiter facturos.* Quis neſciat, non eſſe ſapientum, (in bello præſertim) dicere, Putabam? Hoc tamen quàm plurimos fallit, dum ſpreta genuina occaſione, & apto rei agendæ tempore neglecto, fingunt ſibi aliam, vt putant, priori æquiualentem vel etiam meliorem opportunitatem? dumq; euentu ſperato fruſtrantur, quid aliud prætexant, quàm id quo ſibi ipſi palpum obtruſerunt? nimirum, exiſtimabam, putabam, arbitrabar. Neque indignum notatu, omnem ferè errorem ex amputando illo putandi ſurculo ſemper pullulare.

Stultum eſt dicere, Putabam.

At, quemadmodum non ex omni ligno fit Mercurius, neque ex quouis viro dux militiæ; vt neque cuiuſuis eſt adire Corinthum, neque omnia poſſumus omnes; ita nec cuiuſuis eſt temporis vel loci quiduis attentare. Ideò rectè ſequitur in ſacræ Scripturæ contextu: *Ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael. In die illa ceciderunt ſacerdotes in bello, dum voluerunt fortiter facere: dum ſine conſilio exeunt in prælium.*

Quis non videat, accedentem, fauentem, arridentemque OCCASIONEM rei benè gerendæ ſtatim eſſe complectendam, quam fruſtrà ſibi quis fingat reducem ad ſuum arbitrium? Id ſe ſatis intellexiſſe tribunus ille reipſa teſtatus eſt, qui occaſione Macarij Alexandrini conuerſus mundo valedixit. Cùm enim Macarius hic cum altero Macario Nilum tranſmiſſurus nauim conſcendiſſet, vterque pannis obſitus, habituque deſpicato; eademque naui duo quoque Tribuni veherentur, cum maxima pompa equorum, famulorum, aurearum veſtium: alter ex his Dei famulos conſpicatus ſedentes in angulo; Beati vos, inquit, qui mundum illuditis. Cui Macarius: Nos quidem mundum, vos autem mundus illu-

S. Macarius & Tribunus.

illudit. Quo ille tam breui dicto *(occaſione inuitante)* ita compunctus, & quaſi illuminatus eſt, vt domum reuerſus, ſtatim omnibus quæ habebat diſtractis, monaſticam vitam ſequutus ſit.

Simile eſt quod de leuiculæ cuiuſdam meretriculæ conuerſione apud Gregorium Nazianzenum legimus: qui ſic habet in Iambico Carmine de Virtute:

Polemo nec ipſe dignus eſt ſilentio:
Sermone celebre eſt omnium namque hoc quoque.
Erat impudicus moribus primùm admodum,
Libidinumque ſeruus: at poſtquam eſt boni
Amore captus (neſcio an ſuo ipſius
Suaſu ſit vſus, an Sophi cuiuſpiam)
Statim ſuarum ſic faces libidinum
Extinxit omnes, iſtud ex miraculis
Vt eius vnum proſequi haud verbis grauer.
Scortum vocarat quiſpiam iuuenis ſalax.
Vt ergo meretrix atrium tetigit domus,
Polemona pictum prominentem conſpicans,
(Ore venerando namque erat, perquam & graui)
Superata ſolo rettulit viſu pedem:
Pictum perinde verita, luce vt præditum.

Greg. Naz. in Carmine quod incipit, Plerique narrant, &c. Polemonis conuerſio.

Peccatricis conuerſio.

Hoc eſt veram boni occaſionem, dum ſe offert, arripere.

Denique illud his annumerem, quod in Hiſtoria rerum Indicarum legimus; quomodo Amanguccij quidam conuerſus ſit, ſola occaſione ſputi per vnum è patribus Societatis noſtræ patienter accepti. Cùm iſte etenim in plateis ſcamno inſiſtens populo illi barbaro Chriſti fidem annunciaret, vanitatemque idololatriæ oſtenderet, impius quidam ex adſtantibus ceteris petulantior protractum ex imo pectore phlegma in faciem eius exſpuit: quo facto ſacerdos ille, P. Franciſci Xauerij ſocius, nihilo plus motus, quàm vt modeſtè accepto ſudario detergeret, pergeretque in cœpto ſermone, ita quemdam alium ex primariis tali occaſione permouit, vt ex ſola illa animi conſtantia iudicaret præſtantiſſimam eſſe philoſophiam, quæ à talibus viris coleretur, quæque

Pet. Maff. Hiſt. Indic. lib. 14. Sputi occaſione conuerſio populi.

tales efficeret; & ſtatim Chriſtianus factus eſt. Ipſe occaſionem arripuit; & eius occaſione ciuitatis totius facta eſt conuerſio.

Schemat. 9. Cap. 7.

Perpes ob neglectam OCCASIONEM METANOEAE *ſocietas, & dolor irreparabilis.*

Metanoeæ fructus.

FRuctus propoſitæ METANOEAE doloriſque illius qui neglectam Occaſionem ſequitur, eſt, vt qui id in aliis animaduerterit, ipſe prudentior factus in ſe ſuiſque rebus euitet, ſtudeatque occaſioni dum offeretur inuigilare, & non ſpe aliqua vana aliam ſibi velle pro nutu occaſionem fingere.

4. Reg. 13.

Specimen nec ingratum nec alienum à propoſito in Ioas rege Iſrael animaduertamus. Cùm is Eliſeum Prophetam ægrotantem inuiſiſſet, videretque Propheta illum triſtiorem, quòd Aſſyrij populum Dei premerent; iuſſit eum arcum ſagittamque afferre, tenſo arcui telum apponere, perque feneſtram patentem iaculari, Prophetâ ſimul manus ſuas manibus regis applicante. Emiſſo itaque iaculo, dixit Eliſeus: *Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam: percutiéſque Syriam, donec conſumas eam.* Iterumque ait Eliſeus: *Tolle ſagittas. Qui cùm tuliſſet, rurſus dixit ei: Percute iaculo terram. Et cùm percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet; iratus eſt vir Dei contra eum, & ait: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties; percuſſiſſes Syriam vſque ad conſummationem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Fecit haud dubiè rex Ioas hac in re, iuxta mentem ſuam, ſed non ex Prophetæ ſententia, qui optaſſet, illum crebriùs terram telo quatere. Optaſſet quidem Rex & ipſe quoque poſteà, multoties poſſe ferire tellurem iaculo; ſed tempus illaque Occaſio iam prætererierant: tunc ſiquidem factum id oportuiſſet, quando iuxta diuini inſtinctus directionem, id fieri Propheta peroptabat. Regem hanc Prophetæ mentem ignoraſſe,

Sagittarũ ictus boni ominis.

non

non eſt dubium, neque peccaſſe dicimus; nihilominus tamen ſpecimen præteritæ occaſionis oſtendit error ille, alioqui in rege culpa vacans. Poterat tamen ſic ſatis cogitare, vt ex prioris teli per feneſtram iactu, ita eiuſmodi quoque in terram eiaculatione, ſibi victoriam præſagiri: & quemadmodum vnus iactus victoriam vnam præſignabat, ita duos duas, & pro telorum numero victorias multiplicandas: atque eapropter, quemadmodum tertiò ſponte ſua terram ſagitta ferierat, nullo à Propheta præſcripto numero, potuiſſet habita tam luculenta bonæ ſpei ac victoriæ OCCASIONE, æquè ſepties & ſæpiùs, quàm ter tantùm, terram percutere.

Sed hîc, animi gratia, ex Petri Maffæi Hiſtoria Indica captatæ priùs & tum neglectæ OCCASIONIS exemplum proferamus. Præfectus Goanus, quem Soarius Prætor in locum ſuum abſens ſubſtituerat, dum mortem amici ſui Ioannis Gometij ab Ancoſtane interfecti cupit vlciſci; ſeptuaginta pedites Luſitanos & octoginta equites, & paulò plures Indos ad Ancoſtanem interficiendum & Pondam diripiendam delendamque mittit: qui cùm à Pondanis interfecti eſſent, Idalcam non tam eo ſucceſſu quàm violata ab Luſitanis pace lætari, OBLATAQVE SIBI OCCASIONE, quam dudum expetiiſſet, Goæ bello recuperandæ: quippe tum prælio cuſtodibus imminutis, tum etiam ineunte per eos dies hyeme, quæ in aliquot menſes clauſum externæ opi mare eſſet habitura. Ecce peropportunè captatam rei benè gerendæ Occaſionem, tot ſe argumentis & præſidiis offerentem, tametſi non ex voto ſucceſſerit; Deo aliter diſponente, in populi ſui fidelis patrocinium. Barbarus tamen, vt conſtat, Occaſionis momenta benè expendebat.

Petrus Maff. Hiſt. Ind. li. 7.

Occaſionis momenta.

At nunc neglectæ & ſerò numquam ſatis deploratæ OCCASIONIS exemplum ex eodem auctore producamus; dolendum quidem toti Reipublicæ Chriſtianæ, ſed tamen quod nos contra plures eiuſmodi errores erudiat, faciantque aliena piacula cautos. Prolixa narratio, ſed tanti momenti, vt, ne quidem pro minima ſui parte per me viſa fuerit mutilanda, vel ſuccingenda: rei raritas & pondus, tamque manifeſta propoſiti

Occaſionis neglectæ deplorandum exemplũ.

poſiti noſtri elucidatio, breuitate non debuit obſcurari. Dolendum durumque igitur Chriſtiano nomini OCCASIONIS NEGLECTAE exemplum, in Hiſtoria Indica memoriæ proditum, ipſius auctoris verbis, quàm breuiſſimè potero, recenſebo.

Pet. Maff. Hiſt. Ind. lib.7. Emmanuel Luſitaniæ rex, de Sultani comparatione rurſus ab Rhodiis certior factus, ad Prætorem Lupum Soarium de rebus iis MATVRE perſcripſerat, mandaueratque, vt contra eum apparatum ſumma ope inſtrueret ſeſe, ac quanta maxima poſſet claſſe vltrò ad Arabiam tenderet; neu Ægyptios cum Indis coniungi (nam id erat initio conſtitutum) vlla ratione pateretur. Soarius ſtatim ad eam expeditionem omnes curas & cogitationes intenderat: adhibitaque diligentia, naues, quot anteà numquam, ſeptem & triginta cunctis rebus ornarat. Cum iis profectus Goa, præter Cambaiam Armuziamque, repentè ad *Adenum* applicuit. Perculſus inopinato aduentu & claſſis magnitudine Amirianus, qui magnam muri partem è recente Ægyptiorum oppugnatione ſtratam adhuc ruinis haberet; excidium metuens, TEMPORI PARVIT: & CLAVES VRBIS confeſtim ad Luſitanum ſuppliciter miſit (interſero ego his, OCCASIO ei claues non Adeni tantùm, ſed Turcici quoque imperij obtulit) & cur ſibi minùs cum Albuquertio conueniſſet, cauſatus præfractum & aſperum ingenium viri: *ſeſe ad vrbem dedendam, accipiendum intrò præſidium, & imperata facienda, paratum oſtendit.*

Omnino præclara erat OCCASIO tam OPPORTVNAE potiundæ vrbis; & maximo rei Luſitanæ compendio, Saracenis & Ægyptiis Indicum mare IN OMNE TEMPVS intercludendi. (Iam neglectæ OCCASIONIS TAM OPIMÆ flendum videte ſpectaculum.) Verùm Soarius, antiqui moris homo, qui nimirum alienam è ſua æſtimaret fide, ne quid copiarum in ea cuſtodia relinquere cogeretur, atque vt quàm integerrimas ad hoſtem afferret vires; prauo, quin potiùs nullo conſilio, REM IN POSTERVM DISTVLIT: in præſentia, commeatu multiplici in claſſem exacto, ad Camaranum proceſſit. (En quod toties inculco, Occaſionem veram, prætextu imaginariæ

riæ alicuius vt videtur in ſpeciem opportunioris prætermitti. At Amirianus & Adeni incolæ ingenti leuati metu, NVLLA MORA INTERPOSITA, reficere muros, alimenta conuehere, cuſtodias augere, nitique certatim, vt tam eximiæ tamque INSPERATAE Superûm in ſeſe indulgentiæ, pro ſua quiſque parte reſpondeant. (Ecce tibi ſtudioſè captatam ab hoſtibus occaſionem, ex occaſione à noſtris tam craſſè neglecta. Quid accidit?) Cùm iam Prætor, re infecta, & claſſe ſatis lacera rediret: inter clades & ærumnas hybernis tranſactis, & aperiente ſe iam vere, ne nihil omnino egiſſe videretur; ex Arabico ſinu ad Africum littus traiecit; ibique Zeilam oppidum (quod Solimanno *Adenum* petenti enixè fauerat, omniaque neceſſaria benignè ſuppeditarat) nullis vallatum mœnibus aut propugnaculis, oppugnauit & expugnauit, adeoque iniectis ignibus vaſtauit, vt ne alimenta quidem, quibus vel maximè egebant, Luſitani perceperint: nimirum *Adenica* freti copia, quò Prætor *tamquam ad certam poſſeſſionem* tota ſpe & cupiditate ferebatur. Acceleratio.

Sed eum IMPROVIDA longè fefellit OPINIO. Siquidem ab Zeilana clade tranſuectus *Adenum*, cùm ab Amiriano fidem promiſſi repeteret: (En pro Occaſione METANOEA adeſt) *magno ſuo dolore denique ſenſit, quàm fugacia ſint Occaſionum momenta: & quàm irreuocabilis rerum benè gerendarum præteruolet opportunitas.* Amirianus quippe, dum rubro mari Luſitani VAGANTVR, non modò nouis operibus militibuſque firmarat vrbem; ſed etiam per EXPLORATORES, de naufragiis interituque noſtrorum, ac turpi ab Gippa receſſu, didicerat. Itaque rediens quaſſata claſſe, & imminutis copiis Prætor, adeò non mouit oppidanos, vt iis etiam LVDIBRIO ET CONTEMTVI fuerit. In ſumma rerum inopia, portu excluſus, plenus DAMNI AC MOERORIS, Indiam irrita expeditione repetiit.

Adeno habito, poterat nullo negotio intercipi quoque Mecha, Buſtum Mahometis in noſtram poteſtatem redigi, atque iniici Turcis magnum frænum. Atque his omnibus ſtrauerat ipſe nobis Sultanus viam, qui paulò antè ita Ade- Occaſionis neglectæ iactura incomparabilis.

num quaſſauerat, vt ruinarum recentium occaſione nobis omnia fuerint ſponte oblata, ſi arripuiſſemus. Ex quibus conſtat, quid ſit quantique referat OCCASIONE vti poſſe; & econtrà, eamdem negligere.

Hoc eſt quod in Schemate præſenti vana ſua ſpe fruſtrati deplorant:

——— Heu! velox Occaſio præterit, ora C

Detorquens aliò;

quando ſcilicet poſt elapſam opportunitatem, neſcio quam aliam ſibi pro nutu fingunt; fruſtratique ſibi ipſis indignantur. Sed quia tempus eam præteruexit, ideò pro vera occaſione, pallium tantùm ac velamen accipiunt, cuius ope nihil queant efficere: diciturque proptereà vulgò illa euaſio, *excuſatio calua*. Ita digni ſunt à ſeipſis falli, qui ſibi plus æquo

Prou. 12. ſapiunt. Vnde Sapiens: *Via ſtulti recta in oculis eius: qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.* Audit, & obaudit; ſequiturque

Sap. 3. conſulta. Alioqui, vt idem ait; *Vacua eſt ſpes illorum, & labores ſine fructu:* vt in hiſce imprudentibus eſt animaduertere: quibus æquè congruit quod ibidem ſequitur: *& inutilia opera eorum.* Quia dum elapſam ſeriùs occaſionem conſectantur, oleum & operam perdunt: & iuxta illud Maronis;

Æneid. 11. *——— Nihil omnibus actum*

Tantorum impenſis operum: nil dona nec aurum,

Nec magnæ valuere preces.

Schemat. 9. Cap. 8.

Quæ præſentia contemnimus, dolemus amiſſa:
ſed volat irreuocabile TEMPVS.

Præſentia contemta, dolentur amiſſa.

Aues captare volantes.

PRiuſquam huius Schematis explicationi finem imponimus, Emblema illud tribus verbis enucleandum eſt, quod ille inter alios prætendit, cui litera E adſcripta eſt. Capſulam is manu tenet, cui auicula incluſa fuerat; ſed quando curioſiùs imprudentiuſque eam aperit, euolat, fruſtratumque E

rumque ſpe ſua eludit. Dicit ipſe verbis, quod tali ſignificatur euentu: ——— *Volat irreuocabile tempus.*
Et quemadmodum ille nequidquam mentis oculorumque acie manuque auolantem proſequitur, vt receptet; ita tempus elapſum, elapſamque OCCASIONEM fruſtrà ſummis etiam votis reuocemus. Sicuti namque fieri non poteſt, vt tempus præteritum non ſit præteritum; ita fieri nequit, vt prætermiſſa Occaſio reuertatur. Si poſtmodum alia, vel etiam melior offeratur, fieri id quidem poteſt, ſed eadem eſſe non poteſt. Tuncque apprehendenda erit, cùm ſe offeret; ſicut prior illa iam elapſa erat apprehendenda. Interim, vt incertum, an alia vmquam dabitur; ita certum planè, præteritam numquam reuerſuram. Si id ſperet aliquis, deſipit, ſtultumque eius iudicium & conatum deridet ille diabolus, qui in imagine auolantem auiculam, quaſi per iocum & ludibrium captare ſe velle ſimulat. Ridet & alter tam ſeram & vanam
F præteritorum implorationem, dicendo: *Pòſt eſt Occaſio calua:* quæ & illius vox eſt, qui littera D inſignitus, eam per capillitium à tergo conatur arripere.

Adagium illud omnibus vſitatum hiſce conuenit; *Serò ſapiunt Phryges:* quod in eos dici conſueuit, quos ſtultè factorum ſerò pœnitet, ſapientique vti conſilio velle videntur, poſtquam præteruolauit occaſio. Ita noſtrate idiomate vulgatum eſt, Merſo vitulo opplere foueam: & *Serò ſapiunt Phryges.*

——— *Amiſſo claudere ſepta boue.*

Hoc eſt, tum velle mederi malo, cùm facta iactura eſt; atque euitare periculum, poſtquam incidimus: vel, Mortuo pharmacum.

Similis, & in Athenienſibus quidem, ſeræ cuiuſdam reſipiſcentiæ ſpecies notata fuit. Cùm ſiquidem Socrates Philoſophiæ pater, ac ſapientiæ fons admirabilis, publicè à iudicibus accuſatus & veneno è medio ſublatus iam eſſet; tum demum ſupplicij (nimis tamen ſera) pœnitentia ſecuta eſt. Verùm vt interim Athenienſes viderentur eius morte moueri, ſupplicium ab accuſatoribus ſumtum, & ſtatua Socrati publicè decreta eſt.

Sabellic. li. 1. cap. 5. Socrati poſt ſupplicium decreta ſtatua.

Dolium felicitatis. Si hîc ad calcem tractatus huius, occaſione elapſæ auiculæ, adiici placet, quod de dolio bonis donis pleno cuidam à Ioue donato referunt fabulæ, documentum hinc deſumemus non fabuloſum, eius quod toto hoc ferè Schemate fuit exhibitum. Is namque tam opimo ditatus munere, quod omnem felicitatem humanam, & quidquid homini optabile videri poſſet, complecteretur; præ lætitia in imprudentiam lapſus eſt. Cumque ſingula dona ſuo tantùm tempore, dataque occaſione depromere, eiſque ad rem vti debuiſſet; vice quadam, nulla poſtulante neceſſitate vel OCCASIONE; ſed ſola quadam curioſitate, impotentique mentis ardore pellente, ſatis importunè dolium ipſum patefecit: ſtatimque vniuerſa illa data, vt cælitus data fuerant, ita ſurſum in cælum auolarunt. Porrò ille tanto ſuo malo doctus, ſeroque ſapiens, Spes in labro. occluſit repentè dolium, elapſiſque iam aliis, SPES SOLA inter capſæ labrum & operculum hæſit.

Ita igitur ſpes reſarciendi damni OCCASIONIS amiſſę, per aliam ſi quando offertur, vtcumque miſeros ſeroque ſapientes conſolatur. Hoc ſolatij ſaltem, quamdiu in viuis ſunt, ipſis eſt reliquum; quòd præteritam amentiam & negligentiam Dolendum mortis momentum. iuſta METANOEA poſſint quantum valent eluere. Sed, quos in neglecta ſalutis OCCASIONE diem extremum contigerit claudere, nulla eis nec res nec ſpes reliqua eſt, quæ ad tantæ iacturæ reparationem ſufficiat. Sed Metanœa illos tantùm talis manet, quæ in æternum magis magiſque excruciet: qualis in diuite epulone, in Iuda proditore, in quinque fatuis virginibus, ſimilibuſque deploratæ ſalutis hominibus eſſe dignoſcitur.

ORA-

ORATIO IX.

Vt contemtis terrenis, amemus cæleſtia.

DOmine Jeſu Chriſte, æterna Patris ſapientia, qui ineffabilibus mundum renouas Sacramentis; poſtquàm à te receſſimus, in terra deſcripti ſumus, vt vix vmquam benè cæleſtia ſapiamus; mens hebetata, repleti vanitatibus oculi, aures ſordibus aggrauatæ, & mutilæ ad bonum factæ ſunt manus: Inclinare, pie Ieſu, per miſericordiam, & ſcribe in terra hac digito tuo, immò in eam exſpue, ac lutum cum ſputo diuinæ ſapientiæ ex ea conficito: neque ſolùm oculos, ſed totos nos tua gratia perunge, vt nihil ſalutaris remedij omittentes, cum prudentibus virginibus, ſeruiſque fidelibus, in regnum tuum cæleſte intromittamur. Qui viuis, &c. Amen.

QVANTI DAMNI, QVANTIQ; PERICVLI SIT, OCCASIONĒ NEGLEXISSE.



A. *Non, vt vos fertis, poſt eſt Occasio calua:*
Ecce, capillatam obtendo, gaudete, tenete.
B. *Ad baratrum, ad baratrum; ſic ſic raptentur inertes.*
C. *O ſtultum puerile genus!* D. *Proh vana Iuuentæ*
Consilia! E. *O ſerò ſemper meliora ſequentes!*
F. *Eheu me miserum, cui ver geniale iuuentæ*
Frugis inops abijt, Metanoêaque ſola remanſit!
G. *Parce Deus: tam vesani nos poenitet orsi.*
Oēs. *Quam dolet, insano ſic indulsiſſe furori!*
A. *Iam ſerò ſapitis: non eſt ſpes vlla ſalutis.*

Schematis 10. explicatio;

Quo oſtenditur, quanti damni periculiq́ ſit OCCASIONEM *neglexiſſe.*

Schemat. 10. Cap. 1.

Diabolus transformat ſe in angelum lucis, in Occaſione fucata ſubminiſtranda.

QVANTI referat, OCCASIONEM tempuſque opportunum non obſeruaſſe, ex periculo illo cognoſci poteſt, in quod ſe Thomas coniecerat, quando Apoſtolis Chriſti viſione in fide reſurrectionis roboratis, ipſe quia abſens fuerat, tam pertinax in ſua incredulitate permanſit, vt diceret, *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Et tamen, *qui non crediderit condemnabitur.* Immenſæ fuit diuinæ benignitatis, quòd poſt octiduanum eiuſmodi infidelitatis anfractum, ſingulari modo ex hoc barathro ereptus fuerit; Domino iterùm ſe viſibilem exhibente, & expetita palpatione permiſſa, cordis ipſius vulnera ſanante. Alioqui Occaſionis non captatæ neglectus, eum in hoc æternæ damnationis diſcrimen adduxerat.

Neglecti opportuni temporis incommoda.

Thomas Didymus. *Ioan.* 20.

Mar. 16.

Occurrit aliud exemplum, quo Thomas quidam, alterius quoque Thomæ occaſione, ad mentem fuit à S. Bernardo reuocatus. Commemorat iſtud iam nominatus ſanctus in epiſtola quadam ad Thomam Audomarenſem, qui ob literarum ſtudia Religionis ingreſſum differebat; ad quem deterrendum, alterius in ſimili cauſa ſupplicium proponit: Heu, heu!

Thomas alius. *Bernard. epiſt.* 108.

heu! inquit: Videris mihi vno ſpiritu ambulare, ſicut & vno
Thomas item alius. cenſeris nomine, cum altero illo Thoma, olim ſcilicet Præpoſito de Beuerle: qui, cùm ſe ſimiliter noſtro ordini & noſtræ domui toto deſiderio deuouiſſet, cœpit induciari, & ita paulatim refrigeſcere, donec ſubita & horrenda morte præreptus, factus eſt de medio ſæcularis & præuaricator, & duplò filius gehennæ; quod ab eo, ſi fieri poteſt, auertat miſericors & miſerator Dominus. Ita Bernardus. Et rectè; quia Deus non irridetur, neque ad tantæ dignitatis faſtigium vocatio impunè contemnitur.

Ad Schematis huius intelligendam cum fructu ſpirituali figuram, meminiſſe oportet, adoleſcentulos iſtos, præcedenti Schemate, conatos quidem fuiſſe elapſam OCCASIONEM per capillitium apprehendere, prout illis tunc quidem, ſed ſeriùs in mentem venit; verùm ſpe ſua fuiſſe fruſtratos: atque ideò ſuaſor incentorque malorum diabolus, occaſione veræ A
OCCASIONIS deperditæ, fucatam eis fallacemque ſubtrudit occaſionis imaginem; talique ineſcatos illecebra, alter diabolus catena circumdatos, ad inferni fauces, quaſi verriculo concluſos, magnis, vt capta præda, clamoribus, trahit.

Tria præſertim hoc ſpectaculo ſignificari conſideremus.
1. Primùm, ſatanam ſe transformare in angelum lucis, qui quaſi occaſionem opportunam ſuppeditare conetur optantibus, atque optima quæque promouere deſideret; ſaniora, vt fingit, ad hoc dando conſilia.
2. Deinde, homines ſocordes, parùm illuſtratos excitatoſque, parumque ſibi præſentes, facilè quiduis, etiam à maligno ſubminiſtratum, arripere, dummodo ſpeciem aliquam referat veritatis aut commodi.
3. Poſtremò, prodere ſe tandem diaboli vafriciem, quando in apertum, per tales præſtigias, inducit exitium, vel in extremum ſaltem periculum coniicit. Vt verè clamat procax ille nequam ſpiritus, incautos catena damnationis circumueniẽs,

Ad barathrum, ad barathrum, ſic ſic raptentur inertes. B

Venatores captâ prædâ. Ita ſolent ferè præ lætitia voces attollere victores parta victoria, captaque præda venatores; & quicumque quod magna

gna induſtria, ingenti labore, longoque tempore fuerant proſequuti, tandem aliquando conſequuntur. Hanc ita exſultationem hoſtium ſuper ſe Propheta Regius deprecatur: *Deus meus non erubeſcam: neque irrideant me inimici mei. Non ſupergaudeant mihi, qui aduerſantur mihi iniquè. Et dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.* Et Ieremias, in populo ab inſultantibus hoſtibus propter peccata in captiuitatem abducto, peccatoris cuiuſque calamitatem atque aduerſarij noſtri deſignans proteruiam, ita lamentatur: *Venatione ceperunt me, quaſi auem inimici mei: aperuerunt ſuper me os ſuum.* Vociferatione percellentes, & horribili faucium hiatu extrema comminantes.

Pſal. 24. *Pſal.* 34. & 37. *Thren.* 3.

Primò itaque in Schematis huius imagine animaduertere
I eſt, Diabolum ſe pallio OCCASIONIS obtectum repræſentare, quò bonam optatamque occaſionem illi eſſe credant, qui ſe talem neglexiſſe lacrymabantur. Sic diaboli miniſtros attendens Apoſtolus, ſub prædicationis velamine ventris ſtudio ſeruientes, ait: *Ipſe enim ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis.* Quid ergo mirum, ſi miniſtri eius transformantur, velut miniſtri iuſtitiæ? Id dicti huius Apoſtolici occaſione, in fraudulentis diaboli aggreſſibus obſeruemus.

Diabolus ſe transfigurat in angelum lucis.

2. *Cor.* 11.

Leuiathan, inquit D. Gregorius, bonis latenter inſidians, ſub ſpecie ſanctitatis illudit. Iſtis ſiquidem, velut extraneis, cuiuſdam quaſi honeſtatis prætextu, ſe palliat: vt mala, quę eis publicè non valet, tecta bonę actionis velamine ſubintromittat. Quia ergo Leuiathan iſte (diabolus) in eo, quòd iniquitatis opus molitur, ſpecie ſępe ſanctitatis induitur; & quia niſi per diuinam gratiam ſimulationis eius detegi indumenta non poſſunt; benè dicitur: *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Niſi ego (Deus ſcilicet) qui ſeruorum meorum mentibus gratiam ſubtiliſſimę diſcretionis inſpiro, vt reuelata malitia, faciem eius nudam videant; quam coopertam ille ſub habitu ſanctitatis occultat. Et quia aliquando fidelium mentes corrumpere oſtenſione ſua, aliquando ſuggeſtione, conatur (agit enim modò opere, modò perſuaſione) rectè ſubiungitur; *Et in medium oris eius quis intrabit?* ſubaudis, Niſi ego, qui per

Gregor. in 41. *ca. Iob. Moral. lib.* 33. *cap.* 22.

Facies diaboli velata.

Oris diaboli medium.

diſcretas electorum mentes, ſuggeſtionum eius verba diſcutio, & non ita hæc eſſe, vt ſonuerunt, manifeſto. Bonum namque videntur promittere, ſed ad perditum finem trahunt. In medium igitur oris eius intrare, eſt calliditatis eius verba penetrare, vt nequaquam penſetur, quid reſonent, ſed quò intendant. Ita docet Diuus Gregorius. cuius verba ſum ita proſecutus, quia tam erant propoſito noſtro accommoda, atque ſi propria.

Quinimmò, quia tam opportunè & appoſitè rem quam intendimus, eximius hic Eccleſiæ doctor & Pontifex enucleat, non poſſum non alia adhuc eius verba aliunde producta inſerere, quibus diſcamus, quàm callidè diabolus virtutum ſpecie in vitiis ſupponendis abutatur; &, quod propiùs ad ſcopum noſtrum accedit, quàm bellè occaſionis bonæ neglectum, fictæ fraudulentæque occaſionis amictu conetur adumbrare.

Iob 40. *Gregor. Moral. lib.* 32. *cap.* 17. Cartilago diaboli ſimulatio.

Sic iſtam technam cartilaginis Behemoth explicatione declarat. *Cartilago eius quaſi lamina ferrea.* Quid enim (inquit) per cartilaginem niſi ſimulatio eius accipitur? Cartilago namque oſſis oſtendit ſpeciem, ſed oſſis non habet firmitatem. Et ſunt nonnulla vitia, quæ oſtendunt in ſe rectitudinis ſpeciem, ſed ex prauitatis prodeunt infirmitate. Hoſtis enim noſtri malitia, tanta ſe arte palliat, vt plerumque ante deceptæ mentis oculos, culpas virtutes fingat: vt inde quiſque quaſi exſpectet præmia, vnde dignus eſt æterna inuenire tormenta. Sic itaque D. Gregorius: qui poſtquam per varia vitia virtutis ſpeciem æmulantia hoc ipſum edocuit; ſubiicit tandem & iſtud, noſtro huic inſtituto præ ceteris opportunum. Sæpè, inquit, accelerandi boni *tarditas*, *conſilium* putatur: & cùm exſpectatur, vt ex retractatione proficiat, hoc *inſidians mora* ſupplantat. At ſatis, ex magni iſtius ſtrategi ſententiis, quibus mille artificis diaboli fallacias dilucidè detegit, & conuellit neruosè.

Vitia virtutum faciem induunt.

Putat quoque Epiphanius, Nathan Prophetam tali dæmonis artificio, quale iam iam deſcripſit hic doctor, (prætextu ſcilicet officij charitatis in mortuo ſepeliendo) retardatum

tum

tum fuiſſe, quò ſeriùs ad Dauidem à peccato adulterij, quod præ foribus erat, reuocandum, accederet.

Transfigurationem eiuſmodi, qua ſatan vt angelus incautos fallit, Ioſue timuiſſe viſus eſt; quando virum in agro Ierichuntino ex aduerſo ſtantem videns, cuius eſſet partis inquiſiuit, dicens; *Noſter es, an aduerſariorum?* Vt videlicet, ſi aduerſæ virtutis foret, eo ipſo quo ſe ſic compellatus ſuſpectum agnoſceret, ab illuſione reſiliret. Vt enim latere quàm maximè ſuas inſidias & occulta conſilia proditores impoſtoreſque deſiderant; ita nihil ſic metuunt ac detegi & deprehendi: *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur*, inquit Propheta Ieremias. Nihil propterea conſultius in ſecretis tentationibus fieri poteſt, quàm vt latentes inimici præſtigię ac tentamenta prodantur, & prudenti confeſſario vel etiam ſuperiori detegantur: detexiſſe enim machinamenta diaboli (vt hoſtis ciuitati inſidiantis) euertiſſe eſt & ſuperaſſe. Sic enim Paulus Apoſtolus quadraginta Iudæorum inſidias, qui deuouerant ſe nihil guſtaturos donec eum interfeciſſent, euaſit; molitionem hanc latentem, per filium ſororis ſuæ adoleſcentem Tribuno militum detegendo: vt in Actis Apoſtolorum memoriæ eſt proditum.

Ioſ. 5. *Ierem. 2.* Inſidias diaboli detexiſſe, ſuperaſſe eſt. *Act. 23.*

Schemat. 10. Cap. 2.

Impoſtura diaboli poſt veræ OCCASIONIS *contemtum, ſupponentis vmbraticam.*

NOn abſimile eſt huic noſtræ intentioni, quod alio adhuc loco D. Gregorius de amicis Iob agens diſſerit. Quædam, inquit, ſe nobis vitia ſub ſpecie virtutum tegunt, & quaſi blanda ad nos facie veniunt. Vnde & amici beati Iob, quaſi pro conſolatione conueniunt, ſed in contumelias erumpunt: quia inſidiantia vitia, virtutum faciem ſumunt; ſed hoſtili inuectione nos feriunt. Ita ſanctus hic do-

Gregor. Moral. li. 2. ca. 19. *Iob 2.*

ctor. Quid aptius dici poſſit, iſtique Schemati conuenientius?

Iuliana virgo. Sic Iuliana virgo coronam martyrij in carcere exſpectans, Satanæ fraudem ſe in lucis angelum transfigurantis, Deo iuuante detexit, excepitque verberibus inſidiatorem. Ita ſanctus Martinus Turonenſis Epiſcopus veteratorem, ſe Chriſtum ſimulantem, purpura veſtitum, agnouit, & merita increpatione correptum fugauit.

Thomas Cantiprat. lib. 2. cap. 57. §. 34. Ita refert Thomas Cantipratanus Albertum magnum ſibi narraſſe, dæmonem Pariſiis aliquando in forma fratris cuiuſdam ſui Ordinis (Prædicatorum videlicet) ſibi apparuiſſe; qui illum prætextu charitatis & diſcretionis, à ſtudiis auocaret; ſed mox, perceptâ fallaciâ, ſigno crucis fuiſſe effugatum.

Matth.4. Tentator. Sed quo exemplo manifeſtiùs hoſtilem hunc aſtum detegamus, quàm dum ſub ſpecie (vt putatur) religioſi ſanctique viri, boniquc conſultoris, Chriſti incolumitatem & exiſtimationem, vt filio Dei debitam, ſartam tectam cupere, videri volebat; & interim ad gulam inanemque gloriam tectè ſollicitabat?

Fucus & impoſtura diaboli. Fuco tali decepti fuere Iudæi, quando ſolida veræ fidei occaſione neglecta, quam ex cæci nati illuminatione, & ægroti ad piſcinam, aridam item manum habentis, hydropici, aliorumque quamplurimorum ſanatione certò debebant apprehendere; prætextum melioris occaſionis, faciendi quod ſui eſſet officij, à diabolo obtruſum arripiebant, zelum ſcilicet ſabbati inuiolatè cuſtodiendi. Hinc, tamquam ſi nihil ipſis, per tot tantaſque anteà commiſſas negligentias, detrimenti acceſſiſſet, & quaſi ſalua ipſis eſſent integraque adhuc omnia, ſolo arrepto illo virtutis velamine, qua ſe Deo ſacrificium exhibere ſibi perſuadebant, quòd pro illibata ſabbati cuſtodia adeò generosè decertarent, etiamſi quiduis ſub illo prætextu contemnerent; neque eius parabolas ſatis palpabiles, neque correptionum inflictarum ſtimulos, neque ſtupenda eius facta curarent. Diaboli dolus erat & impoſtura, ſpecioſum occaſionis bonæ & virtutis amictum obtendentis, & interim in apertum exitium pertrahentis inſenſatos.

Neque

Neque tamen eos hanc celabat amentiam Dominus noſter, quando vlcus eis tangens, vt vel icti ſaperent, vel victi confunderentur, ſic eos compellabat: *Interrogo vos, ſi licet ſabbatis benè-facere, an malè? Animam ſaluam facere, an perdere?* Luc. 6.

Similiter, cùm iam omnem ſalutis viam ſibi præcluſiſſe viderentur, & inuidiâ, gentili quoque Præſidi perſpectiſſimâ, ipſam ſalutem, vt ita dixerim, in Saluatore ad necem perſequerentur; tam opimæ ſpei occaſioniſque vberrimæ manifeſtum contemtum, palliato religionis obtentu contexerunt, nolentes introire in prætorium, *vt non contaminarentur; ſed vt manducarent paſcha*: & interim veloces erant pedes eorum ad effundendum ſanguinem, iuſtum, innocentem, impollutum, quem innocentiſſimi Ieſu vt agni immaculati ardentiſſimè ſitiebant: magniſque ita paſſibus in damnationis abyſſum properabant. Ioan. 18. Simulata religio.

Ita monachus ille, qui propriæ libertatis, commoditatis, vtilitatiſque amantior, paternam ſancti Hilarionis moleſtiùs ferens obſeruantiam, quinto ferè milliario ſegregatus ab illo, degebat, ſibi viuens & imperans; poſtquam tam amœnam vitæ monaſticæ & verè in terris angelicæ occaſionem inſtinctu dæmonis abieciſſet, ſimulatam captauit infelix benè de ſancto merendi ſalutemque curandi opportunitatem. Frequenter veniebat ad fratres gratiæ apud ſanctum ineundæ ſtudio, faſcemque ciceris aliquando è ſuo hortulo collectum attulit, vt vitium virtutis obtentu palliaret: at, tantum fœtorem fructus ille proprij ſtudij & amoris per menſam diffudit, vt vir ſanctus Hilarion Heſichio diceret: Non ſentis putorem teterrimum, & in cicere fœtere auaritiam? Mitte bubus, mitte brutis animalibus, & vide an comedant. Boues ad huius aſpectum exterriti mugienteſque, ruptis vinculis in diuerſa fugerunt. *S. Hieron. in vita S. Hilarionis.*

Hæc ita de primo illo puncto dicta ſint, è tribus primo huius Schematis Capite memoratis: quòd nimirum diabolus ſe transfigurat in angelum lucis; poſtquàm credulos accommoda boni operis ſalutiſque occaſione priuauit, ſimu-

latam occaſionem obtrudendo : cuius decepti illectique ſpecie, in perniciem animæ adducantur. Nunc ad alterum punctum accingamur, in hac fraude notatu digniſſimum.

Schemat.. 10. Cap. 3.

Homines ſibi parùm præſentes, fictam facilè pro vera occaſionem arripiunt.

2 Vmbram pro re captantium vanitas.

ALterum erat in Schemate præſenti notandum, homines ſocordes ſibique parùm præſentes, facilè in hunc errorem induci, vt veri ſimilitudine falſum fictitiumque amplexentur. Tam enim ſupina eſt ad bonum, corrupta noſtræ mortalitatis natura; tam eſt prona viciſſim ad omne id quod honoris, commodi, veri, ſalutiſque aliquam præ ſe fert ſpeciem; vt iſtiuſmodi eſcæ velut auidiſſimi piſces inhiemus, nihil de latenti hamo ſolliciti.

Mundus vult falli.

Vnde fit, vt falſis olim ferè Prophetis faciliùs aures præbuerint quàm veris : ita pſeudoapoſtolis citiùs quàm ipſis Apoſtolis : & nunc mendacibus hominibus, neſcio quid inanis ſpei, proſperitatis, & boni fucati prætendentibus, inhæreant ſtudioſiùs, quàm iis qui veram, ſolidam, probatamque ſalutis rationem, recteque agendi viam demonſtrant; vt verè dici poſſit illud quibuſdam vſitatum, *Mundus vult falli.*

Stultorum conditio ridicula.

Fatuorum amentiumq; hic mos eſt, vt interdum qui compedibus maniciſque ferreis conſtringi nequeunt, ſtramineo ligamine compeſcantur. Sic videas in ſtulta quandoque plebecula illam graſſari phantaſiam, omni regula, quouis iure & lege quacumque tenaciorem, vt certiſſima medicorum placita & conſulta repudient; vetulæ contrà cuiuſquam obſoletæ præſcripta præferant Hippocrati, Galeno, vel ipſi quoque Æſculapio.

Quid mirum igitur, ſi verſipelli diabolo, tametſi præpoſtera conſulenti, aures præbeant, mentemque aduertant, modò illa propenſioni naturæ, commodo temporali, & rei expetitæ

petitæ ſint vtcumque affinia: & præſertim, vt dicimus, quando in angelum lucis ſe transformando, ita procedit, atque ſi ſalutaria, cæleſtia, & diuina ſint, quæ profert in medium.

Exemplo ſit nobis Simon ille Magus, eiuſque veſana deliratio. Factus enim fidelis adhæſit Philippo, baptiſmo ab eo recepto. Tam opportunam verò certæ ſalutis occaſionem contemnens, eamque infami modo ſuis foribus exturbans, fictitiam à cacodæmone obtenſam arripuit, qua ad æternæ damnationis interitum eſt pertractus. Occaſionem à Deo donatam audiuimus, quæ illum fecit participem ſortis ſanctorum in lumine, & regni cæleſtis heredem, coheredem autem Chriſti. Nunc ſubornatam à ſatana videamus, quam miſer excæcatus arripuit, ſeque iuit perditum. Sic legimus in Actis Apoſtolorum: *Quum vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.* Miſer, quid agis? Factus es Chriſti membrum, ciuis ſanctorum, & domeſticus Dei: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Interim ſorte tua contentus eſto; nam & ſors tua cecidit tibi in præclaris; inter ſanctos ſors tua eſt. At *nemo* in Eccleſia Dei *aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron.* Occaſionem nactus es optimam & opimam valdè, quæ inter angelorum choros te quandoque conſtituat, aſſeratque contubernio cæleſtis Ieruſalem. Spartam quam nactus es, vide ne vllis deceptus illecebris paruipendas; ſed magis adornare contende. Ah infelix! non cauiſti tibi à laqueis iniquis diaboli, ſed ſponte illos induiſti: atque prætextu neſcio cuius figmenti, meliorem te reperiſſe viam arbitratus es.

Act. 8.

Simonis magi peruerſa temeritas.

Act. 8.

Apoc. 3.

Heb. 5.

Hanc porrò impoſturam à D. Petro proditam & repreſſam audiamus. *Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem; quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri: non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto. Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.*

Act. 8.

Ecce,

Ecce, quàm friuolè ac temerè veram ſalutis Occaſionem viamque deſeruerat, tam fortiter ac ſedulò ſe imaginariæ huic occaſioni, rem ſuam (vt illuſus à dæmone putabat) prudentiùs agendi, implicuerat, & obligarat. Vnde ſemper in deterius proficiens, tandem magicis ſuis artibus, quas iam fuerat aſpernatus, reſumtis, in ſublime ſublatus, precibus beati Apoſtoli detractus, tam fœdam fecit ruinam, quàm fuerat elatio illa faſtuoſa. Species decepit eum: & fucatam quam ſibi præfinxerat plus adamauit, quàm ſinceram veræ beatitudinis occaſionem.

Marulus. De monacho Meſopotameno.

Sed aliud adhuc exemplum adiiciamus, eiuſdem fallaciæ technas ob oculos ſtatuens. Id referam, quemadmodum illud deſcribit ex Caſſiano M. Marulus. Narrat Caſſianus, Monachum quemdem Meſopotamenum, qui annos multos clauſus vixerat, continentiæ ceterarumque virtutum fama ſupra omnes inſignis, eodem fraudis genere (hoc eſt ſub angeli forma) à diabolo deceptum; ita vt ad Iudaiſmum declinarit, & circumciſionem acceperit. Etenim, multis illius non falſis reuelationibus, & coram ſe coruſcantis luce delinitus, firmiſſimè credidit, ipſum eſſe cæli non tenebrarum ſpiritum. Vbi hoc perſuaſum eſt, illo tandem monſtrante, videre ſibi videbatur Apoſtolos, martyreſque, & omnem prorſus Chriſtianum cœtum, triſtes, abiectoſque, in locis miſeriæ atque perditionis eſſe: econtrariò Iudaicum populum, cum Patriarchis & Prophetis, ingenti lumine fulgere, & altè ſidereis in ſedibus lætos ac geſtientes verſari. His itaque diabolicæ malignitatis præſtigiis illectus, corruit in errorem, nihil ab eo falſum oſtendi poſſe ratus, à quo toties ea, quæ vera eſſet, didiciſſet. Ignarus, hanc eſſe piſcatorum malitiam, vt hamum eſcis tegant, non paſcendi ſed prehendendi cauſa. At, quid aliud diaboli blandimenta niſi odiorum inſidiæ ſunt? Hactenus ex Caſſiano Marulus. Occaſionem miſer ſolidæ ſanctimoniæ æternęque ſalutis abiiciens, abominandam melioris Occaſionis prætextu corripuit anſam arrogantiæ, proprij iudicij, diabolicæ ſuperbiæ, quæ eum pertraxit, quò primum olim ſui inuentorem.

Diabolus inſtar piſcatorum ineſcat.

Ad tertium punctum, è tribus primo Capite Schematis huius propoſitis, procederem, niſi vitatæ huius impoſturæ exemplum priùs iudicarem adnectendum, quod apud eumdem auctorem habemus. Poſtquam pluribus oſtendit, diabolum ſe transfigurare in angelum lucis, ita ſubiungit: Quod quidem benè intelligens Elphegus Cantuarienſis Archiepiſcopus, (homines ſcilicet facilè irretiri, niſi valdè attenderint) cùm ab infidelibus in carcere teneretur, & à diabolo in angelum transformato eductus, multum iam itineris vnà cum illo emenſus eſſet, ambigere cœpit, reprobíne an boni angeli operâ martyrium fugeret: dumque id ſibi oſtendi, Deum oraſſet, diabolus euanuit: ille ad carcerem reuerſus, coronam recepit martyrij. Occaſionis iuſtæ contemtum, per fraudulentam ſuppoſititiæ obtruſionem, (quod noſtri propoſiti eſt) non ſupprimit auctor, dum ſic addit: Inuidia inimici ſeruare homini vitam hanc voluit, vt æternam differret. Sed ipſe bonum, à quo auertebatur, conſiderans, iuſtam dubitandi cauſam habuit, & dolos euaſit. *Marulus.* De Elphego.

Schemat. 10. Cap. 4.

Diaboli machinatio, quantumuis tecta, ſub finem ſe prodere ſolet funeſto exitu.

TErtio loco in hoc Schemate notandum dicebamus, prodere ſe tandem diaboli vafriciem, quando in apertum erumpit intentata nequitia, & ſe deceptus inferni faucibus appropinquare deſiderat. Eapropter, quantâ valet induſtriâ, finem hunc peſſimum tegit, ſicut omnes doloſi, inſidiatores, falſarij, impoſtores, ſycophantæ, malum quod moliuntur obuoluunt; vt, ſi fieri poteſt, nihil minùs metuatur, quàm quod ipſi verè ac primariè intendunt; ſed potiùs contrarium credatur, ſperetur, & certò exſpectetur. 3 Diaboli fraus tandem ſe prodit.

Huius figuram admodum luculentam apud Machabæos habe-

1\.*Mach*.7. Fraudis detectio neglecta. habemus in impio Alcimo, qui conſtitutus ſacerdos, *venit cum exercitu magno in terram Iuda, & miſerunt nuncios, & locuti ſunt ad Iudam, & ad fratres eius, verbis pacificis in dolo.* Cumque non intenderent prudentiores ad ſermones eorum, eò quòd cum tanto exercitu venerant, fraudem ſubodorati; alij minùs circumſpecti, verborum tantùm blandimenta æſtimantes, dixerunt: *Homo ſacerdos de ſemine Aaron venit, non decipiet nos. Et locutus eſt cum eis verba pacifica, & iurauit illis, dicens; Non inferemus vobis malum, neque amicis veſtris. Et crediderunt ei.* Verùm, vt ſe ſimulata illa nequitia tandem prodat, audiamus. *Comprehendit ex eis ſexaginta viros, & occidit eos in vna die. Et incubuit timor & tremor in omnem populum: quia dixerunt; Non eſt veritas & iudicium in eis: tranſgreſſi ſunt enim conſtitutum & iuſiurandum, quod iurauerunt.* Quomodo poſſet impoſtura diaboli, blandientis primùm atque omnimodam amicitiam ſimulantis, & tum poſteà hoſtili crudelitate graſſantis, manifeſtiùs exprimi?

1\.*Machab*. 12. Alio tamen exemplo, non minùs efficaci, latentes diaboli inſidias ſub ſpecie amicitiæ detegamus. Sic in eodem Machabæorum volumine legimus: *Cùm cogitaſſet Tryphon regnare Aſiæ, & aſſumere diadema, & extendere manum in Antiochum regem; timens ne fortè non permitteret eum Ionathas, ſed pugnaret aduerſus eum, quærebat comprehendere eum & occidere. Et exſurgens abijt in Bethſan. Et exiuit Ionathas obuiam illi, cum quadraginta millibus virorum electorum in prælium, & venit Bethſan. Et vidit Tryphon, quia venit Ionathas cum exercitu multo, vt extenderet in eum manus. Et timuit, & excepit eum cum honore; & commendauit eum omnibus amicis ſuis, & dedit ei munera: & præcepit exercitibus ſuis, vt obedirent ei ſicut ſibi. Et dixit Ionathæ; Vt quid vexaſti vniuerſum populum, cùm bellum nobis non ſit? Et nunc remitte eos in domos ſuas: elige autem tibi viros paucos, qui tecum ſint, & veni mecum Ptolemaidam, & tradam eam tibi, & reliqua præſidia, & exercitum, & vniuerſos Præpoſitos negotij, & conuerſus abibo; propterea enim veni. Et credidit*

didit ei, & fecit ſicut dixit, & dimiſit exercitum, & abierunt in terram Iuda: retinuit autem ſecum tria millia virorum; ex quibus remiſit in Galilæam duo millia, mille autem venerunt cum eo. Vt autem intrauit Ptolemaidam Ionathas, clauſerunt portas ciuitatis Ptolemenſes, & comprehenderunt eum: & omnes, qui cum eo intrauerant, gladio interfecerunt. Et miſit Tryphon exercitum & equites in Galilæam, & in campum magnum, vt perderet omnes ſocios Ionathæ, &c. Prolixa narratio, ſed ſiquid in toto contextu ſit, quod ad rem propoſitam non ad amuſſim pertineat, per me licet, vt illud fruſtrà adſcripſiſſe redarguar. Verùm, tam eſt accommoda fictioni diabolicæ hiſtoria, vt de verbo ad verbum illam videatur adumbrare, ſuiſque coloribus ad viuum depingere.

Diaboli dolus Tryphonis inſidiis comparatur.

In primis in Tryphonis arrogantia diadema & regnum ambientis, ſuperbam illam diaboli arrogantiam eſt animaduertere, qua veluti rex, non ſolùm ſuper omnes ſuperbiæ filios, ſed toti mundo dominari deſiderat. Deinde, vt timuit Ionathæ vires ſibi aduerſantes, ita maximè à Spiritus ſancti gratia ac virtute (per Ionatham vt columbam figurata) ſuæ machinationi formidat. Magnum Ionathæ robur exercitus (ſacrato cum primis quadragenarij numero inſignitus) magna quoque vis ſpiritus Dei vehementis in nauibus Tharſis mundi potentiam conterentis. Sed columbæ ſimplicitas, citra ſerpentinam prudentiam, facilè circumuenitur, vt in Ionatha accidiſſe, dolentes audiuimus. Iuuat tamen in ſingulis Tryphonis verbis & promiſſis, dæmonis aſtutiam & ficta blandimenta animaduertere, in apertam ſe tandem prodentis perniciem, quando ſatis fidei ſe nactum conſiderat. Ita ſerpens Euam blandè eluſit; ita lanio libratum vibrat ictum, poſtquam abundè ſatis bouis ceruicem demulſit. Id oſculum Iudæ (quod ideò pluries dixi) in Chriſti necem, & fraterna Ioabi ſalutatio in Amaſæ caput, portendebat. Sed omnis diaboli impoſtura diſſoluitur proteriturque, quando detegitur, triſtiſque exitus propalatur. Ita patuit tentatoris aſtutia, quando poſt ſpecioſas ad gloriæ augmentum prouocationes, in apertam tandem idololatriam erupit, dicente

Detegenda tentatio.

illo: *Si cadens adoraueris me.* De his & ſimilibus plura in Veridico Chriſtiano, Cap. 38.

Fraudis detectæ neglectus.

Quia verò fraudem hanc diaboli, leuitatemque credentium cum dolendo poſtmodum exitu, quibuſdam Maronis verſibus egregiè deſcriptam habemus; quemadmodum ſuperiùs ſub finem Capitis ſeptimi in Schemate octauo attigimus; ita nec me illos hîc apponere, neque Lectorem ſpero percurrere pigebit. Poſtquam ſiquidem plurimi molem prodigioſi illius equi obſtupuiſſent, iamque nutarent animis, vt intra mœnia quoque duci permitterent; addit Poëta meliùs fraudem ſubolentis ſententiam:

Aeneid. 2.

At Capys, & quorum melior ſententia menti,
Aut pelago Danaûm inſidias ſuſpectaq; dona
Præcipitare iubent, ſubiectiſq; vrere flammis;
Aut terebrare cauas vteri & tentare latebras.
Scinditur intereà ſtudia in contraria vulgus.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterua,
Laocoon ardens ſumma decurrit ab arce;
Et procul, ô miſeri, quæ tanta inſania, ciues?
Creditis auectos hoſtes? aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaûm? ſic notus Vlyſſes?
Aut hoc incluſi ligno occultantur Achiui,
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros,
Inſpectura domos, venturaq; deſuper vrbi;
Aut aliquis latet error. Equo ne credite Teucri.
Quidquid id eſt; timeo Danaos & dona ferentes.

Si tam nos verè & efficaciter diaboli pollicitationes, blanditias, & quod Græci, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, inimicorum non dona dona, ſimulataſque occaſiones, ſuſpectas haberemus, conaremurque detegere, quàm ille viuaci penicillo dolum ſub prætextu muneris ac Religionis latentem depinxit; non tam ſæpè eius laqueis caperemur, tametſi mellitiſſimis.

Si ad finem infamem, vt caudam fœdiora velantem, mentes aduerteremus, blandus accedentis vultus non tantum afficeret. Non malè propterea monebat Ariſtoteles, volupta-

tes

tes abeuntes, non autem accedentes, eſſe contemplandas. Facies ſiquidem accedentium, hoc eſt principium, adblanditur; ſed extrema, doloris ſunt pleniſſima.

Schemat. 10. Cap. 5.

De ſeptem diabolicis caudis.

QVandoquidem tum in ſacra Scriptura, tum apud ſanctos Patres intentum diaboli ſcopum, malarumque ſuggeſtionum finem, caudæ nomine legimus appellatum, de ſeptem eiuſmodi caudis aliquid deinceps ſumus in medium allaturi: vt varia ac multiformis eius vafricies detegatur, conſtetque vniuerſis, quàm artificiosè vt plurimùm fœdum miſerandumque ſpecioſarum molitionum exitum, veluti cauda, obuelare conſueuerit. Septem caudæ diabolicæ.

Vna quidem principaliſque cauda diaboli eſt, ſeu finis, quem intendit, quoad homines, æterna damnatio; verùm, ſicuti vltimi finis multi ſunt fines medij, ita ſex potiſſimùm in diuinæ Scripturæ decurſu inuenimus conditiones, quibus veteratorius ſerpens vtitur tamquam caudis, ad vltimum finem, ceu longiſſimam æternùm duraturæ combuſtionis caudam pertinentes.

Prima igitur eſt, de qua legimus, cauda titionis fumigantis: iuxta Domini dictum, per Prophetam Iſaiam: *Noli timere à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum*: hoc eſt regum iſtorum duorum potentiam ne metuas: qui inſtar titionum in ſui extremitate fumantium, breui conſumendi ſunt. Quia titio cui in extremitate adhuc intacta fumus erumpit, conſumtioni proximus eſt; nam fumus inde erumpens indicat combuſtionem eſſe valdè propinquam, & magis magiſque accedere. Cauda 1. diaboli. *Iſa*.7.

Ita diaboli machinatio, inualida quidem exercitatis, eiuſque impotentiam callentibus; ſed ignaris fumo quodam obſcuræ ambiguitatis oculos perſtringit, vt cæcutiant. Illudque Mentis obnubilatio.

eſt opus primæ caudæ diaboli, obnubilatio intellectus, & faſcinatio quædam oculorum internorum, vt neque dolum latentem obſeruent, neque videant periculum quod imminet. Huius caudæ præſtigium in Abimelech fuit figuratum, qui fumo ramorum mille viros necauit oppidi Thebes, vt in libro Iudicum refertur. Quo malo circumuentos in Galatis ita increpat Apoſtolus: *O inſenſati Galatæ! quis vos faſcinauit non obedire veritati?*

Iudic.9.

Gal.3.

2.Cauda. Secunda cauda diaboli eſt, incuruans; de qua idem Propheta duobus locis meminit, vocatque incuruantem. Sicuti canes cùm adblandiuntur, caudam incuruant, indicio rem ipſis ex voto ſuccedere; ita diabolus incuruat ſuis præſtigiis mentes hominum, alioqui ad cælum Deumque ipſum erectas; quod ipſamet corporis conditio demonſtrat, iuxta Poëtam ſic canentem:

Iſa.9.

Mentis in malum inflexio.

Ouid.1. Metam.

Pronaq; cùm ſpectent animantia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumq; tueri
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Illud ſtudet hac cauda diabolus in hominibus efficere, quod cunctis ad prauitatem, iniquitatem, & curuitatem pronis inclamat apud Prophetam Iſaiam: *Incuruare, incuruare; vt tranſeamus.* Per rectos, æquos, & ſtantes, ſibi ſuiſque machinamentis non inuenit tranſitum; ideoque ad inclinationem & curuitatem hanc, atque à recto inflexionem, ſemper inuitat.

Iſa.51.

Puerorum ludus.

Similitudo à pueris in platea ludentibus deſumta videtur: ad quos ordine certo æqualibus ſpatiis ſtantes, is qui per ſingulos certo ſaltu diuaricatis tibiis eſt tranſiturus, clamat; Incuruare, incuruare, quando aliquem nimis ſe erigentem animaduertit, vt ſe iuxta ludi leges inclinet, quò ſcilicet poſſit tranſſilire, quod alioqui per erectos efficere nequeat. Ideoque apud eumdem Prophetam ſequitur, de iis qui huic incantationi ſe accommodantes, à recto decedunt, & ius faſque deſerentes, ad praua ſe inclinant, diabolo per ſe tranſitum concedentes: *Poſuiſti vt terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.*

Hæc

Hæc eſt maledictio, quam Dauid in figura Chriſti impiis ſuis perſecutoribus omnibusque Chriſtiani nominis aduerſariis prædicit euenturam: *Obſcurentur oculi eorum; & dorſum eorum ſemper incurua.* Vnâ eademque ſententiâ, vt videmus, & caudam primam, fumigantem, cor obſcurantem: & ſecundam, ad malum à recto incuruantem, denunciat. *Pſalm. 68.*

Si quis plura, de debita hac Chriſtiani hominis rectitudine, atque odioſa per aſtum diaboli vt caudam incuruantem inflexione, deſideret; videat D. Bernardum rectitudinem ſtipitis lilij tractantem, & egregiè, vt omnia, applicantem.

Schemat. 10. Cap. 6.

De tertia & quarta diaboli cauda.

TErtium caudæ diabolicæ genus eſt, cauda refrænans; vt in Iſaia Propheta reperimus. Refrænantem verò caudam vocat, fraudem illam diaboli malitioſam, qua blandiendo primùm corda incuruata, in malo ad quod inflexit quaſi fræno iniecto retinet, ne reſiliant, reſipiſcant, & à via illa mala conuertantur. Similitudo deſumta videtur à venatoribus, qui prædam in laqueum vel foueam inſidiis inductam, vinculis tum repaguliſque iniectis conſtringunt, ne ſe tricis manibúſve ipſorum eripiat. Sicut ſcimus Chriſtum blando pacis oſculo priùs proditum, poſteà iniectas eidem violenter manus, vinctumque fuiſſe perductum ad Annam; ibique adhuc, ad maiórem cœpti facinoris captæque prædæ ſecuritatem, ſtrictioribus catenis & vinculis innodatum. Itaque blandities allicientis à recto incuruat, & ſæuitia captum vt fræno coërcet. *3. Cauda diaboli. Iſaiæ 9. Mentis infrenatio.*

Frænum autem huiuſmodi iniicit, quando vel peccatorum grauitatem, vel Dei iuſtitiam, vel ardens in malo perſiſtendi deſiderium obiiciendo, impedimentum ponit, quò minùs miſer peccator ad mentem redeat. Ita videas araneum dia-

Araneus captas muſcas inuoluit.

diabolica æmulatione muſcas dolo primùm irretitas, ſic implicare & telâ ſuâ circumquaque inuoluere, vt ſe nequeat extricare. Qui caudam dæmonis incuruantem non euitarit, vix euaſurus eſt refrænantem.

4. Cauda diaboli ſcorpiaca.

Sequitur quarta diabolicæ caudæ nequitia, quam ſcilicet in Apocalypſi deſcribit Apoſtolus. Et habebant (inquit) locuſtæ caudas ſimiles ſcorpionum; & aculei erant in caudis earum. Aculeus ille, præterquam quòd venenum ictis inſtillat, etiam recuruo ſuo vnco ita infigitur, vt non niſi cum parte aliqua corporis affecti vel maiori vulnere extrahatur; ſicut tela quædam aduncis vtrimque armata cuſpidibus; ita cauda ſcorpionis, licet vna tantùm ex parte recuruum habeat hamum, ſine nouo tamen damno non euellitur.

Aſſenſus in malum.

Significatur aſſenſus in malum, qui non permittit, vt quis ab illa diaboli cauda ſe expediat; accedente præſertim ſecuritate & mala conſcientiæ tranquillitate. Fit enim vt hauſto quaſi veneno ſopita ipſorum conſcientia eos non remordeat, vel ſaltem remordentem cauteriati non ſentiant, ſecuri in peccatis viuant, lætentur cùm malè fecerint, gaudeantque in rebus peſſimis.

Hier. in Ezech. ca. 2.

De ſcelerato ſcorpionum ictu ita D. Hieronymus: Scorpiones arcuato vulnere & aculeo fiſtulato percutiunt: eademque plaga aperit cutem, venena diffundit, & inhamat. Vnde idem doctor contra Vigilantium, de opere Tertulliani, quod SCORPIACON vocat; rectiſſimo, inquit, nomine; quia illa hæreſis arcuato vulnere in Eccleſiæ corpus venena diffundit, quæ olim appellatur Caina hæreſis.

Idem cõtra Vigilant.

Gregor. Homil. 9. ſuper Ezechiel.

Diuus Gregorius, Scorpiones, inquit, ſunt, qui blandi & innoxij in facie videntur, ſed poſt dorſum portant, vnde venenum fundant. Eos, quibus præualent, à bonis moribus ſubuertunt: & quos inflectere non valent, occultis machinationibus feriunt. Hæc Gregorius.

Caudæ ſcorpionis linguam ſimilem habent, cum ſui generis principe Medio, calumniatores: quod his addendum cenſui occaſione prædictæ tam immedicabilis læſionis, etiam in ipſa aculei euulſione metuendæ. Medius ſiquidem hic, ex Alexan-

Medius, calumniatorũ princeps.

Alexandri paraſitis vnus, ſolebat alios adhortari, ne metuerent quoduis crimen in quemuis intendere. Adiecit ſcelerato præcepto cauſam appoſitam. Vt maximè (inquit) ſanet vulnus, qui delatus eſt; manet tamen cicatrix.

Non arbitror, inquit quidam, eſſe diabolum tam impium, qui rem magis nefariam poſſit ſuggerere. Et quò fœdius eſt crimen, hoc tenaciùs hæret apud multos criminis ſuſpicio, vel in innocentiſſimum. Audiui ducem quemdam his verbis adhortantem ſuos milites nauticos, ad quiduis prædandi temeritatem; Rapite, inquit, quidquid poteſtis, ſiue merces ſint amicorum, ſiue hoſtium: nam, vt qui ſpoliati ſunt, ſic agant apud Principem, vt compellamur reſtituere, ſemper tamen aliqua prædæ portio remanet apud nos. Hæc occaſione arcuati vulneris caudæ ſcorpionis; quod etiam in aculei exemtione maiori cum damno laceratur. Calumniæ pernicies.

Schemat. 10. Cap. 7.

De quinta, ſexta, & ſeptima cauda diaboli.

QVinta cauda diabolica eſt, quæ apud Iob à Deo deſcribitur; *Stringit caudam ſuam* (Behemoth hoc eſt diabolus) *quaſi cedrum.* Cedrus arbor proceriſſima, aliquando in ſacra Scriptura iuſtorum excellentiam ſignificat, aliquando verò ſuperbam prauorum potentiam. Quando igitur cauda diaboli per cedrum exprimitur, docemur, diabolum aliquando finem ſuum quem prætendit homini, eſſe ſanctorum iuſtitiæ in ſpecie æmulantem; quaſi ad ſanctorum excellentiam adducat, ſi ſequaris; idque ſimulatè tranſigitur: aliquando verò apertè, ita faſtuosè malum & ſuperbè ſe iactantem, vt peſſimi cuiuſque iactantiam & tyrannidem ſuperet. 5. Cauda diaboli. *Iob* 40. Simulata ſanctitas. Aperta malitia.

Cauda hæc, vel fallax valdè & fortis in blanditiis, vel terribilis eſt in minis. Et ecce, quàm accommodè in malum! quando nimirum in malo quempiam refrænauit, ne

e reſi-

reſiliat, tali tum modo percellit & ſtringit, vt vix ſe mouere audeat. Vnde Diuus Gregorius ſuper his verbis: Benè, inquit, ſtringere caudam dicitur Behemoth; dente enim vulnerat, & cauda ligat: quia ſuggeſtione prima percutit, ſed percuſſam mentem ne euadere valeat inualeſcente fine tentationis adſtringit. Et ſciendum (inquit) quòd plerumque eis quos ceperit, tunc grauiores culpas ingerit, cùm præſentis vitæ termino illos propinquare cognoſcit. Behemoth igitur caudam quaſi cedrum ſtringit, quia quos per praua initia ceperit, ad finem deteriorem trahit. Ita D. Gregorius: qui & alibi illa verba eiuſdem Prophetæ explanans; *Irruit in me quaſi gigas*; Si, inquit, hoſtis ſuaſionibus anima ſubeſſe conſueuerit; quanto ſe ei crebriùs ſubiicit, tanto eum ſibi intolerabiliorem facit, vt ei reluctari non valeat. Quia nimirum malignus aduerſarius contra hanc, ex praua conſuetudine deuictam, quaſi more gigantis pugnat.

D. Gregor. Moral. lib. 32. cap. 17. in cap. 40. Iob.

Moral. lib. 13. cap. 10.

Hoc in ſe D. Auguſtinus ſenſiſſe videtur, quando ſe iam diaboli laqueis extricare volens, ad meliorem vitæ rationem animum aduertere conabatur. Qualiter hanc gigantis prædominantem oppreſſionem expertus ſit, ex hiſce eius verbis licet coniicere: Iam (inquit) attingebam & tenebam; nec tamen attingebam, nec tenebam, hæſitans mori morti, & vitæ viuere. Pluſque in me valebat deterius inolitum, quàm melius inſolitum. Ita ille ſanctus, ſuam confitens infirmitatem, & Dei potentiam.

Auguſtin. Confeſſ. li. 8. ca. 11.

Ratio ita adſtringentis huius caudæ diabolicæ per malam conſuetudinem, per ſe clara ſatis eſt: quia poſtquam quis in profundum venerit peccatorum, contemnit; & inſtar aſpidis ſurdæ, caudâ ſpei vitæ longiùs protrahendæ aures obturans, non audit verba incantantium ſapienter: hoc eſt, monita ſalutis proponentium, hortantiumque quàm optimè ad conuerſionem. Ex quo factum credo, quod de Crētenſibus narrat Valerius, vt quando acerbiſſima exſecratione aduerſus eos quos vehementer oderant vti vellent; vt mala conſuetudine delectentur, optabant: modeſtoque voti

Conſuetudo mala, res peſſima.

Val. Max. lib. 7. cap. 2.

voti genere efficaciſſimum vltionis euentum reperiebant. Inutile enim (inquit) aliquid concupiſcere, & in eo perſeueranter morari: exitio ea dulcedo vicina eſt.

Caudæ ſextæ ſpecies eſt, quæ per caudas vulpium connexas tempore Samſonis figurabatur. Et hæc eſt malorum ſocietas, quando quis præcedentibus diaboli caudis captus, irretitus, & ſublimatus, etiam ſui ſimilium caterua ſtipatus, fit totus in ſua malitia obfirmatus; vt ſpes nulla ſupereſſe videatur, ad meliora vmquam reuertendi. 6. Cauda diaboli. *Iudic.* 15. Conſortium malum.

Hac ſiquidem malorum hominum colluuie circumuallato, nec conſultores, nec incentores, nec propugnatores, nec duces facilè deeſſe poſſunt, quorum præſidiis in malo ſtipatus perſeueret: cùm in magna peſſimorum conſortium frequentia, omnis ſint generis ingenia, acres animi, mentes maleuolæ, obſtinata pectora, ſpiritus vehementes, veloces pedes, manus ad malum exercitatæ. Nam, vt inquit Iſidorus; Sicut multa bona habet communis vita ſanctorum, ſic plurima mala adfert ſocietas malorum. *Iſidor. li.* 2. *Soliloq.*

Vnde de ſuo furto puerili Auguſtinus fatetur ingenuè, Deumque ipſum ſecretorum omnium conſcium teſtem acceſſit veritatis. Et tamen (inquit) ſolus id non feciſſem; ſic recordor animum tunc meum; ſolus omni modo id non feciſſem. Sed quoniam in illis pomis voluptas mihi non erat, ea erat in ipſo facinore, quam faciebat CONSORTIVM ſimul peccantium. O nimis inimica amicitia, ſeductio mentis inueſtigabilis! Cùm dicitur, Eamus, faciamus; & pudet non eſſe impudentem. Quis exaperit iſtam tortuoſiſſimam & implicatiſſimam nodoſitatem? Fœda eſt, nolo in eam intendere, nolo eam videre. Ita ipſe. Vtinam ita multi, immò omnes, cum D. Auguſtino ad mentem redeant ſaniorem! Alioqui, quò niſi ad extremam perniciem ruant, ita in malo conſarcinati, & quaſi in faſciculos colligati ad comburendum? Ideoque ſpeciatim hæreticorum factiones vulpibus illis Samſonis meritò ſolent aſſimilari; qui præterquàm quòd vulpina calliditate & nequitia Christi vineam Eccleſiam demoliri conentur, capitibus quoque diſtincti tot *Confeſſ. lib.* 2. *cap.* 8. 9. 10. Furtum D. Auguſtini. Hæretici, vulpes Samſonis.

ſententias tuentur, quot habent capita; neque vllæ ſectæ in ſenſu & mente doctrinæ conueniunt: in caudis verò connexi, eumdem prorſus portendunt exitum; tam quoad Eccleſiæ vaſtationem, quàm quoad propriarum animarum interitum.

7. Cauda diaboli. *Apoc.* 12. Septima & vltima cauda eſt, Cauda draconis, de qua D. Ioannes in ſua Apocalypſi ſic inquit: *Draco magnus & rufus, habens capita ſeptem & cornua decem: & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.*

Mors æterna. Sicut vltima hæc eſt cauda numero, ita vltimam mortem æternamque illa meritò ſignificet damnationem; quò omnes aliæ, ſuo quæque modo, deducebant. Nam de caudis vulpium ſuprà memoratis, ita D. Auguſtinus: Caudæ vulpium quid ſunt, niſi poſteriora hæreticorum, qui prima habent magna & deceptoria opera, poſteriora ligata, id eſt, damnata, & in ignem in fine trahentia; vt eorum fructus & acta conſumant, qui ſuis ſeductionibus acquieſcunt? Atque idem in Pſalmum quinquageſimum ſeptimum, vbi de aſpide diſſerit. Quid ſibi vult hoc, inquit? In cauda, poſteriora vtique intelliguntur: iuxta illud Palmiſtæ: *Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani: & tranſiui, & ecce, non erat; quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.*

Auguſtin. ſerm. 1. *Dom. Paſſ.*

Idem in Pſalm. 57.

Pſal. 36.

Impij namque, & ſalutis OCCASIONE contemta ſe diaboli fraudibus implicantes, quò magis ſe cauda eius fumigante obſcurari permittunt, ab incuruante inflecti, innodari à refrænante, ab ſcorpiaca adhamari, à quinta vt cedrum exaltari & ſtringi, atque tandem à vulpinis colligari; eò certior clariorque eorum damnatio; qua veluti cauda draconis nouiſſima, in profundum inferni detrahentur.

Infamis valdè eſt iſta cauda; quia quod dicit Apoſtolus, eis tunc dici quoque poterit: *Quem fructum habetis in illis,* (& ex illis) *in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt*; vt ibidem ſubiungitur. Et alibi idem Apoſtolus in eamdem ſententiam: *Quorum finis interitus, & gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt.*

Rom. 6.

Phil. 3.

Lon-

Longiſſima omnium hæc eſt cauda, quia infinita; reliquæ finitæ ac terminatæ, quia per veram pœnitentiam abrumpi poterant & ad nihilum redigi: iſta verò illius eſt temporis & fori, in quod nulla cadit reſipiſcentia, & gratia nulla. Idcirco vermi immortali rodentique in æternum comparatur: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur; & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.* *Iſa.66. Mar.9.* Virgæ quoque ferreæ ignitæ & longæ, combuſtionis æternæ, poteſt aſſimilari hæc cauda. Nam virgæ aliæ, quibus hîc ſuos percutit Dominus, limitatæ ſunt, miſericordiam & veniam caſtigatis adducentes: at qui illas non admiſerint, intolerabilem illam extremam & interminabilem iuſtiſſimo Dei iudicio promerentur. Virga ferrea & longa, æterna damnatio.

Schemat. 10. Cap. 8.

Caudarum diabolicarum cum catena peccatorum collatio, præſenſque remedium eis opponendum.

Catena illa, quâ in Schematis imagine circumuentos illos imprudentiores animaduertimus, non ineptè catenam illam peccatorum repræſentare videtur, quam deſcribit nobis D. Auguſtinus. Catena, inquit, hæc longa & horrenda. Ex ſuggeſtione cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine deſperatio, ex deſperatione peccati defenſio, ex peccati defenſione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Hi ſunt funes atque compedes (& catenæ) quibus adſtrictum hominem ſatanas nunc in omne genus malorum, ac tandem in tartaream abyſſum præcipitat infeliciſſimè. Hactenus D. Auguſtinus. Catena peccatorum. *D. Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte.*

Quis non videat caudarum præfatarum molitiones, ſignifica-

ficataſque diaboli artes, inter ſe connexas id efficere, quod feralis illa catena tandem exſequitur? vt ſicut nimirum in catena anſa anſam & annulus annulum trahit, deceptoſque includit, raptandos in barathrum, niſi per veram pœnitentiam ſe tandem eripiant; ita caudæ vnius doloſa peruerſitas, alterius adhamatur aſtutiæ, vt tandem catenæ inſtar implexos illaqueent, & quaſi ſpe ſalutis deſtitutos abripiant.

Aug. Confeſſ. lib. 2. cap. 2.

Hoc de ſe D. Auguſtinus, vt qui multùm tentatus fuerit, eò quoque plura ſciuerit, confeſſus & conqueſtus eſt in piis illis ad Deum ſui accuſationibus, cùm priorem illum vitæ ſuæ ſtatum miſerandum mente reuolueret. Obſurdueram (inquit) ſtridore catenæ mortalitatis meæ, pœna ſuperbię animæ meæ: & ibam longiùs à te, & ſinebas, & iactabar, & effundebar, & diffluebam, & ebulliebam per fornicationes meas, & tacebas. O tardum gaudium meum! Tacebas tunc, & ego ibam porrò longè à te in plurima & plura ſterilia ſemina dolorum, ſuperba deiectione, & inquieta laſſitudine. Merſabar gurgite flagitiorum. Ita ipſe, naufragium aliquando paſſus; quod & D. Hieronymus vſurpabat, periculorum maris magni prudens factus admonitor.

Catena mortalitatis.

Remedium contra diaboli machinationes.

At, quia catenæ & caudæ ex multis contextæ eamdem diximus eſſe machinationem & perniciem, operæpretium fuerit, hîc optimum præſentiſſimumque ſub finem huius Schematis adhibere remedium, quò earum præſtigias euitemus. Id autem in conſilio illo conſiſtere certum eſt, quod Dominus Moyſi dabat. Poſtquam enim ipſo iubente virgam quam manu geſtabat in terram proieciſſet, illaque in colubrum eſſet verſa, metu correptus Moyſes cœpit fugere. Dixitque ei Dominus: *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, verſaq; eſt in virgam.* Itaque apprehendenda eſt cauda ſerpentis iſtius verſipellis ac veteratorij, quamcumque produxerit. Non quidem eo modo, quo iſti vecordes adoleſcentes in Schemate, per aſſenſum in id ad quod eam obtruſerat, (vt ſcilicet loco capillatæ & opportunę occaſionis arriperent tenerentque) ſed apprehendenda cauda eſt per fraudis detectionem, quę non in capite

Exod. 4.

Apprehenſio caudæ diaboli, ſeu doli detectio.

capite, labriſque blandientibus, ſed in fraudulento blanditiarum fine quærenda eſt.

Tunc autem draco vel ſerpens in virgam conuertitur, non quæ noceat, ſed qua te adiuues, ad magis cautum fiendumque deinceps progreſſum faciendum, quando non quid dicat, promittat, obtendat diabolus initio contemplaris, ſed quò hæc omnia vergant, quid intendat, quis finis & cauda cunctorum futura ſit. Tunc prima facies non fallet, ſi caudam caueris. Draco quomodo in virgam conuertitur.

Neque aliud eſt in rei ſignificatione, tametſi in modo diuerſitas appareat, quando videlicet inuadente Tobiam immani belua, ei ſuggerit Angelus vt apprehendat branchiam eius: quia ſicut in cauda diaboli, vis tota molitionis ipſius fraudulentæ conſiſtit, ita ab ipſius branchiis (dum piſci comparatur) totius actionis, motus, & vitæ ſumma dependet. quibus apprehenſis ſtrictiſque, dum continua illarum agitatio prohibetur, vita ipſa quoque & vis omnis adimitur: quod & attractio, palpitatio, & exenteratio conſignarunt. Nam branchias piſcis apprehendere, tantum eſt, quantum ſi in reſpirantibus iugulum petas, & conſtricto gutture prohibita reſpiratione præfoces. *Tob. 6.* Branchiã piſcis arripere, eſt diaboli vires elidere.

Concidit itaque omnis diabolicarum caudarum catenarumque molitio, quando quaſi arrepta caudæ extremitate, gehennæ incendia cogitantur, ad quæ nos certò diaboli blandimenta pelliciunt, doloque blando circumuentos abripiunt.

Huc facit & vulpeculæ imitanda prudentia, quæ à leone ægritudinem in ſpelæo ſuo ſimulante inuitata; immò graui expoſtulatione, quòd, aliis animantibus ſuo functis officio, ipſa ſola ſuo deeſſet muneri, increpita, reſpondit lepidè & admodum acutè: Vulpecula leonis inſidias eluſit.

——— *Quia me veſtigia terrent,*
Omnia te aduorſum ſpectantia, nulla retrorſum. *Horat. 1. epiſt.*

Eò ingreſſorum animalium veſtigia ſolo impreſſa cernebat, ſed nulla inde regreſſorum. Ergo exitio ipſis fuit leonem inuiſiſſe. Ita conſiderato triſti exitu, à blandis illecebris faciliùs cauetur.

Monet

1.Pet. 5. Monet autem nos non ſolùm Apoſtolus Petrus clariſſimis verbis, quòd aduerſarius noſter diabolus, tamquam leo rugiens, (qui terribili ſuo rugitu ſe prodens faciliùs poſſit euitari) circumeat, quærens quem deuoret: verùm etiam leonum vrſorumque domitor Propheta regius, prolato iam tropo accommodatiùs: *Inſidiatur* (inquit) *in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua. Inſidiatur vt rapiat pauperem; rapere pauperem, dum attrahit eum.* Ac ſi dicat: Hoc diaboli ſtudium, hæc leonis huius induſtria, & labor; vt primùm inſidiosè malitiam occulat; & propterea, quaſi nihil minùs quàm nocere intendens, in ſpelunca quietus iacet; immò blanditiis & innocentiæ pretenſa ſpecie ad ſe quaſi inuitat: ſed ſcopus eſt, vt rapiat ac diſſipet pauperem, virtutibus, prudentia, & in primis cautela hac deſtitutum.

Pſal. 9.

Hinc non ſine cauſa, omnes iſti in Schemate, barathri faucibus imminentes, miſerandis modis diuinam implorant clementiam, quando ſe iam certò deceptos percipiunt, tamque inopes fuiſſe præmaturi conſilij, vt nihil minùs, quàm talem exitum ex talibus principiis expectarint. clamant itaque:

—— *O ſerò ſemper meliora ſequentes!* E

Parce Deus, tam veſani nos pœnitet orſi. G

Atque ita ceteri, aliis atque aliis lamentis ſuam agnoſcentes deplorantesque temeritatem & imprudentiam.

Argumento itaque ſunt iſti omnibus diabolica deceptis aſtutia, proximos quidem illos eſſe infernali voragini, ſpem tamen ſupereſſe veniæ, ſi reſipiſcant. Et, tametſi Occasionem præclarè merendi, & maiora conſequendi neglexerint; Metanoeam ſaltem arripiant ſalutarem; quâ, (vt fieri poteſt) priorem quoque iacturam non ſolùm reſarciant, verumetiam cum fœnore abundè compenſent.

ORA-

ORATIO X.

Ad vitandas diaboli inſidias.

DA nobis, Domine, diabolicas vitare præſtigias, & te ſolum Deum tota mente ſectari: vt inter tot tantaſque maligni ſpiritus inſidias, diuinæ tuæ voluntati inhærentes, & corpore tibi & mente placeamus; atque inoffenſo pede ad vitam proficiamus æternam. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Amen.





A. *Hinc, hinc, foeda lues Erebi, fera peſſima, ad Orcum:*
Non hæc tam furuis debetur faucibus esca.
B. *Angele, fide comes, noſtræque ſalutis amator,*
Quæso, tuêre tuos dêinceps hac lege clientes;
Ut, licet ad magnos poſthac OCCASIO *honores*
Et TEMPVS *miſeris periÿt; tamen illa ſuperſit*
Ansa, patrocinio veſtro, quæ ritè piandis
Commiſſis ſatis eſſe queat: ne morte luamus
Æterna, et nunquam liceat ſperare ſalutem.
A. *Faxo, modo faciant præmiſſa pericula cautos.*

Schematis II. explicatio;

Quo exhibetur, quomodo Angeli tutelaris obſequio, præda diabolo eripitur, ad commiſſæ negligentiæ pœnitentiam.

Schemat. II. Cap. I.

METANOEAE, *ſeu doloris neglectæ* OCCASIONIS *efficacitas.*

ANGELI cuſtodis interuentu, miſelli iſti è periculis æternæ damnationis eripiuntur, vt ſaltem per pœnitentiam ſaluti ſuæ conſulant, dum omnem præclarè agendi merendique OCCASIONEM neglexerunt.

Quocirca, notandum in primis, in huius Schematis explicatione, METANOEAM illam, tametſi initio diximus eſſe OCCASIONIS comitem (vt cùm iſta præterire permiſſa fuerit, illa tum ad negligentię pœnam remaneat) non eſſe tamen ſuperuacaneam: ſed vim eam habere, vt ſaltem poſtliminio ad ſolatij alicuius portum, velut perfugium quoddam, poſſit adducere: quod hoc tractatu, in deſperationis antidotum, ſumus oſtenſuri. Metanœa ſalutaris.

Id, quod cum primis verum certumque eſt, diffiteri non licet: manet ſemper poſt neglectam bonę rei OCCASIONEM quædam pœnitentia: hoc eſt, dolor commiſſi erroris, imprudentiæ, & elapſæ (pręſertim ſi culpâ noſtrâ) opportunitatis. Vti dico, accidit; niſi quis ita emotæ ſit mentis, vt tantæ rei iacturam ne tanti quidem faciat; ſed, vtcumque cadat alea, ſuſque deque ferat: cum inſanis hoc hominum ge-

nus collocandum eſt; neque cum illis ratione agendum, vbi rationi non eſt locus.

Pœnitentiæ fructus.

Certum eſt inſuper, virtute iſtius METANOEAE, ſeu pœnitentiæ, elapſam OCCASIONEM tempúſve præteritum non poſſe vllo vmquam modo recuperari; vt fuſiùs in nono Schemate diſſeruimus: ſed æquè certum eſt etiam, vel poſſe per hunc commiſſi dolorem, ſi à vera pœnitudine vt virtute proficiſcatur, æquiualentem vel adeò etiam meliorem impetrari occaſionem; ſi non ad res æquè benè gerendas, certè ad damnum in æternæ gloriæ conquiſitione compenſandum.

Nam ſi magnus dolor neglecti temporis & ſalutis, iuuentutis malè conſumtæ, perditæque opportunitatis, magnum excitet in pœnitente caritatis ardorem, qui tam ſit efficax, vt per ipſum fiat quod dicit Sapiens; *Conſummatus in breui, expleuit tempora multa*; hauddubiè rem ſuam præclarè geſſerit.

Sap. 4.

Luc. 23. Latronis iuſti ſanctique præconium.

Sit inſtar omnium, exempli loco, iuſtus ille, ſanctus, & pius latro, qui poſt tot tamque prægnantes boni occaſiones neglectas, tot hactenus apprehenſas in malum, in extremo iam vitæ puncto conſtitutus, immò pro malis perpetratis in trabem ſuffixus, per veram pœnitentiam, præſentem in Saluatore ſalutis OCCASIONEM arripuit, qualem anteà fuerat expertus numquam: atque per ardentem amoris affectum doloriſque vehementiam, ita fides, ſpes, charitas, deuotio, patientia, conſtantia, zelus gloriæ Dei, animæque proximi naufragium patientis, in ipſo repentè ſimul exarſerunt, vt ex latrone non ſolùm iuſtus, præco verbi diuini, fidei profeſſor & confeſſor, verùm etiam (vt nonnulli veterum locuti ſunt) martyr effectus ſit.

Mortem ſiquidem, cui propter ſcelera fuerat adiudicatus, & eouſque traditus, pro Chriſti nomine & amore libenter ſuſtinens, facienſque in tribunali conſcientiæ ſuæ de neceſſitate virtutem, ex culpa meritum, & præmium ex reatu, iuſtum debitumque ſceleribus ſupplicium in martyrij palmam, ſalutari conſilio commutauit.

Lib. 1. *de anima & eius orig.*

D. Auguſtinus ſiquidem de admiranda latronis iſtius conuerſione ſic meminit: Tanto pondere appenſum eſt, tantumq; valuit

valuit apud eum qui hæc nouit appendere, quòd confeſſus eſt Dominum crucifixum; quantum ſi fuiſſet pro Domino crucifixus. Et poſt pauca eódem ſpectantia: Inuenta eſt (inquit) in eo menſura martyris, qui tunc in Chriſtum credidit, quando defecerunt, qui futuri erant martyres. Hucuſque D. Aurelius; & quidem ex ſententia S. Cypriani; qui ſic habet: Latrocinium damnationem meruerat & ſupplicium: ſed cor contritum pœnam mutauit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum. D. verò Hieronymus paucis cuncta complectens, ſic inquit: Latro crucem mutat paradiſo; & facit homicidij pœnam martyrium.

Cyp. Serm. de Cœna Dom.

Hieron. Epiſt. ad Paulinum de Inſtit. Monach.

Prudenter itaque ac laudabiliter omnes vtriuſque ſexus Athletę fecerunt, qui ad finem fermè vitę, diaboli fraudibus illecti, mille ſalutis & veræ gloriæ neglectis irriſiſq; occaſionibus, per deuia & abrupta vitiorum errauerant, & tandem vero cordis dolore tacti intrinſecus, ad tantam emolliti ſunt compunctionem, vt quò longior reſtaret via ad vitam & breuius ſpatium temporis, eò celeriùs maiorique contentione animi, per pœnitentię virtutumque ſemitam, properarent.

Conuerſionis veræ feruor.

Vnde non rarò quoque accidit (quod & in iter facientibus animaduertimus) vt qui ſeriùs inceperat, citiùs perueniret; ſeriuſq; intraret qui ceteris prior iter fuerat ingreſſus: impleretúrque illud Domini dictum: *Erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.* Sic in illa perutili fabellę commonitione videre eſt, limacem continuo ſuo progreſſu & perſeuerantia ſuperaſſe leporem in ſua velocitate nimiùm confidentem, ac proptereà de itinere faciendo nihil ſollicitum. Sed viatoris ſeriùs incipientis, & prę acceleratione citiùs peruenientis exemplum propoſito noſtro eſt accommodatius.

Matth. 20.

Primi nouiſſimi.

Schemat. 11. Cap. 2.

Remedia contra tentationes diaboli ad deſperationem incitantis.

Deſperatio fugienda.

CVm METANOEAE vſus in aliquod ſaltem occaſionis amiſſę ſolatium per doloris amaritudinem cedere deberet, diabolus potiùs conatur efficere, vt miſeris ſit offendiculo ad lapſum deſperationis, quàm vt eius mœroris compunctione ad dignos pœnitentiæ fructus, & ſpem veniæ, exſtimulentur.

Diaboli incitatio ad deſperationem.

Quæ cùm ita ſe habeant, operępretium me facturum confido, ſi hîc contra eiuſmodi deſperationis inſidias, contraq; dęmonis inſultus, debiliorem hanc arcis humanæ partem impetentis, pauca ſubiiciam. Hoc ſiquidem tentatori malorum curæ eſſe conſueuit, vt poſtquam in OCCASIONIS & officij debiti neglectum, aut in quemcumque alium errorem, minùs attentum impulerit; tunc vel aſtu callido dementet, vel auſu valido in deſperationem inducat impellátve ſi poteſt.

Aſtu quidem, curando præſertim, vt aliâ fraudulentâ occaſione ſubtruſâ ſoletur afflictum, & oborituram alioqui ex amiſſa Occaſione mœſtitiam, per aliud quiduis impediat: ne, ſi lapſus bonum dolere incipiat amiſſum, viam ſibi per pœnitentiam quærat ad reditum. Vt, ſi quis puero malum aureum è manibus fallacia quadam abiicere ſuadeat, aut deponere, & loco eius, ne id flendo requirat, vilius quoddam obtrudat, quo ſe interim eluſus oblectet.

Auſu verò vehementiori validoque impulſu non raro ad ſpem ſalutis abiiciendam aſſurgit, quando ita ſeductum ex omni parte terroribus obruit; ita muros mentis vndique concutit; vt inſtar Cain toto corpore & animo tremebundus, nihil prius habeat, quàm fugere à facie Dei, vagari per horrores inferni, quaſi eum & mors & ipſa gehenna perſequantur: nec vel tantillum quietis permittant, quo ſemel ſecum recogitet,

quid egerit, quídve ſibi agendum ſuperſit; quo loco ſint res ipſius, quidque iam ſit facto opus: ſed hoc vnum oculis animoq; obuerſetur, quod taliter conſtitutis, loco ſolatij præſentiſſimi, in vtramque inſuſurrat aurem malignus incentor;

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem. *Virg. 2. Æneid.*

Illaque ratiunculæ vmbrâ ita faſcinat dementatos, vt quotieſcumque ſperare volunt nituntúrque, toties ſe affligi percipiunt oppoſiti formidine: dum verò ſpem omnem abiiciunt, animumque deſpondent, illa tum conflictatione liberantur; viderurque ipſis id ſolaminis alicuius loco haberi poſſe, ſi ad arduam illam ſpei rupem non conentur aſſurgere. Sed interim aurichalcum eis pro auro ſupponitur, & pro cælo cœnum. *Aſtus diaboli in deſperatione quietem quandam effingẽtis.*

Quocirca, in errorem aliquem prolapſi, quacumque tandem neglecta benè merendi occaſione, dum ita ſe res habet, numquam debent animum deſpondere, ſed ſeriò animaduertere, quid reſtet faciendum. Si frangitur funis vel filum, nodo forti reparetur: ſi cadit equus vel homo, aſſurgat ſtatim: ſi penna, penicillum, vel ſcalpellum errarit, corrigatur extemplò: ſi perditum aliquid, quæratur: ſic, ſi peccaſti, lapſus es, reſurge per pœnitentiam. *Remedia contra deſperationem.*

Non enim fruſtrà à Chriſto propoſitum eſt villici illius exemplum in Euangelio, qui bona domini ſui diſſipauerat, iam iamque ad reddendam rationem & officij priuationem citatus, non obſtante rerum omnium inopia, præſentiſq; periculi inſtantia, animum tamen nequaquam ſibi deſpondendum putauit; ſed ſecum omnia maturè perpendens, tandem intulit; *Scio quid faciam.* Scimúſne & nos quid fecerit? quis neſcit? Fecit ſibi amicos ex bonis domini ſui, futuræque neceſſitati proſpexit. Laudatus fuit ab ipſomet hero propter ſolertiam: faciamus & nos quoque ſimiliter in bonum: nam ideò in exemplar nobis à clementiſſimo Domino adductus eſt, vt ad ſpem, animi erectionem, atque imitationem eius prouocaret. *Luc. 16.* *Villicus iniquitatis.*

Eumdem in finem oculos in illam de oue perdita parabolam coniiciamus. An paſtor amiſſam neglexit? an abiecturus erat ſi illa ſponte rediiſſet? Haudquaquam: tantum abeſt, vt etiam relictis nonagintanouem in deſerto, eam iuerit *Ouis perdita.*

quæſi-

quæſiturus; inuentamque non pugnis percuſſit, non vellicauit manibus, non calcibus feriit, non aſperiori voce increpauit, neque diris deuouit; ſed ſublatam in humeros gaudens exſultanſque reportauit. Ita etiam multoque magis Chriſtus, qui ſuam in peccatores benignitatem hoc penicillo ſolùm leuiter adumbrauit.

Luc. 15. Drachma amiſſa.

Et quid per mulierem illam Euangelicam, perditam drachmam requirentem, niſi diuinam miſericordiam, maternumq; Eccleſiæ in ſuos affectum, intelligamus; quò certò conſtet, numquam de reditu in gratiam dubitandum, nedum deſperandum, ad quam ipſemet perditum quærit, cuius eſt gratiam elargiri, & in ſinum miſericordiæ redeuntem recipere?

Ibidem. Filius perditus.

Sed quomodo non efficaciſſimum illud in filio prodigo bonitatis diuinæ argumentum pectus peccatoris emolliat, vt in veniæ ambitum inflectatur, cùm reliqua præcedentium parabolarum exempla, viuidæ huius reſipiſcentiæ & reditus in gratiam præuiam exhibuerint delineationem? Quis non, à paternis ædibus profugus, redeat? quis non, ab animo ſuo abductus peregrè, reuertatur? quis lapſus non aſſurgat in pedes? quis deſperabundus non ſe ſtatim in ſpem erigat? quis denique vel vita functus, non in momento ex monumento reſurgat, qui filium hunc profugum, prodigum, perditum, mortuum, in domum, in gratiam, ad vitam videat reducem, remque omnem vt meretur inſpiciat?

Geneſ. 37. Ioſeph venditus.

Quis dubitet quin gauiſus ſupra modum fuiſſet Iacob Patriarcha, ſi veſte Ioſephi ſanguinolentâ illatâ, ac illâ deſuper ab illo prolatâ ſententiâ; *Tunica filij mei eſt: fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph*; ſi quis, inquam, paulò pòſt verè viuentem valentemq; eius filium induxiſſet; hauddubiè, vt perditum ac mortuum ſibi denuò reſtitutum fuiſſet arbitratus. At infinitis modis maius in cælo coram angelis atque ipſo Deo patre noſtro eſt gaudium, in peccatoris ad eius gremium redeuntis conuerſione.

Schemat.

Schemat. II. Cap. 3.

De ſpe veniæ peccatorum, & immenſa Dei miſericordia.

EXemplum illud filij prodigi, (de quo ſuperiori Capite) tantæ mihi efficaciæ, maximè ſi mentem propinantis intendimus, eſſe videtur; vt nemo peccator tali fultus Atlante, de ſpe veniæ vllo modo poſſit dubitare; niſi faſcino diabolico ſibi oculos obduci permiſerit. Et quis id velit, qui ſapiat, qui ſpem, gratiam, & vitam velit? Quapropter, numquam ſpes abiicienda eſt, quæ, vt ſuprà meminimus, perditis omnibus reliquis, ſola ſuperſtes ſemper debet vt fida comes adhærere. Re ſine, nullus eris, dicit ille. Ego autem dico; SPE ſine, nullus eris. Conſolatio puſillanimium. *Schem. 9. cap. 8.*

Id cùm olim Alexander non ignoraret, quando, in Aſiam tranſmiſſurus, rem familiarem & reditus regios maxima ex parte inter amicos diuideret; à Perdicca (qui oblata recuſabat) rogatus; Tibi verò, Alexander, quid facis reliquum? Spem, inquit. Quo reſponſo declarauit, amiſſis omnibus, ſpem ſupereſſe, quæ animum abundè conſoletur. Idque iuxta Ciceronis ſententiam: Sola ſpes hominem in miſeriis conſolari ſolet. Ex quibus omnibus, ipſa natura dictante, perſpicimus, nullo vmquam caſu ſpem eſſe amandandam. Alexander ſpem ſibi ſeruabat ſolam. *Cicero in Catilinã.*

Non ſine cauſa redarguit Propheta regius, de ſe ita interrogantes: *Numquid qui dormit, non adiiciet vt reſurgat?* Reprehendit inimicos ſuos, ſic de ipſo malè habente inter ſe muſſitantes; quaſi qui in morbum aut peccatum incidiſſet, non poſſit conualeſcere, iterumque ſe à lapſu in pedes erigere. *Verbum* (inquit) *iniquum conſtituerunt aduerſum me*, dum hęc inter ſe ſuſurrabant, *& aduerſum me cogitabant mala mihi.* *Pſal. 40.*

Errare illos qui lapſis illudunt, ex omni ſacræ Scripturæ parte teſtatum & in cõfeſſo eſt. Dicant itaque, & ad rauim vſque vociferentur, licet: *Non eſt ſalus ipſi in Deo eius: Euge, euge; deuorabimus eum*; irruantque in hominem, *tamquam parieti* *Pſal. 3.* *Pſal. 6.*

g *incli-*

inclinato & maceriæ depulſæ; ſemper eſt tamen quod ſperet in Domino, & cum Dauide dicat: *Conclude aduerſus eos qui tribulant me: Dic animæ meæ; Salus tua ego ſum.* Et cum D. Auguſtino: Dic mihi per miſerationes tuas, Domine Deus meus, quid ſis mihi: *Dic animæ meæ; Salus tua ego ſum.* ſic dic vt audiam. Ecce, aures cordis mei ante te: Domine aperi eas; *& dic animæ meæ, Salus tua ego ſum.* Curram poſt vocem hanc, & apprehendam te. Ita D. Auguſtinus.

Pſal. 34.

Auguſt. Confeſſ. lib. 1. ca. 5.

Miſericordia Domini plena eſt terra.

Cumque miſericordia Domini plena ſit terra, mirum non eſt plena eſſe eâdem eloquij diuini volumina; meritoque proptereà benè ſperat peccator, quem commiſſi pœnitet: quia, quot habet ſuper miſericordia Dominici oris teſtimonia, tot habet ſuper ſpe ſua veritatis ſigilla. Et quia infinita ſunt huiuſmodi, paucula tantùm inſtar omnium proferemus.

Pſal. 90.

Quid clarius quídve efficacius ad collapſam ſpem omnem erigendam, quàm vox illa Domini accommodatiſſima rei ipſi quam hîc tractamus? *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum.* Si dixiſſet, Quoniam in me ſperabit; fortaſſe potuiſſet puſillanimis quiſpiam cogitare, licere quidem ſperare, promiſſamq; ſperantibus gratiam, ſed non niſi latenti quodam præſuppoſito, & quaſi ſub aliquo pacto cum ſpe illa requiſito, cuius vi & intuitu exauditio & venia promitteretur. Nunc autem, ipſammet ſpem cauſam exauditionis & liberationis ponit. *Quoniam,* inquit, *in me ſperauit*: hoc eſt, quandoquidem ſpem ſuam in me collocauit, *liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierũ replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* Ecce quot quantaq; bona ex ſpei radice benè iacta ſuccreſcant.

Spei meritum.

Miranda Dei induſtria, vt peccatorem in ſpem erigat.

Negari quoque non poteſt, quin ex hoc modo loquendi conſtet, Dominum ex abundantia cordis miſericordis hęc locutum fuiſſe; dum tam largo mellitorum verborum flumine viſus ſit planè afflictum hominem velle circumquaque concludere, vt nec velit nec poſſit elabi, quin per tam copioſę miſericordiæ fluenta, in ſinum gratiæ ſe prono ſecundoque fluxu recipiat: nihil ipſi ante conſpectum reliqui faciendo, quod poſſit

poſſit anxium, puſillanimem, vel de diuina iuſtitia nimis metuentem efficere: ſed tot tantiſque diuinæ pietatis, bonitatis, munificentiæ & miſerationis argumentis circumuallando, vt non poſſit non ex animo confidere, & certò ſibi iam perſuadere, Deum plus deſiderare ei ignoſcere, quàm quiſquam ſibi ipſe ignoſci deſideret. Neque ſolùm paratum iam, in gratiam recipere pœnitentem, ſed magna cum animi cupiditate & ſiti peroptare, vt reducem peccatorem recipiat, liberet, foueat, ſoletur, attollat in gloriam, vita æterna ac ſalute condecoret.

Sic enim quando rei caræ perditæ mœror excruciat, nihil non attentamus, paratique ſumus quiduis adhibere, vt illam recuperemus: eaque inuenta, geſtimus miris lætitiæ ſignis: teſtibus, paſtore reperta ouicula, ac muliere cùm drachmam ſuam inueniſſet. Ita D. Bernardus ad Robertum nepotem *Bern. epiſt. 1. ad Robertum nepotem ſeductum.* ſcribens, qui de ſuo monaſterio ad aliud, quorumdam ſeductione, receſſerat; totum cor ſuum effundit, vt ei perſuadeat reditum. Non cauſas, inquit, diſceſſionis, ſed moras cauſor regreſſionis. Veni tantùm, & pax erit: reuertere, & ſatis factum eſt. Redi, inquam, redi; & lætus cantabo: *Mortuus fuerat, & reuixit, perierat & inuentus eſt.* *Cant. 8.* Tantique fuit zeli hæc epiſtola ob fraternæ caritatis ardorem quo ſcripta fuit, vt dum ſub dio eam dictaret, pluuia oborta papyrum non madefecerit, dicique potuit, *Aquæ non potuerunt exſtinguere charitatem, neque flumina obruent eam.* Eiuſque miraculi intuitu, prima illa in ordine epiſtolarum S. Bernardi meritò eſt collocata.

Schemat. II. Cap. 4.

Ad ſpem veniæ, tamquam ad ſacram anchoram, peccatori confugiendum.

HViuſce ſpei fulcro nixus Propheta pſalmographus, quo *Spes ſacra anchora.* fit vt cadens homo poſſit à lapſu reſurgere, aſſerebat audacter; *Apud Dominum greſſus hominis dirigetur, & viam eius volet. Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit* *Pſal. 36.*

manum ſuam. Spe namque nitens, tam facilè ab humo conſurgit peccator, atque ſi manu diuina munitus ne collidatur, eadem quoque opitulante eripiatur & tollatur. Hocque erat
*Pſal.*143. quod alibi ipſe pro ſe lapſus orabat: *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.* Et ibidem: *Deus meus miſericordia mea, & refugium meum; ſuſceptor meus, & liberator meus; protector meus, & in ipſo ſperaui.*

Ad peccatoris pœnitentis erectionem ſpectat & illa Iſaiæ
Iſa. 42. Calamus quaſſatus. ſententia: *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non exſtinguet.* Hinc quoque indignabundus, cum illis Dominus expoſtulat, qui curam ouium ſuſtinentes, curam interim nullam gerunt, quia non habent: nihilque præſtant, quod ægris, errantibus, lapſis, læſíſve ouibus vſui eſſe poſſit aut ſolatio. Sic inquit: *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; & quod ægrotum, non ſanaſtis; quod confractum eſt, non alligaſtis; & quod abiectum eſt, non reduxiſtis; & quod perierat, non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Ecce ego requiram oues meas, & viſitabo eas. Quod perierat, requiram; & quod abiectum erat, reducam; & quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, conſolidabo*, &c.

Quódnam euidentius argumentum ineffabilis Dei benignitatis & miſericordiæ erga oues palantes, hoc eſt, peccatores? vt omnibus deploratis, SPES ſit vnica ſalutis anchora: hinc
*Heb.*6. quoque per anchoræ ſymbolum virtus iſta deſignatur. *Quam*, inquit Apoſtolus, *ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introÿt Ieſus.*

Denique, quia omnibus gratiæ dotibus dilapidatis, ſaltem naturæ genuina propenſio in homine viuente adhuc reliqua eſt; hinc Deus, naturæ auctor, ne quid omittat quod peccatoris poſſit ſeruire ſolatio, quò animum eius ad ſperandum permoueat; naturæ ipſius penetralia conſulit, eoque nos prouocat, vt prorſus ab eius bonitate conuicti, in ipſius quoque ſententiam deſcendamus, eique acquieſcamus.

*Iſa.*49. Sic igitur inquit: *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum,*

ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Ac ſi dicat, Non. Verumtamen, ne fortè producta aliqua matre crudeli, luxetur ſimilitudo, argumentumq; corruat; addit: *Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce, in manibus meis deſcripſi te.* Verè deſcripſit nos in manibus ſuis, non per modum loquendi tantùm, ſed per modum fodiendi & transfodiendi, characteribus procul legibilibus, indelebilibus, & penetrabilibus: vt minimo oculi ictu ſimus conſpicui, numquam eradi poſſimus, atque ita nec tradi obliuioni, quamdiu voluerimus. Et quia hæc ſtigmata noſtri amore ſuſcepit, dũ illa intuetur, noſtri miſeretur, quia immenſę in nos caritatis recordatur. Maternus affectus. Manibus Dei inſcripti ſumus.

Rectè ideò dicit ipſe apud Ezechielem: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & viuat.* Quid eſt igitur, quòd diaboli ſuggeſtione trepidemus, quaſi mortem noſtram & perniciem deſideret Dominus, cùm ex aduerſo voluntatis eius ſit, vt nemo pereat? *Ezech.* 18. & 33.

Quandoquidem verò nihil nobis nocere vel ad ſalutem obeſſe poſſit niſi ſola peccata, ad horum expiationem & veniam, ianuam aperit Deus ipſemet ampliſſimam, dum ſic, quaſi pro ſuæ magnæ miſericordiæ integritate zelans, proteſtatur: *Venite & arguite me.* Si quidquam in me inuenire poteſtis quod non omnimodam ſpondeat facilitatem & gratiam, re ipſa comprobate & conuincite: ſed nihil eiuſmodi reperietis. Quinimmò; *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: &, ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* *Iſa.* 1.

Hunc in finem, de lauacro efficaciſſimo pariter & acceſſu facillimo, toti prouidit Eccleſiæ, vt nulla foret dubitatio, mora, vel diffidentia, ablutionis acquirendæ. *In die illa* (tempore gratiæ, quod nunc eſt) *erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem* (in Eccleſia Chriſti de familia Dauid) *in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* Hoc eſt, in remiſſionem qualiumcumque peccatorum, & contaminationum animæ. Primùm quidem in ſacri fontis baptiſmate, deinde quoties opus eſt in Pœnitentiæ Sacramento, aliiſque modis infinitis, quibus diuinæ gratiæ participes reddimur. *Zach.* 13. Fons patens.

Schemat. 11. Cap. 5.

Chriſtus ſingularem ſemper habuit peccatorum rationem.

VT autem in maiorem diabolicæ machinationis deteſtationem, qua miſeros ad puſillanimitatem & deſperationem conatur adducere, pluris adhuc rem æſtimemus: videamus quanti illud ponderis apud nos meritò eſſe debeat, quòd Dominus noſter, animarum noſtrarum ſingularis amator, vt conditor & redemtor, cùm propter vniuerſum genus humanum, illum de cælis ad terras veniſſe certum ſit; toties tamen ſolorum peccatorum faciat mentionem, atque ſi reliquos intereà ſanctos, amicos ſuos, nihili faceret præ peccatoribus.

Animarũ amator Chriſtus.

Hinc dixit: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt.* Item: *Maius eſt gaudium coram angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Hinc etiam publicani & peccatores ad ipſum confluebant; quia videbant & ſentiebant, illum ipſorum quoque præſentia delectari. Ad hæc, adeò ipſi cum illis familiariter conueniebat, vt publico veroque teſtimonio (licet animo calumniandi prolato) amicus peccatorum & publicanorum vocaretur. Si quando ab aliquo peccatorum, Zachæo, Matthæo, vel alio quouis ſimili ad conuiuium vocabatur, eò eiuſdem farinæ homines cateruatim confluebant. Summa: ſuccini & magnetis inſtar, electique electri ad modum, miſeros deſolatoſque peccatores, vt & leopardus odore ſuo ceteras feras, ad ſe vi quadam latenti, exteriori affabilitate, & gratia vultus, attrahebat benignus & verè miſericors Dominus.

Matth.9. 10.&11. Luc.15.

Mar.2. Luc.5.7. 15.18.

Magnetis & ſuccini vis attractiua.

Eat nunc verſutus ille ſalutis noſtræ oſor euerſorque diabolus, & cuiquam hæc cogitanti perſuadeat, non eſſe ſibi ſpem in Chriſto collocandam. Nihil prius, nihil ita ad manum, nihilque æquè obuium eſſe debet homini in peccatum prolapſo, quàm per pœnitentiam ad fidum ſpei ſolatium, vt ad ſa-

cram anchoram confugere, & gratiam poſtulare: ad fontem miſericordiæ perenni ſcaturigine fluentem accurrere, & veræ pœnitentiæ latice languentem animam refocillare. Nihil econtrà tam abſurdum, tam alienum, tam abſonum, tamque ab omni ratione remotum eſſe debet homini, quantumlibet peccatori, quàm diffidentia, puſillanimitas, & veniæ ſalutíſve deſperatio. Nam non ſolùm *magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia eius*: non ſolùm *miſericordia Domini plena eſt terra*; verumetiam, *miſericordia eius ſuper omnia opera eius*; & ipſe Deus miſericordia noſtra. *Pſalm. 56. 32. &c.*

Siq; exemplo aliquo, ſanè efficaci, quæ dicta ſunt, cupimus conſignata, mentem ad illam mulierem in adulterio deprehenſam aduertamus. Adduxerant ſiquidem illam Chriſti hoſtes & æmuli, tamquam certiſſimo argumento exploraturi, vtram in partem magis propenderet, iuſtitiæne an verò clementiæ. Poſtquam autem illi conſcientiæ propriæ ſtimulis acti, pungente intus Chriſto, terga vertiſſent, ſeſeque extemplò ſubduxiſſent, Domino in terra ſcribente; ſtabat miſera illa ibi ſola, non tamen deſolata, præſente afflictorum conſolatore, ſed tamquam anchorâ aliquâ ſoliditati miſericordię Chriſti alligata. Cui Chriſtus; *Mulier, vbi ſunt, qui te accuſabant?* Ac ſi diceret ipſi, omnique puſillanimi, egentique ſolatio; Viden' vt ſe inſurgentium, perſequentium, & inſultantium caterua ſubducit, ſolo ſperatæ ſalutis indicio, quaſi ſtuppa, ignis odore percepto? Quid igitur futurum exiſtimes, ſi in ſpem firmam aſſurgas? ſi te ex animo ad veniæ & gratiæ fontem conuerteris? ſi te in eius ſinum, amplexum, vulnera, proieceris? *Ioan. 8.* Mulier in adulterio deprehenſa.

Itaque audiamus apertam abſolutamque miſericordiæ diuinæ ſententiam. *Nemo te condemnauit mulier? Nemo Domine.* Quis enim eſt qui condemnet, ſi Chriſtus Ieſus pacem concedat & veniam? Quis condemnet eum, cuius Filius Dei, futurus iudex viuorum & mortuorum, patrocinium ſuſcipit? Quis condemnet, quem ſalus ſeruat? *Nec ego te condemnabo; vade in pace.* *Pſal. 24. 16. 20.*

O Ieſu, verè Ieſus! *Tu es Deus ſaluator meus, qui ſaluos facis ſperantes in te*: *Super ſalutare tuum* igitur *exultabo vehementer*;

menter; neque vmquam recedam à te, quia tibi adhærere bonum eſt, & in miſericordia tua ſuperſperabo.

Schemat. 11. Cap. 6.

Carpi exemplo admiranda Chriſti in peccatores benignitas declaratur.

NVnc Carpi epiſcopi exemplo, totum hunc de vitanda deſperatione, Chriſtique immenſa miſericordia ſpe complectenda tractatulum, veluti ſigillo obſignemus, quia Chriſti quoque ſanguine ſignatus atque vulneribus actus ille munitus fuit.

Dionyſ. de Carpo. Carpus itaque Pauli Apoſtoli diſcipulus (ſicuti de illo Dionyſius ad Themophilum ſcribens teſtatus eſt) cùm fidelem quemdam ab infideli ſubuerſum cerneret, præ dolore languere cœpit. Cumque vt conuerteretur orare debuiſſet, vt ambo è vita diſcederent optauit; veritus, ne alterius ſuaſu & alterius exemplo alij corrumperentur. Vidit autem in quiete illos in fornacem ardentem à ſpiritibus immundis trahi violenterq́; impelli. Et cùm eo ſpectaculo delectari cœpiſſet, adſpexit Chriſtum cum angelis è cælo delabi in terram, ipſoſque ab ignis periculo erepturum accedere: à quo & audiuit, Iterùm paratum ſe, PRO PECCATORIBVS PATI. Hac viſione admonitus, pro vtriuſque conuerſione Domino ſupplicauit: & quos anteà mori concupierat, demum in fide viuificatos accepit.

Sítne aliquid in rerum natura, quod nos fortiùs ab omni deſperationis anguſtia reuocet, fortiuſque Chriſti miſericordiæ per ſpem & caritatem adglutinet, quàm quòd tam euidenti ſtupendoq́; miraculo miſericors Dominus dixerit, actúque demonſtrarit, ſe paratum potiùs pro peccatore denuò mori, quàm vt pereat, animúmve deſpondeat? Licet igitur vniuerſos dolos ac tentamenta diabolus admoueat, numquam me à ſpe miſericordiæ dimouebit.

Non ſine cauſa quoque arcum ſine telo poſuit in nubibus Dominus, vt notat Ambroſius exponens ea Dei verba, *Ponam*

arcum meum in nubibus cæli. Ideò dicit, Arcum meum ponam in nube, non ſagittam: Arcus enim inſtrumentum iaculandæ ſagittæ eſt. Itaque non ipſe arcus vulnerat, ſed ſagitta. Et ideò Dominus in nubibus arcum magis quàm ſagittam ponit, id eſt, non illud quod vulneret, ſed quod habeat terroris indicium, vulneris effectum habere non ſoleat. Ita proinde Diuus Ambroſius. *Ambroſ. lib. de Noe & arca, cap. 72.*

Et verè, ex eo conſtat, minari illum magis vt à malo deterreat, quàm intendere vt feriat. Hîc etenim tempus eſt miſerendi, & omnibus modis peccatores ad veniam permouendi & alliciendi, potiùs quàm percellendi ad ſupplicium. Fugiendum itaque hîc peccatori à facie iræ ad faciem gratiæ; à iuſtitia ad miſericordiam, ab abyſſo peccatorum ad abyſſum miſerationum; à Deo irato ad Deum placatum. Et quamdiu ſpiratur, ſperandum ſine vlla ambiguitate, cum vera peccatorum deteſtatione; neque dubium vllum eſt de venia accipienda, ſi nihil dubitetur pro expetenda; neque alius eſt terminus impertiendæ miſericordiæ, quàm quem nos ipſi ponimus requirendæ. Arcus Domini ſine telo, miſericordiæ indicio.

In iudicij verò die, diſtrictus ipſe iudex ſagitta ſuper arcum iſtum erit, qualis nobis in nubibus venturus deſcribitur: ſagitta, inquam, erit, quæ vt ſagitta Ionathæ retrorſum non redibit: *2. Reg. 1.* ſed quò tardiùs lento inflexu attracta fuerit per miſericordiam minitantem, eò acriùs deſtinato iactu in commeritum deferetur.

Iſtud ſolidè, vt omnia, D. Auguſtinus: Propterea (inquit) ſe iudex venturum minatur, vt non inueniat quos puniat cùm venerit. Propterea illud cantant Prophetæ, vt corrigamur. Si damnare vellet, taceret: nemo enim volens ferire, dicit, Obſerua. Totum, fratres, quod audimus per Scripturas, vox eſt Dei dicentis; Obſerua. Et totum quod patimur tribulationis in hac vita, flagellum Dei eſt, corrigere volentis, ne damnet in fine. *Auguſtin. Serm. 109. de temp.*

Non malè his congruit quod in Piſidis Coſmurgia legimus, vbi Deum malo ſagittario comparat, qui aliam in partem collineat, & in aliam iaculum emittit. Quia Deus arcum *Coſmurgia Piſid. lib. 1. c. 24.* Deus nunc malo ſagittario cõparatur.

quidem indignationis ſuæ quandoque tendit, & peccatorem telo ferire minatur; nequaquam tamen verè vt feriat lædátve; ſed dumtaxat, vt timore affectum ad melioris vitæ rationem exſtimulet, & à rigido ratoque illius teli iactu præmuniat, quod in quemcumque in die illa vibrabitur, irrefragabiliter feriet, & morti æternæ tradet. Miſericordia itaque Domini præueniat nos.

Serm. 122. de temp. *Chryſoſt. Serm.*

Porrò ex decurſis hactenus totius huius Schematis Capitibus, conſtat certiſſimò, illud eſſe concludendum, quod paucis clariſque verbis dicit Auguſtinus; Miſericordiam Domini deſperationi eſſe opponendam. Nam iuxta Chryſoſtomum: Miſericordia apud Deum, pelagus eſt.

Schemat. 11. Cap. 7.

Angelo duce magna eſt reſipiſcentiæ vtilitas.

Angeli boni tutela ad extremum vſque diſcrimen.

AD ſpem in lapſo magis magiſque ſuſcitandam veramq; prioris errati pœnitudinem amplexandam, ſingulare ſtudium adhibet Angelus, vnicuique cuſtos à Deo conſignatus. Non fruſtrà idcircò in præſenti Schemate, ſic ille ſpiritum malignum abſterrendo, eiuſque machinationes diſſipando, alloquitur:

Hinc hinc, fœda lues Erebi, fera peſſima, ad Orcum: A
Non hæc tam furuis debetur faucibus eſca.

Quare, non ſatis pro officij ſui dignitate cenſendi ſunt facere, qui Angeli ſui tutelaris exiguam admodum habent rationem. Nam non facilè quis ſibi perſuadeat, quoties protectorum iſtorum operâ & patrocinio, tum à malis liberemur, tum adiuuemur in bonis. Dolendum, tam parui rem tantam fieri apud pleroſque: ea fortè ſola de cauſa, quòd ſpiritus iſti corporeis non obſeruantur aſpectibus, non innoteſcunt alloquio, neque vllo familiaritatis indicio percipiuntur. Quaſi verò mens ipſa non habeat ſuos oculos, quibus illa quæ fidei ſunt, certiùs quàm externa corporeis contempletur.

O mi-

O miſeras hominum mentes! ô pectora cæca! *Lucret. lib.2.*

De multiplici angelorum bonorum officio, noſtraque viciſſim in eos obſeruantia, prolixè egimus in Veridico Chriſtiano. *Cap.40.*

B Adoleſcentes è catena diaboli præſentique gehennæ periculo liberati, gratias agunt tutori cæleſti, ſuaque comprecatione dilucidè oſtendunt, quod ab initio huius Schematis monuimus: Ad quid nimirum, poſt neglectam OCCASIONEM temporiſque opportunitatem, METANOEA veraq; errati pœnitentia poſſit debeatque conducere. vt ſcilicet eius operâ, quantum fieri poteſt, commiſſum damnum ſarciatur. Sic enim & arbor, quæ diu ſterilis & infrugifera fuerit, circumfoditur, fimo impinguatur, talibuſque ſtudiis, quantum in hominis eſt facultate, fructus inſperatus elicitur. Ad hoc igitur METANOEA, vt ſit neglectæ OCCASIONIS opportunæ pœnitentia & dolor, noua promerendi occaſio per reſipiſcentiam. Exemplo vno atque altero huc allato, finem huic Schemati imponemus.

Duo iuuenes Ioannem Apoſtolum ſecuti, cùm deinde angi animo cœpiſſent, quòd facultates ſuas in pauperum vſus erogaſſent, nec iam Apoſtolo meliora certioraque ſperare iubenti acquieſcerent: (ecce occaſionis ſaluberrimæ, vmbra eludente, contemtum) virgis in aurum mutatis & lapillis in gemmas, plus etiam recipiunt, quàm reliquerant. Mox cuiuſdam, cui Stacteo nomen erat, à morte ſuſcitati verbis credentes, quibus ille ſe vidiſſe affirmabat, quàm ingentem gloriam in cælo ſibi paratam ipſi amiſiſſent, & ad quantam infelicitatem deuoluendi eſſent, quòd retroceſſerint. (Iam reſipiſcentiam per METANOEAM videamus.) Rurſum ad Apoſtolum reuerſi, reſtituto quidquid ab eo acceperant, paupertatem in vita coluêre, vt potiùs poſt obitum diuites fierent. Reuocauerat eos diabolus ad priſtinæ conuerſationis vomitum: ſed Apoſtoli precibus, & Dei in primis miſericordi diſpenſatione factum eſt, vt deprehenſis inimici fraudibus ac dolis, quod imprudentiùs repetierant, conſtantiùs refutarent; quamque ſalutis OCCASIONEM maleſani contemſerant, conſultò ſaltem poſtliminio, vt poterant, reſarcirent. Sicque in

Marulus lib.6.c.14. Ex Abdia. Ioannes Euang. & duo iuuenes.

tempore reſipiſcentes, gloriam illam, quam ſibi in cælo fuiſſe paratam audierant, iam amiſſam recuperarunt.

Gregor. Dialog. li.2. ca.25. Monachus abiens mirabiliter reuerſus.

Alterum priori conueniens ex D. Gregorio ſubiiciemus. Quidam monachus S. Benedicti, mobilitati mentis deditus erat, & permanere in monaſterio nolebat. Cumque eum vir Dei aſſiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipſe verò nullo modo conſentiret in congregatione perſiſtere, atque importunis precibus, vt relaxaretur innueret; quadam die idem venerabilis pater nimietatis eius tædio affectus, iratus, iuſſit vt diſcederet. (Ecce ſpretam fugatamque ſalutis OCCASIONEM; audiamus ex METANOEA reſipiſcentiam.) Qui mox vt monaſterium exiit, contra ſe aſſiſtere aperto ore draconem in itinere inuenit. Cumq; eum idem draco qui apparuerat deuorare vellet, cœpit ipſe tremens & palpitans magnis vocibus clamare, dicens; Succurrite, ſuccurrite, quia draco iſte me deuorare vult. Currentes autem fratres draconem minimè viderunt, ſed trementem atque palpitantem monachum ad monaſterium reduxerunt. Qui ſtatim promiſit, numquam ſe eſſe à monaſterio receſſurum: atque ex hora eadem in ſua promiſſione permanſit.

Conuerſio fratrum S. Bernardi. *In vita S. Bernar. cap.3.* *Iſa.28.*

Tertium non malè cum duobus prioribus cum reſipiſcentiæ per Metanœam propoſito quadrabit. Cùm Bernardus fratres ſuos & quoſcumque poterat relicturus ſeculum ſecum diuino impulſus ſpiritu traheret, Gerardus frater eius ceteris vt ſibi videbatur prudentior non acquieſcebat. Tum Bernardus: Scio (inquit) ſcio: *Sola vexatio intellectum dabit auditui*: digitumque lateri eius apponens, Veniet, inquit, dies, & citò veniet, cùm lancea lateri huic infixa, peruium iter ad cor tuum faciet conſilio ſalutis tuæ quod aſpernaris. Sic dictum ſicque factum eſt. Paulò pòſt in bello, eò loci lancea vulneratus, captus eſt; mortemque quaſi præſentem metuens, clamabat: Monachus ſum, monachus ſum Ciſtercienſis. Sciebam, inquit Bernardus, quòd durum ei eſſet contra ſtimulum calcitrare. Itaque OCCASIONE priùs fœdè reiecta, METANOEA ei reſipiſcentiam ſalutarem adduxit, & monachus factus eſt.

Poſtre-

Poſtremo Schematis verſu, ad bona reſipiſcentium iuuenum vota ac preces, quibus eius patrocinium deprecantur, ſubiungit Angelus gratam cataſtrophen, dicens:

A *Faxo; modò faciant præmiſſa pericula cautos.*

ORATIO XI.

Ad ſpem veniæ concipiendam, obtinendamque Dei miſericordiam.

DEus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas, adauge noſtram in tua bonitate fiduciam, & omnem puſillanimitatis à nobis expelle formidinem; vt vera peccatorum pœnitudine ducti, ad veniam & gratiam miſericordiſſimæ tuæ pietatis accedamus; ac ſpe ſalutis æternæ gaudentes, tibi quod vitæ eſt reliquum puris mentibus impendamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.



A. *O pietas ſuprema, et inenarrabile donum*
Lætitiæ! Deus alme, tuo quot fonte redundant
Gaudia! FELICES, QVIBVS EST OCCASIO CORDI!
B. *Tempus ijt; dum vixi* OCCASIO *ſpreta receſſit:*
Do nunc ſtultitiæ poenas miſeranda perennes.
C. *Hei quanti conſtas* OCCASIO *perdita; quanti!*
D. *Vana canis: duplicant ſemper lamenta dolores.*
E. *Me miſeram, quantas parit hæc amentia clades!*
Propterea horribiles infelix incolo flammas.
F. *Sero Phryges ſapiunt:* POST EST OCCASIO CALVA.

Schematis 12. explicatio;

Quo captata neglectaq́; OCCASIONIS *diſpares exitus contrario prorſus ſpectaculo exprimuntur.*

Schemat. 12. Cap. 1.

De gloria eorum qui OCCASIONEM *ſuo tempore ſunt amplexi.*

QVEMADMODVM hoc toto Typi decurſu, per vndecim iam exhibita Schemata, in decem adoleſcentibus contrariam planè agendi rationem animaduertimus; adeò, vt quàm indignis modis TEMPVS, OCCASIONEM, DIVINIQVE NVMINIS OPEM, priores quinque exceperunt, tam gratantibus animis alij hæc omnia ſunt complexi; ita poſtremo hoc Schemate diſpares captatæ neglectæque OCCASIONIS exitus ſpectandi exhibentur.

Sententiam illam Sapientis, commeritum vtriſque præ-
mium attribuentem, hîc cernimus adimpletam: *Deludet* Prou. 3.
Dominus illuſores, & manſuetis dabit gratiam. Præſentia tan-
tùm intuentes ſtulti, & ductum vecordiæ ſequentes, in riſum
& ludum rapiunt optima ac pretioſiſſima quæque: nec reco-
gitant quod dicit Dominus: (vt ſuprà meminimus) *Deſpexi-* Prou. 1.
*ſtis omne conſilium meum: ego quoque in interitu veſtro ridebo:
& ſubſannabo, cùm vobis id quod timebatis euenerit. Comedent
igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſq́; conſiliis ſaturabuntur. Man-
ſuetis dabit gratiam:* & quidquid per gratiæ præſidium poteſt
obtineri. Iuxta menſuram gratiæ hîc humiliter & ſtudioſè
adim-

adimpletæ, erit & in cælis menſura gloriæ, quæ hominem ſupremo quoque angelorum choro queat inſerere. Hanc gloriam conſequuntur, qui OCCASIONEM gratiæ priùs fuerint ſtudioſè complexi.

Sequitur autem in ſuprà memorata euentus vtriuſque ſententia, quam modò diſtinctâ vtriuſque portione promeritâ
Prou.3. reddit clariorem. *Gloriam* (inquit) *ſapientes poßidebunt: ſtultorum exultatio, ignominia.* Vt prudentiores ſiquidem quinque, ſapienter & prouidè quid ſuo quoque tempore facto opus obſeruantes, id nulla ratione putarunt negligendum; ita gloriam, quantum apud homines laudabile eſt, ſunt conſecuti, & quod caput eſt, gloriam ſtabili poſſeſſione in cælis obtinuerunt ſempiternam. Imprudentes verò, vano ſuo ſenſui ſeruientes, ſeria & ſolida cuncta riſui habentes, atque ad deprauati animi voluptatem omnibus abutentes, nunc pro tam inſana in rebus malis exultatione, ignominiam ferunt immortalem.

Gloriæ cæleſtis magnitudo. Sed his in commune dictis, nunc de ſupernorum felicitate primùm, tunc de miſerando caſu perditorum, ſpeciatim aliquid attexamus. Meritò illud D. Pauli elogium primo lo-
1.Cor.2. co recenſebimus: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum.* Etiamſi omnia quæ ad viſum maximè oblectandum pertinent, & quæcumque aures demulcere ſolent, quæque cor humanum in omni genere pulchri, vtilis, grati, pretioſi & boni, ſibi poſſit effingere, in vnum eſſent conflata; nihil tamen vniuerſa conficerent, ad opes, ſplendorem, felicitatem, & gloriam beatorum adumbrandam. Augent autem lætitiam hanc & felicitatem ſecuritas illa & æternitas, qua certi ſunt, nulla vmquam ratione beatitudinem illam ſibi adimendam; vel in
Eccli. 11. minima ſui parte imminuendam; iuxta illud Sapientis: *Datio Dei permanet iuſtis: & profectus illius, ſucceſſus habebit in æternum.*

Nullo propterea modo dubitandum, quin ita futurum ſit cum illis, qui in eam ſunt beatitudinis abundantiam admit-
3. Reg. 10. Regina Saba. tendi, ſicut Reginæ Saba legimus accidiſſe. *Audita ſiquidem fama*

fama Salomonis in nomine Domini, OCCASIONEM tam magnificam & ſe honeſtè oblectandi in tanti regis admirandis, & proficiendi in ſapientia, ac præclarè de magnifico monarcha merendi, non exiſtimauit negligendam; eam igitur arripuit, atque ad illum venit. *Videns autem omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſteſq́ eorum, & pincernas, & holocauſta quæ offerebat in domo Domini; non habebat vltrà ſpiritum: dixitq́ ad regem; Verus eſt ſermo quem audiui in terra mea, ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nunciata non fuerit: maior eſt ſapientia & opera tua, quàm rumor quem audiui. Beati viri tui, & beati ſerui tui hi, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.*

Ecce vt ſingula in hac Regina videmus expreſſa, quæ toto tractatu commendata cupiuimus! Occaſionis ſcilicet oblatæ comprehenſionem, ſtudium ardens proſequendi, ſumtus, laborem, perſeuerantiamque ad intentum finem neceſſariam. Poſt quæ ſequitur gratulatio ex fructu occaſionis obſeruatæ promanans. Vt, tametſi illa Ieroſolymam veniſſet multo cum comitatu & diuitiis, cum camelis portantibus aromata & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas; tamen nihili fecit omnia quæ attulit & ſuſtinuit, quæque fama nunciante inaudierat, præ his quæ re ipſa deprehendit, quando in conſpectum Salomonis admiſſa eſt. Ita certum quoque, non ſolum quod ſuprà ex Paulo didicimus, *Nec oculus vidit*, &c. ſed etiam quod idem alibi aſſeuerat: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et, *Omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Rom. 8. Phil. 3.

Schemat. 12. Cap. 2.

Qui ſalutis OCCASIONEM *obſeruauerit, vt qui legitimè certauerit, coronam gloriæ eſt accepturus.*

Corona gloriæ cedit certantibus legitimè.

VT autem alio adhuc Scripturæ loco demonſtremus, cæleſtis gloriæ coronam eos tantùm manere, qui temporis, gratiæ, & occaſionis à Deo conceſſæ, magnam habuerint rationem: audiamus ipſummet Apoſtolum id de ſe teſtantem:
2. Tim. 4. *Ego*, inquit, *iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Mortem itaque meditatur inſtantem: audiamus quî ſe geſſerit in vita, quidque pro ratione anteactorum exſpectet. *Bonum certamen certaui:* (ergo tempus aptum, locum accommodum, & omnimodam rei probè gerendæ OCCASIONEM, quod rei militaris peritorum eſt, exactè ſeruaſti.) *Curſum conſummaui:* (igitur, quod & in hoc certamine fuit obſeruatu neceſſarium, non neglexiſti.) *Fidem ſeruaui:* (per ſingula igitur momenta temporis, perque omnes actuum tuorum gradus, fidei datæ & acceptæ memorem te eſſe oportuit, ne vllo tempore vel in vlla re tibi quidquam à fide diſcederet.) Exactiſſimus fuiſti (nouimus) OCCASIONIS ad omne bonum obſeruator. Hinc ſedulò curaſti, ne in vacuum curreres, ne aërem verberares, ne in vllo deficeres, plus omnibus laborare ſategiſti, vt omnibus omnia factus, in nullo tibi tuoque in alios officio deeſſes, vbicumque daretur OCCASIO.

At, quis laborum iſtorum, tantæque ſedulitatis & fidei tam conſtantis exitus? Audio. *In reliquo, repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ; quam reddet mihi Dominus in illa die* (retributionis ſcilicet) *iuſtus iudex.* Sed, an tibi tantùm? *Non ſolùm autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius.*

Dilectio igitur aduentus eius, cauſa erit gloriæ adipiſcendæ omnibus qui non neglexerint: qui aduentum Chriſti in carnem pro magno beneficio miſeris mortalibus conceſſo tenuerint, qui illum per fidem toto corde venientem ſuſceperint,

rint, eique vt gratiſſimo animæ ſuæ hoſpiti magna ſeruiuerint caritate; quique venturo ad iudicium diligenti bonæ vitæ præparatione occurrerint; nihil non fecerint eorum quæ ex mente eius eſſe præſciuerunt.

Atque ob id, (iuxta eiuſdem Apoſtoli monita, ad ſui imitationem aliis data, nobiſque ſcripto in eumdem finem communicata) qui non defecerint benefacientes, bonam militiam militauerint, fidem bonam bonamque conſcientiam habuerint, ſeipſos caſtos cuſtodierint, iuſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, & manſuetudinem ſectati fuerint, qui bonum fidei certamen certauerint, & ſicut boni milites Chriſti laborauerint; præmium omnes æternæ glorię, vt boni Occasionis obſeruatores, & vt temporis opportuni circa multiplicem Domini aduentum curatores, in cælis conſequentur. Bonum certamen.

Dat autem idem Gentium doctor vnam omnium rationem. Nam, inquit, *qui certat in agone, non coronabitur niſi legitimè certauerit.* Lex verò cuiuſque certaminis eſt, vt ſtatum tempus, locus decretus, genus armorum præſcriptum, perſonæ conditio, & certus denique in omnibus modus, ac legitima ratio ſeruetur: alioqui fruſtrà ad coronam anhelabit, fruſtrà amicorum fauore, blanditiis, alióve modo eam ſibi quis polliceatur. 2. Tim. 2. Lex præſcripta certamini.

Id ſatis euidenter ſuis Apoſtolis innuit Dominus, quum, quòd cognati eſſent, quòd mater pro ipſis intercederet, conſeſſus illius honorifici gloriam ambirent: eiſque reſpondit; *Neſcitis quid petatis*: neque qua via ad id quod petitis oporteat peruenire. Viam verò modumque ſubindicat: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Ac ſi dicat; Corona gloriæ pro præmio eſt propoſita, non eam petentibus, non aliquo flexu ambientibus, ſed decertaturis, qui calicem paſſionis meæ mecum ſunt bibituri. Alioqui, *non eſt meum* (neque alterius) *dare vobis*, vel cuiuis alij, quocumque modo, ſed merenti. Oportet enim primùm pati, & ita intrare in gloriam. Matth. 20.

Hoc ipſum eſt quod Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi expreſsè commemorat: *Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus* Apoc. 2.

dicat Eccleſiis. Præconis voce promulgatur edictum, & lex certaminis obeundi. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in medio paradiſi Dei mei.* Item: *Eſto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ; & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius. Ecce, venio citò: tene quod habes; vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur ampliùs; & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum. Ecce, ſto ad oſtium & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo; ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius. Qui vicerit, poſsidebit hæc; & ero illi Deus; & ille erit mihi filius.*

Apoc. 3. *Apoc. 21.*

Si ad pręcedentia mentem aduerterimus, videbimus, in ſingulis ferè dictionibus, vel OCCASIONIS ſalutaris arripiendæ ſtudium, certantium more commendari, vel præmium obſeruatæ proponi. Et quare putamus toties illud inculcari: *Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſiis*; (quod ad ſingula illa in Apocalypſi repetitur) niſi, quia ſeriò eſt ad certaminis legem attendendum omnibus iis, qui ad promiſſa victoribus præmia adſpirant?

Leges cuiuſque certaminis proponuntur.

Quandocumque enim eiuſmodi certamina proponuntur, præmia quoque & leges certaminis euulgantur: immò magna cum amplitudine inſpiciendiq; facultate oculis omnium conſpicienda exhibentur. Et quid, quæſo, hoc aliud eſt, quàm rerum omnium benè ac legitimè gerendarum, debitam OCCASIONEM & opportunitatem ſedulò obſeruare? Alioqui (vt cum Petro Rauennate loquar) rudis miles ad aciem concurrit, qui cauſam belli neſcit, & ius bellatoris ignorat.

Petrus Rauennas.

Schemat.

Schemat. 12. Cap. 3.

Splendor gloriæ eorum, qui OCCASIONEM *coluerint, exemplis colluſtratur.*

EX prædictis verum eſſe cognoſcimus quod dicit Gregorius: Quærenda eſt gloria Dei per vias eius. Nam quomodo alioqui eò perueniatur, ſi via quæ eò ducit non teneatur? Ita quod & S. Bernardus: Ad æternitatis gloriam acquirendam, nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet. Vnde ſequitur, nullam neque temporis neque loci neque rerum occurrentium OCCASIONEM, quæ ad rem faciat, eſſe omittendam. At nunc aliquot exempla felicis exitus OCCASIONIS benè habitæ ſubnectamus; malorum poſteà occaſiones, earumque miſerandum exitum, vt & occaſionem bonam negligentium pœnas explicaturi.

Gregor. Moral. lib. 16.

Bern. in Doct.

Mirum, quàm lucida benè habitæ Occaſionis meritæque per id gloriæ teſtimonia in D. Gregorio, vita adhuc comite, præluxerint; tum quando in ſpelunca latens, igneæ columnæ de cælo pendentis indicio proditus, ſummus Pontifex fuit conſecratus; tum quando Chriſtum ipſum, pauperis habitu, dignus fuit excipere hoſpitio: cùm & angeli ſacris operanti reſponderunt; & Spiritus ſanctus in capite ſcribentis, ſub columbæ ſpecie, viſus eſt non rarò quieſcere.

Exempla reuelatæ beatitudinis.

Quid de S. Benedicto dicemus? qui poſt omnimodam ſalutis perfectioniſque captatam opportunitatem, è vita diſcedens, ab angelis per viam lucidiſſimam mirè ornatam in cælos deductus eſt, cum hoc elogio: Hæc eſt via, per quam dilectus Deo Benedictus in cælum aſcendit. Scholaſticam eius ſororem meritò adiungamus, cuius ipſe animam, in forma columbæ, ad cæleſtia regna vidit prouolantem. S. Agnes, virginum choro comitata, parentibus in veſtitu deaurato per viſum apparens, dixit: Congaudete mecum, & congratulamini; quia cum his omnibus lucidas ſedes accepi. Sed à D. Hie-

ronymo incipiamus ſtudioſam Occaſionis obſeruationem in ſanctis animaduertere.

Quomodo S. Hieronymus occaſionem obſeruarit.

Præter communem enim omnibus ſanctis occaſionem, qua gratiam Dei non in vacuum accepit, peculiares aliquot occaſionis bonæ obſeruationes in ipſo eluxerunt. In primis, quòd à pueris ſemper virorum ſanctorum & eruditorum conſuetudinem ſit ſectatus; quòd in Galliam, Græciam, aliaſque nomine ſapientiæ celebres regiones peragrarit; quòd loca ſancta religionis ergò luſtrauerit; quòd ad meliorem S. Scripturæ intelligentiam, eruditiſſimos Hebræorum in illa Palęſtinæ peregrinatione ſibi adhibuerit; quòd ſolitudinem, vt cæleſtis beatitudinis contemplationi magis fauentem, ſæculi pompæ prætulerit; & quaſi aſſiduus Occasionis benè merendi cuſtos, totus ſaluti ſuæ ſuique proximi vacarit.

S. Paulus eremita quantus Occaſionis ſectator.

Quàm admiranda prima Occasio benè ominati ſeceſſus in eremum ſancti Pauli primi eremitæ! Cùm enim quindecim eſſet annorum, orbatus parentibus, declinandæ cauſa perſecutionis Decij & Valeriani, Deoque liberiùs ſeruiendi deſiderio, in eremi ſpeluncam ſe recepit; vbi loci tandem Occasione inuitatus ſedem figere ſtatuit, quod & fecit. Adeò vt palma ei victum veſtitumque præbente, ibidem ad centeſimum & decimum tertium annum perdurarit. Quo tempore ab Antonio nonagenario Dei admonitu inuiſitur. Poſt mutuos complexus, epulum diuinum, cæleſteſque collaudationes, amandato pro pallio Athanaſij Antonio, inter orandum emiſit Paulus debitum cælo ſpiritum. Antonius in regreſſu vidit beatam illam animam inter choros angelorum, inter prophetarum & Apoſtolorũ cœtus, in cęlum aſcendere.

Occasionis verò tam ſingulari Dei munere primùm oblatæ tam ſedulam habuit rationem, vt numquam toto vitæ decurſu putauerit dimittęndam; quin potiùs, quidquid ſucceſſu temporis accederet, quod eam ex parte aliqua foueret, augeret, aut confirmaret; id ita totum in lucro poſuit, vt ſummas diuitias exiſtimarit, cum talento ſemel accepto, maiori ſemper cum fœnore negotiari; dum veniret, qui vt illi idipſum contulerat, ita copioſam redderet pro labore mercedem: quod

quod haud dubiis micantium luminum, teſtium oculatorum, miraculorumque argumentis, in æterna gloria eſt conſecutus.

Quis irradiantem ſancti Franciſci ſplendorem ſanctitatis in terris, & gloriæ in cælis, ſatis admiretur? vt quem in mortali adhuc corpuſculo præfulgida vulnerum Chriſti ſtigmata colluſtrarint, & ex morientis ore, ſtellæ micantis inſtar, ſpiritus glorioſus viſus ſit emigrare, magnaque cum luce in cælos aſcendere. S. Franciſcus qualiter effulſerit.

At, quæ, obſecro, tantæ ſanctimoniæ, tam raræ illuſtrationis OCCASIO? quomodo oborta? quo pacto excepta habitaque? Mendicum quemdam in Chriſti nomine ſtipem petentem, cùm aliquando vacuum remiſiſſet, repentè eo facto commotus, largè ei miſericordiam impertiuit: & ex eo die Deo promiſit, ſe nemini vmquam poſcenti eleemoſynam negaturum. Quomodo occaſionē amplexus ſit.

An hic finis? Nihílne aliud augendæ tam benè inchoatæ Occaſioni accidit OPPORTVNE? Pater indignatus, eum ſiſtit Epiſcopo, vt bonis cedat paternis. Quid ille hac noua occaſione oblata? Abiectis etiam veſtibus, patri conceſſit omnia; illud ſubiungens, ſibi in poſterum maiorem facultatem fore dicendi; *Pater noſter, qui es in cælis.*

Sed nec hicdum ſtetit OCCASIONIS proficiendi in melius obſeruatio. Cùm namque illud quodam die in templo ex Euangelio audiſſet: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta,* &c. eam ſibi regulam ſeruandam propoſuit: quam per OCCASIONEM ſibi à Deo dari cognoſcebat. Quid mirum itaque, illum inter ſidera ſtellæ eminentioris fulgore ſplendeſcere, qui tam rarus inter mortales omnis bonæ OCCASIONIS conſiderator exſtitit & obſeruator?

Schemat. 12. Cap. 4.

In D. Auguſtino, ac Maria Magdalena, docetur, quomodo & ipſi OCCASIONEM *obſeruarint; ideoque gloria ſint coronati: & quomodo eos imitemur.*

S. Auguſtinus quî ſe erga Occaſionem habuerit.

QVidni & præclarum illud Eccleſiæ ſidus, D. Auguſtinum, inquam, prædictis annumeremus, nullum tamen in narrandi ſerie præiudicium ponentes? Is ſiquidem, tametſi initio vitæ ſuæ, antequam ſeriò de puluere ſeculi vitiorumque cœno excuteretur, oblatam non ſemel OCCASIONEM neglexit: tamen quando eam ſeriò eſt contemplatus, ita in eius amorem exarſit, apprehendit, ſtrinxit, fouit, aſſiduoque ſtudio obſeruauit, vt nihil quod ad eruditionem ſanam, ad ſolidam vitæ ſanctitatem, cuſtodiam caſtitatis, diſciplinæ monaſticæ obſeruantiam, caritatem in Deum ac proximum, patientiam in aduerſis, feruens patrię cæleſtis deſiderium, pertineret, vllo vmquam tempore, vel vlla aduerſa occaſione inſurgente neglexerit. Hinc & variis, per viſum, in cæleſtis gloriæ ſplendore apparuit, & multoties manifeſta ſuæ beatitatis argumenta dedit.

Sed ecquando finem faciamus, ſi hîc D. Gregorij, Ambroſij, Athanaſij, Nicolai, Martini, Cornelij & Cypriani, ceterorumque ſanctorum & ſanctarum Dei, admirandas tum conuerſionis, tum vitæ ſanctioris, vel magni in Eccleſia ſplendoris, OCCASIONES exquiramus? Vbinam ſuppetat ſpatium temporis & chartæ, ſi conteſtata quamplurimis miraculis & viſionibus certæ ipſorum beatitudinis experimenta incipiamus enarrare?

Sit ſatis itaque in paucis viam ſtrauiſſe, & quaſi indice monſtraſſe quà incedendum, vt in ſingulis Dei ſanctis & ſtudium ſalutaris OCCASIONIS obſeruemus, & quantam hac ratione gloriam ac ſplendorem in cęleſti patria ſint conſecuti, vt tanto ſtudioſiùs faciliuſque eos imitemur. Quòd ſi quis tamen

men hîc modi iam dicti aliud exemplum præter ſupradicta, experiendi gratiâ, apponi deſideret, in quo OCCASIONE notata, in ceteris ita diſcamus occaſionem vbicumque occurrerit, obſeruare; Mariam Magdalenam in medium proferamus.

Notum eſt, hanc adeò peccatis immerſam tamque ab omni ſanctitate & ſalute alienam fuiſſe, vt peccatricis infame nomen publicè obtineret. Arduum hauddubiè atque perdifficile, tam profundè in cœnum illapſam carrucam, infixumq; in luto profundi iumentum, extrahere; quocirca OCCASIONIS bonæ diligenti obſeruatione eſt opus, ſi qua datur. Data eſt, arripuit, emerſit, emicuit, tota pulchra facta eſt, Chriſto amabilis, ardentior ceteris, & præ ceteris Domini rediuiui dignata conſpectu; viua adhuc in mortali carne, cæleſtium ſpirituum choris illata quotidie, melodiis ſatiata, tandemque vinculis ſoluta corporeis, in cælum ab angelis cum ingenti iubilo & lumine deportata. Maria Magdalena quomodo Occaſionē coluerit.

At, quid agimus? quò delati ſumus? dum OCCASIONEM ipſi ad tam præclara oblatam intentis oculis conſectamur, eamdem innominatam & vix notatam præteriuimus. Fateor, dum in reali feſtinantique eius amplexu narrando, boniſque inde ſubſecutis recenſendis abripimur, illam ipſam ſuo loco non indicauimus, vbi ſe prima fronte offerebat. Quæ igitur horum omnium ita in melius conuerſorum OCCASIO? quomodo data, arrepta, habita, conſeruata? Dicat ipſe D. Lucas nobis, qui cuncta eò ſpectantia deſcribit, teſtis locupletiſſimus. *Ingreſſus Ieſus domum Phariſæi, diſcubuit. Et ecce* (ecce inquam, OCCASIO amabilis, optata, data diuinitus) *mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Ieſus accubuit in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti: & ſtans retrò ſecus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* OCCASIONEM ad Chriſti pedes quærebat, & inueniebat. *Luc.7.*

Aſt, in quo conſiſtit illa tanta huius OCCASIONIS opportunitas? Audiamus D. Gregorium & D. Auguſtinum, id luculentiſſimè nobis ediſſerentes. Et quidem Gregorius in hunc modum: Conſiderauit quod fecit, & noluit moderari *Gregor. Homil.33.*

 quid

quid faceret. Super conuiuantes ingreſſa eſt: non iuſſa venit, inter epulas lacrymas obtulit (importuna itaque viſa eſt Occasionis venatrix? nequaquam.) Turpitudinis ſuæ maculas adſpexit, lauanda ad fontem miſericordiæ cucurrit, conuiuantes non erubuit: nam quia ſemetipſam grauiter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit, quòd verecundaretur foris.

D. Auguſtinus verò ſic Occasionis opportunitatem inſinuat. Vidiſtis mulierem in ciuitate famoſam, malæ vtique famæ, eò quòd erat peccatrix, non inuitatam irruiſſe conuiuio, vbi ſuus medicus recumbebat, & quæſiſſe pia impudentia ſanitatem. Irruens quaſi importuna conuiuio, opportuna beneficio. Nouerat enim quanto morbo laboraret, & illum ad ſanandum idoneum eſſe, ad quem venerat, ſciebat.

Obſcura quandoque Occaſionis facies, & tergenda.

Ecce, vt à ſplendida Occasionis facie obſcuram importunitatis & impudentiæ fuliginem, qua obnubilari videbatur, abſtergit! Et quidem colluſtratæ hîc Occasionis occaſione libet animaduertere, quàm frequenter inter mortales, etiam in rebus maximi momenti, ſeu ſæcularibus ſeu ſpiritualibus, occaſionis optimæ opportunitas reiiciatur, eò quòd aliquid importunitatis videatur admixtum. Certè, defectus criſeos diſcretioniſque eſt, ita procedere, quia ſemper ferè aliquid ſimilis obſtaculi concurrit, in omni præclari facinoris materia. Sed illud eſt à primaria Occasionis opportunitate ſecernendum, vt in Magdalenæ facto animaduertimus. Alioqui nec ipſa captare occaſionem illam debebat, quia ſcilicet importunum videbatur, nec ſoror eius excipere Chriſtum hoſpitio, nec Baptiſta inceſtum Herodem redarguere, nec Chriſtus vendentes & ementes è templo eiicere, quia in omnibus aliquid obſtaculi reperiri poſſe videbatur.

Hoſpes Chriſti talis erat ſententiæ cum inſipientibus iſtis æſtimatoribus in facto Magdalenæ iudicando. Valdè importunè ipſi agere illa videbatur; nec quidem Chriſtum ipſum culpa vacare, qui mulieris impudentiam atque importunitatem admitteret. Vnde in corde ſuo, Luca teſtante, dicebat; *Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique, quæ & qualis eſſet mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* *Luc. 7.*

Aſt,

Aſt, quia in tam ſtupida Phariſæi cenſura à Domino reprehenſa, hominum quoque illorum ſtolidum iudicium refutatur, qui ob futilem circumſtantiam, prorſus contemnendam, ipſam quoque rei benè gerendæ OCCASIONEM contemnunt; hîc verba D. Auguſtini adiiciam, quibus increpationem illam à Chriſto factam, vt meretur, explanat. O Phariſæe, inquit, inuitator & irriſor Domini; Dominum paſcis, & à quo ſis paſcendus, non intelligis. Vnde ſcis, Dominum neſciſſe quæ fuerit illa mulier? (ac ſi noſtros inſenſatos cenſores compellet rogetque, Quod fundamentum tui iudicij, tuæ cenſuræ, ſeu potiùs phantaſiæ tuæ tam inſulſæ?) Niſi quia, illo patiente, oſculata eſt pedes eius? niſi quia terſit? niſi quia vnxit? Hæc enim (quaſi verò) non debuit permitti facere mulier immunda. Ad illius ergo Phariſæi pedes ſi talis mulier acceſſiſſet, dicturus erat quod Iſaias de talibus dicit; Recede à me, noli me tangere, quoniam mundus ſum. *Iſa. 65.*

Sic nonnulli quandoque, ſibi ſoli ſapientes, de prudentiſſimo conſilio, de cœpto conſultiſſimo, de magnæ alicuius molitionis OCCASIONE ſe offerente, inuitante, cogente, dicunt pro ſua prudentia; Ego ſic non facerem: non puto hoc, nunc, ita, cum talibus, aggrediendum. nolim ego hoc attentare, non iudico expedire vt fiat. Quare? quæ ratio? quod fundamentum tam profundi iudicij, tam ſolidam bonæ OCCASIONIS opportunitatem euertentis? Ratio eſt; quia vna muſca eſt in via; quia vnus pilus eſt impedimento; debeo hodie tonderi, balneare, epulari, ne dicam conuenire Thaidem. Sibi ſapientium inanitas.

En, quæ trabes in oculo, ne videamus ſolem in meridie! En tibi quàm benè materiatæ rationes ad impediendum optima conſilia ex OCCASIONE ſe offerente deſumta, ad inuertenda attentata heroica, & conceptus omni exceptione maiores amoliendos! Intereà, moriatur ægrotus, ſi diutiùs nequeat viuere; pereat ciuitas, regnum corruat, intereat mundus; ne hilo æſtimanda vniuerſa hæc videntur, præ ſententiæ talis dignitate.

Digni qui nouo oſtraciſmo damnentur eiuſmodi cenſores, conſultores, rerumque geſtores. Si ipſi inde (vt veriſimile

 eſt)

eſt) non redirent ſapientiores, ſaltem aliis ſe prudentioribus non eſſent obſtaculo. Ingemiſceret hauddubiè mundus vniuerſus, ſi ſenſu damna perciperet, quæ ei quotidie per hoc hominum genus vbique terrarum inferuntur. Et interim ipſi non ſolùm ſibi videntur Catones Platoneſque ſapientiâ ſuperare, ſed etiam ab aliis tales haberi volunt. tam eſt efficax philautiæ & cenodoxiæ titillatio.

Nunc autem, priuſquam ad infelicem illorum conditionem explicandam accedamus, qui Occasionis neglectæ pœnas luunt, aures ad verba beatorum illorum, exultationis & gaudij plena, conuertamus. Non poterunt in æternum ſufficienter laudes Deo canere, lętitiamque ſuam atteſtari, quòd, diuina donante gratia, in tempore opportuno ac diebus ſalutis, hoc obſeruauerint, quod præſens Occasio poſtulabat. Vnde inter angelorum choros lætabundi decantant immenſam Dei bonitatem, concinuntque his verbis ſuum epinicion:

O pietas ſuprema, & inenarrabile donum A.
Lætitiæ! Deus alme, tuo quot fonte redundant
Gaudia! Felices, quibus eſt Occasio *cordi!*

Sed priuſquam neglectæ Occaſionis pœnas recenſeamus, Occaſionis in malum acceptæ ſententias aliquot S. Scripturæ præmittam, ne quid eorum animis inhæreat dubij, qui earum fortè ſunt memores, eiſque in huius tractatus quaſi periodo remoræ loco eſſe poſſint.

Schemat. 12. Cap. 5.

S. Scripturæ loca explicantur, quibus Occasionis *vocabulum in malum accipitur.*

QVia ſunt aliquot S. Scripturæ ſententiæ, quibus Occasionis vocabulum in deteriorem partem accipitur, illas hîc conſultò paucis recenſendas explicandaſque putauimus; vt detecto talium occaſionum ſic acceptarum periculo, ad eos qui vel in malum occaſionem captarunt, vel boni operis ſalutiſque

tiſque OCCASIONEM neglexerunt, tranſeamus; videamuſque quas tali pro noxa pœnas luant: quod huic quoque opuſculo finem imponet.

In primis dicit Apoſtolus ſeptimo ad Romanos Capite; OCCASIONE *accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Item: *Peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.* Non dicit, legem dediſſe occaſionem peccato; ſed malam hominis ad peccatum procliuitatem accepiſſe occaſionem illegitimè ex mandato: vt, quod videret in mandato prohiberi, hoc ipſa, quaſi per mandatum memor peccati facta, perpetraret. Et quod fortaſſe homo ante legem ignorabat peccatum, inquantum importat offenſam diuinam (tametſi ex lege naturæ, ſciret eſſe contra rationem honeſti) hoc per occaſionem legis, mentionem eius facientis, inceperit cognoſcere, quantum ad reatum pœnæ, & offenſam Dei. *Rom. 7.* Occaſio ad malum non arripienda.

Sed alioqui, lex bona, ſancta, & immaculata eſt; atque ita occaſionem iuſtam mali vel peccati dare non poteſt. Sicut Chriſtus nemini dedit vllam offenſionem, ſcandalum, malíve alicuius occaſionem: ſed impij in ipſo occaſionem quęſierunt & acceperunt non datam: ſicut Iudas in vnguenti effuſione, Iudæi in Chriſti doctrina, vita, miraculis, & morte ipſa.

Itaque, vt ſuprà aliis locis diximus, vera OCCASIO nulla eſt ad malum; ſed mali captant accommodam ſuæ nequitiæ perpetrandæ opportunitatem, quæ Occaſionis ſpeciem habet, & communi modo loquendi vocatur Occaſio. Atque ita, ſicut naturæ deprauatæ propenſio in homine furace, ſpeciem quamdam occaſionis furandi ſibi offerri per pecunię præſentiam perſuadet; ita & in alia peccata prolabendi, quando per legem ei in mentem reuocantur, tametſi prohibendo. Iuxta illud: *Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq; negata.* *Ouid.*

Ita impropriè quoque ſumitur Occaſionis appellatio in illa aliàs citata Sapientis ſententia: *In filia non auertente ſe, firma cuſtodiam: ne inuenta Occaſione abutatur ſe.* Occaſio ſiquidem ibi vocatur, opportunitas illa ad malum, quę ex conſorte, loco, & tempore, ad peccandum accommodis, oboriri *Eccli. 26.*

videtur ei, quæ ex pronitate ad malum, talem opportunitatem quærit, vel tali veriſimiliter habita occaſione lapſura eſt: neque enim ſe auertit à lubrico loco, impudico adſpectu, alloquio illecebroſo, & fortè neque à cauſis magis propinquis. Dicitque Sapiens, talem filiam (ſeu etiam adoleſcentem) duplici indigere cuſtodia: vnâ quâ omnes etiam caſtæ & ſui curam habentes, ad ſecuritatem tamen cuſtodiuntur: alterâ qua inſuper egent, quia tantum abeſt vt ſemetipſæ cuſtodiant, vt etiã labendi occaſiones ſuapte lubricitate captare videantur.

Occaſionis ad malum fuga.

Occaſio tali ſignificatione vſurpata ad malum, ſubeſſe cernebatur ad adulterium committendum, quando Ioſeph caſtiſſimus ab impudica propria hera ſollicitabatur; ſed effugit atque auerſatus eſt. Iſtoque ſenſu dicitur illud tritum apud omnes, *Occaſio facit furem*; quando aliquis rerum alienarum appetentior, vt paulò antè dixi, videt furandi opportunitatem, vel pecuniæ iacentis in menſa, vel ciſtæ patentis, alteriúſve rei occurrentis occaſione. Ita & occaſio fornicandi, ſe inebriandi, vlciſcendi, & peſſima quæque deſignandi. Non eſt illa propriè occaſio, ſed aptitudo rerum vel temporis ad malum arrepta.

Occaſionẽ auaritiæ amputabat Apoſtolus.

Occaſionem quæſtus & auaritiæ ex verbi diuini prædicatione in pſeudoapoſtolis impedire conabatur Apoſtolus ſuo exemplo. Ipſi namque, vt in honore haberentur & pretio apud Corinthios, & bona temporalia & gloriam ab ipſis acciperent, nitebantur exteriùs ſequi veſtigia Pauli; vel etiam, ſi potuiſſent, ipſum excellere. Apoſtolus verò, prædicans, laborans, diſcurrenſque prę illis, nihil tamen à Corinthiis volebat accipere: non quòd eos non diligeret (Deus ſcit, inquit) neque quaſi non poſſet bona conſcientia de altari viuere, qui altari ſeruiebat; ſed ob hoc tantùm, vt dum pſeudoapoſtoli gloriarentur, ſe imitari Paulum, in eo etiam imitarentur, vt nihil acciperent: ſciens illud Ambroſij (tametſi ante Ambroſium) quòd ſi non acciperent, non prædicarent. Et hoc

2. Cor. 11.

eſt quod dicit Apoſtolus: *Quod autem facio, & faciam; vt amputem occaſionem eorum, qui volunt occaſionem: vt in quo gloriantur, inueniantur ſicut & nos*: nihil ſcilicet accipientes.

Aua-

Auaritiæ itaque & turpis lucri OCCASIONEM amputabat Apoſtolus tali ſtratagemate.

Ita cùm ad Galatas ſcribit: *Vos in libertatem vocati eſtis, fratres; tantùm ne libertatem in* OCCASIONEM *detis carnis.* Monet & hortatur Galatas, qui iam per fidem Chriſti aſſumtam, liberi erant à lege; ne exiſtimarent ſibi iam propterea licere peccata committere, quæ lex prohibebat. Liberi eſtis; ſed ne abutamini veſtra libertate, impunè vobis peccandum eſſe arbitrantes. Non eſt libertas hæc data in occaſionem carnis, hoc eſt, ad viuendum ſecundùm carnem; quod lex prohibebat. Ac ſi dicat: Libertas non dat occaſionem; videte, ne vos inde occaſionem accipiatis ad impunè peccandum. Sicuti liberato à vinculis & carcere, non datur occaſio alios diuerberandi, furandi, & in peius prolabendi. Si arripit, occaſio iuſta non eſt, ſed illicitè vſurpata. Sic de ſe teſtatur Apoſtolus, vitaſſe ſe OCCASIONEM ſcandali. *Neque enim* (inquit) *aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt.* Vt etiam monet, nullam occaſionem dandam aduerſario maledicti gratiâ. *Gal. 5.* Occaſio libertatis malæ vitanda. 1. *Theſſ.* 2.

Hinc D. Auguſtinus rogatus, quare cum ſorore habitare refugiſſet? Quia, inquit, quæ cum ſorore mea ſunt, vel ad eam ventitant, non ſunt meæ ſorores. Et hanc eiuſdem eſſe ſententiam perhibent: Malum eſt mulierem videre, peius alloqui, peſſimum tangere. Ad occaſionem igitur mali vel ſcandali vitandam, ad Apoſtoli Sanctorumque exemplum, etiam tuta timenda ſunt. D. Auguſtinus.

Quid de Arſenij ſtudioſa OCCASIONIS mali fuga dicturi ſumus? Is, cùm quædam non obſcuri generis matrona illum videre cupiens, de improuiſo ante hoſpitiolum eius ipſi occurriſſet, repentè auertit ſeſe, & muliebrem audaciam geſtu pariter & verbis incuſauit. Rogo, inquit illa, ne indignè feras aduentum meum, quæ ſincera mente & pio affectu huc veni. Aut ſi eo quidquam offenſus es, veniam da, ac pro me Deum, cui ſoli ſeruis, deprecare. Precabor Deum, reſpondit, & quidem multum, ne tui vmquam meminerim. Mulieris non adſpectum tantùm, ſed & recordationem auerſabatur, Arſenius.

batur, propter comitem mali alicuius occaſionem.

Ephræm. *Simeon Metaphr.*

Ephrem ſimiliter ſtudioſus occaſionis mali ſcandalíve euitator, cùm cibi aliquid ſibi pararet, mulier quædam meretrix ex vicinia per feneſtram ſpectans, eum ſic eſt allocuta; Benedic Abba. Ille verò cum eo qui ipſum decebat habitu, geſtu, & ſermone, Dominus (inquit) tibi benedicat. Illa autem rurſus vehementi & indecoro cum riſu; Sed quid (inquit) tuo cibo deeſt? Ille verò, Tres, inquit, lapides & parum luti, vt hæc obſtruatur feneſtra. Occaſionem mali illa ſuggerebat, obtrudebat, perurgebat: ille verò æquè conſtanter eſt auerſatus. Cumque illa impudentiùs adhuc ad infanda prouocaret, atque ipſe ea lege annueret, vt in medio foro eam conueniret: illâ ruborem ex ſpectaturo circum populo prætendente, captauit vir Dei occaſionem in bonum, eamque ad reuerendum timendumque Dei conſpectum, & ad conſcientiæ ipſius irrefragabile teſtimonium perduxit; vt peccatis vera confeſſione detectis, & deterſis, in vitæ nouitate Chriſto deinceps famularetur. Ita mala occaſio vitata, in bonam conuerſa eſt.

Schemat. 12. Cap. 6.

Debita OCCASIONIS *ad ſalutem datæ & neglectæ punitio, Damnatio æterna.*

Quinque prudentes, & quinque imprudentes: omnis homo.

TOtius typi OCCASIONIS decurſu in decem adoleſcentibus, vt initio diximus, omnium ordinum homines complexi ſumus: quorum quidam prudentiores, momenta OCCASIONIS perpendentes, eâ debitè vtuntur; alij verò vecordes eam negligunt, ſiue in rebus gerendis, ſiue præſertim in ſalute animæ promerenda. At, notandum, quinque quidem adoleſcentes imprudentiores Occaſione fuiſſe abuſos; ſed

Metanœa ad ſalutem.

Angelo patrocinante ad mentem rediiſſe, & METANOEAM, elapſa OCCASIONE, ad iuſtam reſipiſcentiam arripuiſſe: atque ita in illis pœnitudine ductis repræſentari omnes illos, quos ante

ante mortem errati pœnitet. Vltimo igitur hoc Schemate,
A quinque quidem numero beati cæleſtium choris inſerti conſpiciuntur, æternùm gaudentes, quòd OCCASIONIS curam vt oportuit geſſerint.
B ſed tres illi qui inferni cruciatibus
C mancipati pœnas luunt, non ex illis quinque imprudentibus,
E poſteà tamen reſipiſcentibus, eſſe cenſendi ſunt: ſed alij, qui ſuo tempore, neque occaſionem ipſam ſalutis ſunt amplexi, neque eâ præterlapſa METANOEAM quidem in iuſti doloris ac pœnæ ſatisfactionem aſſumſerunt; ſed in ſua inſipientia ſine vllâ reſipiſcentiâ, miſeræ huic vitæ mortali, longè miſerabiliorem finem impoſuerunt, immortali tormento principium ſtatuentes, & iam ſerò ſuam deflentes cæcitatem.

Metanœa ad tormentum.

Itaque res illa exhiberi cenſenda eſt, atque ſi maligni ſpiritus, prædâ illâ ſuâ quinque imprudentium iuuenum ab Angelo ereptorum fruſtrati, in recognoſcenda trium aliorum pœna, quos aliquando ad OCCASIONIS contemtum ſeduxiſſent, ſuam exſaturarent rabiem, quandoquidem tam optatus bolus in illis quinque ſperatus, ipſis è faucibus ſit diuina potentia ereptus. Hæc dixerim, ne tribus tantùm in inferni tormento conſpectis, dubium Lectori Spectatorique oboriatur, eò quòd hactenus quinario numero & benè & malè OCCASIONE vtentes conſtiterint.

Diaboli pœnis damnatorũ delectantur.

Quicumque igitur mali occaſionem non fugerint, vel à Deo datam ad benè merendum neglexerint, neque Metanœæ quidem comitis opportunitate ad pœnitentiam ſalutarem vſi fuerint, quid tandem ſint prędmij accepturi, vt ex Schemate patet intuentium oculis, ita adhibitis aliquot S. Scripturæ ſententiis atque exemplis clariùs apparebit.

Vnam ex Apocalypſi, quaſi præambulam, præmittemus. *Qui vicerit* (hoc eſt, vt ſuprà meminimus, qui bonum certamen certauerit, idq; legitimè ſeruatis ſeruandis: quod faciunt qui omnem benè agendi OCCASIONEM obſeruant) *poſſidebit hæc*: vitam, requiem, coronam & gloriam ſempiternam. *Tumidis autem, & incredulis, & exſecratis, & homicidis, fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mẽdacibus, pars illorũ erit in ſtagno ardenti igni & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* *Apoc. 21.*

Certum eſt, quotquot hîc recenſentur, & quicumque alij in hoc ſtagnum deueniunt, malè ſalutis OCCASIONEM & tempus gratiæ obſeruaſſe. Inducit diuinum eloquium illos idipſum profitentes, dum ſic damnabilem eorum ſtatum

Sap. 5. cauſamque deſcribit. *Videntes* (beatorum gloriam ſcilicet, & omnia aliter quàm ſperarant cadentia) *turbabuntur timore horribili & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis: dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo, errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.*

Ecce, obſtupeſcunt præ inexplicabili gloria eorum, qui in vita OCCASIONEM tempuſque opportunum benè merendi, non putarunt negligendum; licet ob id ſtulti, amatoribus mundi, inſani, & inglorij poſt vitæ decurſum futuri olim viderentur. Horribili inſuper turbatione mali concutientur, dum ſe tam præter omnem ſpem metumque omnem, citra omnem ipſorum exſpectationem, videbunt fruſtratos ſua opinione & prætenſione: tamque diuerſa eſſe iudicia Dei à ſuis ipſorum iudiciis; ac tam horrendè caſtigari neglectæ OCCASIONIS iniuriam. Incuriam ferè tantùm dixiſſem, ſed iniuriæ meritò vocabulum obtinet hæc tam ſalutaris opportunitatis incuria. Nam diuinæ benignitati iniurius eſſe cenſendus eſt, quiſquis tantum beneficium tamque efficax amoris argumentum ingratus proculcaret.

Schemat. 12. Cap. 7.

Exemplo diuitis Epulonis oſtenditur, quas daturi ſint pœnas, diuinæ gratiæ, temporis, occaſioniſq; contemtores.

SI exempla aliquis dolendi neglectæ OCCASIONIS exitus requirat, certè vnicum loco omnium (meo quidem iudicio)

cio) meritiſſimò volenti ſufficiat. Nónne abundè monentur officij ſui omnes negligentes OCCASIONIS obſeruatores, à qua præſertim ſalutis æternæ momenta dependent, quando in ſerò deploratum diuitis epulonis exitium, oculos reflectũt? Diues epulo.

Abſtracto igitur parumper ab aliarum rerum cogitatibus animo, fingant ſe inter tormenta gehennæ vidère, audireque clamantem, dicentemque; *Pater Abraham, miſerere mei; & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Luc. 16.

Quid hîc audimus? quid animaduertimus? Ecce OCCASIONE Lazari, quem ex inferni tormentis, in ſinu Abrahæ quieſcentem videbat, ſibi iam cupiebat conſultum; qui dum eſſet in viuis, nullam melioris vitæ vel miſericordiæ exercendæ arripuit OCCASIONEM, ex eiuſdem Lazari præſentia ac miſeria, menſæ micas expetentis, eique eâdem operâ OCCASIONEM tanti meriti ſubmittentis.

Canes verò, data illa tam opportuna occaſione, in miſero ad ianuam diuitis decumbente, veniebant & lingebant vlcera eius. Meritò itaque tam ſuæ ſalutis negligentem manſit METANOEA; non quæ ſolatij ſpem daret, ſed quæ æternùm affligeret.

Hinc ipſi ab Abrahamo reſponſum eſt; *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Tu bonis omnibus abundans, mille habuiſti occaſiones, cælum promerendi, cęlum coëmendi, regnum cælorum vi capiendi; ſed abuſus es omnibus. Lazarus verò multa perpeſſus eſt; ſed aduerſa omnia in OCCASIONEM virtutis maioriſque meriti conuertit. Ideoque ipſe pro meritis æterna gloria potietur; tu verò, vt par eſt, flammam paſces ſempiternam.

Epilogus.

QVæ cùm ita ſint, OCCASIONISQVE benè acceptæ tanta efficacia, & è contrà tam triſtis neglectæ ſit exitus; vtinam quicumque hunc noſtrum de OCCASIONE tractatum inſpexerit, & ego in primis, qui ſincero animi candore illum poſteritati conſecraui, occaſione OCCASIONIS ſic adornatæ, certiorem firmioremque ſemper ſalutis conſequendæ normam ſectemur. Detque ſua infinita benignitate Omnipotens, vt etiamſi quis, quam dextrâ damus, ſiniſtrâ OCCASIONEM acceperit, per OCCASIONEM vel ſic arreptam, exemplo Mutij Abbatis, etiam aliud agens euadat melior. Is ſiquidem, cùm gentilis adhuc eſſet & latro, atque ad virginum quarumdam cœnobium ſpoliandũ in tectum aſcendiſſet; in ipſo tecto conſopitus, regem quemdam vidit, à quo monebatur, vt tandem à ſceleribus deſiſteret: quo ille permotus, baptiſmum illicò, deinde etiam monaſticam vitam ſuſcepit: in qua tantam adeptus eſt ſanctitatem, vt præter alia miracula, ſolem quoque, tamquam alter Ioſue, ſtare iuſſerit. Ita, quacumque tandem OCCASIONEM ſalutis amplexus quiſquam fuerit, eum certò ſanctorum ſedibus inſertura eſt; vt quiſquis eam neglexerit, æternas indubiè eſt pœnas daturus; quemadmodum Schema hoc nouiſſimum ob oculos ponit.

Mutij Abbatis inopina conuerſio.

Quia verò dicta voceſque damnatorum in verſibus Schemati ſubſcriptis hæc & eiuſmodi ſatis expendunt, ſi modò & ipſi benè expendantur; hîc finem faciam, vno ex omnibus adiecto verſu:

Heu! quanti conſtas OCCASIO *perdita! quanti!*

ORATIO XII.

Vt euitata gehenna cæleſtibus aſſeramur.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui iuſto tuo iudicio, & bonis virtutum præmia, & malis æternum pro culpa ſtatuiſti ſupplicium; dignare tuorum corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docere, vt à noxiis cunctis vitæ ſuæ veſtigia retrahentes, viam mandatorum tuorum inceſſanter decurrant; quò tandem à gehennæ incendiis liberati, choris cæleſtibus aſſerantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

FINIS.



APPROBATIO.

CVm Tractatus iſte de Occaſione nihil contineat, quod non præbeat occaſionem ædificationis tam in fide Catholica Romana, quàm in rectis moribus illi conuenientibus, exiſtimo eumdem magno cum fructu imprimendum & legendum. Quod atteſtor hac VII. Id. Octob. 1604.

Martinus Baccius Tiletanus, S. Th. Licent. & Archipreſbyter Cathedralis Eccleſiæ Yprenſis, ac à R^mo ad eiuſmodi examen commiſſus.

VIſa ſupraſcripta R. Domini Archipresbyteri de hoc tractatu cenſura, meritò illum typis committendum iudico. Datum Bruxellæ die 15. Sept. anno 1604.

Petrus Vinck Archipreſbyter Bruxell. Cenſor ordinarius.

OCCASIO.

DRAMA,

P. IOANNIS DAVID,
Societatis Ieſu Sacerdotis.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. V.

AD CANDIDVM LECTOREM.

CVM inaudiſſem, amice Lector, non vno loco à quibuſdam in gratiam ſtudioſæ Iuuentutis, Dialogos & Dramata (occaſione Typi Occasionis ante biennium in lucem editi) fuiſſe data, verſibus forſan, quos iconibus Occasionis ſubieci eum in finem trãſcriptis; tametſi non dubito quin id illi meliùs elegantiuſque, cùm nec Poëtam nec Choragum profitear; quia tamẽ Drama illud in promtu erat, quod olim ad tenerę ętatis exercitium, ſimplici Camœna luſeram; vndeq́; verſiculos ipſis iconum lamellis inciſos excerpſeram: Viſum fuit quibuſdam (quorum dignitati & auctoritati plura debeo) facturũ me ſtudioſę Iuuentuti rem non ingratam, ſi Drama ipſum, quod toti de Occasione tractatui principium dedit, eiuſdem ad calcem adnecterẽ. Feci non grauatè: pręſertim cùm vt nihil admodum vtilitatis adferret, nihil quoq; ſit obfuturum. Hoc interim te monitum velim, Dialogum hunc non iam in Scenas vt antè, ſed in Schemata digeſtum; vt iconibus ipſis ſinguliſque libri partibus examuſſim reſpondeat, ſicq́; ab inuicem lucem accipiant. Itaque & hoc noſtrum qualequale ſtudium, Lector, boni conſulito.

AD EVMDEM.

SI tantùm es niueus, benigne LECTOR,
Quantùm candidulus meus libellus;
Nequaquam harmoniã vtriuſque veſtrûm
Concinnare operoſiùs laborem.
Namque hunc vel titulo tenus pererra;
Ni mox, fronte legens benè explicatâ,
Tibi ſenſeris eſſe concolorem;
(Albi ſeu pariter natant olores)
Dic, non tam niueum meum libellum,
Quàm tu candidulus, benigne LECTOR.

AD LI-

AD LITERATOS CALVINO-SAPERDAS

Dentifricium.

SAECVLA! quàm ſimplex tam candidus iſte libellus
Quod bonus & pueris peruius eſſe velit;
Sentiet obliquos Caluini de grege dentes,
Naſos, queîs benè olet præter oleta nihil.
Planos verſiculos carpent: hui! talia nobis
Procudunt veſtræ docta LYCAEA ſcholæ?
Cur? RVSSAM nec ſcurra cano, nec mordeo MOMVS.
Putidulè id faciam; Macte! Poëta vocer.
Verſibus AVREOLIS ſic nempe PARISSIMA ſcripſit,
Qui putridè IESVM proſcidit & SOCIOS.
Aurea ſi vobis tam plumbea; ſat ſcio, veſtrum
Nil hîc ad naſum, nil facit ad ſtomachum.
Ergo aliò DENTES: nam, rodere ſiqua lubido eſt;
Quod longùm rodant, AMPHITHEATRA dabunt.
Si canibus liuent, ſi broncis ſeſquipede exſtant;
Nitro ibi defrictos, lima dolabit eos.
At caueſis, atrox hæc limatura venenum eſt:
Quale nec inferno Cerberus ore vomit.

DRAMATIS INTERLOCVTORES.

Angelus — *ſplendidè ornatus.*
Tempus — *Iuuenis alatus, cum falce & clepſydra.*
OCCASIO — *Nympha, fronte capillata.*

Golphus
Britto
Pontanus — *Quinque iuuenes imprudentes.*
Morinus
Oleander

Druſillus
Tornus
Storia — *Quinque prudentes.*
Mirandulus
Darotiſtus

1. Anima.
2. Anima. — *Tres animæ damnatæ.*
3. Anima.

1. Diabolus; magnus.
2. Diabolus; paruus.

Beatorum chorus: *In cælo.*

PERIO-

PERIOCHA.

QVAE priſcis memorata Sophis, viduata capillis
Occiput, at frontem crinita OCCASIO (nempe
Obuia prenſari facilis, fugitiua regreſſum
Nec prece, nec pretio, lacrymiſq; datura priorē)
Hanc dare Palladiâ Iuuenes meditantur arenâ.
Ecce tibi in Scenam prodibit amabile TEMPVS,
Quo duce ſe cuiuis Pandora OCCASIO promtam
Ingeret: atque ſuas depromant ordine vires.
Præſto aderit Præſtes, ſtellata in veſte, Tonantis
Aliger; exacuens nutantia corda Iuuentæ,
TEMPORIS & molles ne ſpernant VIRGINIS horas:
Aſt anſam arripiant auidi, quæ Numine Diuûm
Obtigit, & capiant quas fert OCCASIO dotes.
At verò, inſidiis & tetri fraude ſatanæ,
Vertitur in riſum TEMPVS: ſimiliq́ue cachinno
Excipitur tantis OCCASIO fœta tropæis.
Ilicet illud abit: volucri ſimul ocyor Euro
Hæc fugit, opportuna aliis; qui fronte comatam
Iniectaq́ue manu ſiſtunt, doniſq́ue fruuntur.
Elapſam implorant ſerò lugentq́ue priores.
Ne tamen æternas ſubeant pro crimine flammas;
Angelus addit opem, vitæ veniæq́ue ſequeſter.
Amiſſâ prædâ Dæmon furit: vtq́ue dolorem
Leniat, in quondam captos exaſperat iram.

SCHEMA I.

Angelus, Tempus, & Occaſio, ſua explicant munia.

Angelus, 1.Diabolus, Tempus, Occaſio.

Ang. QVIS *Patris æterni genus in mortale fauores*
Explicet? Haud ſatis ille ratus, duxiſſe ſub auras
Æthereas mediaſque plagas, laquearibus orbes
Auricomos ſtatuiſſe poli titaniaque aſtra;
Aligeros niſi ſtellanti demitteret axe,
Præficiens curis hominum rebuſque gerendis.
Ecquid commemorem, quoties bella horrida bella
Contra Acherontæas dextra hac præeunte phalanges
Bellarint facili euentu; exuuiaſque ſuperbas
Spectandas ſolium tulerim ad ſublime Tonantis?
Nec fuit hæc curæ & votorum ſumma meorum:
Vlteriùs progreſſus amor: ceruicibus enſes
Auerti, ſtrauique vias, luctantia ventis
Æquora pacaui, nocituri dæmonis iras
Compreſſi meliore manu; vitamque per omnem
Iuſtitiæ docui rectos inſiſtere calles.
At, cæli me iuſſa vocant; lætuſque faceſſo.
Prô! quid conſpiciunt oculi? Monſtroſe ſatana!
1. Diab. *Quid tibi tu?* Ang. *Tuus iſte locus? Quid, ſedibus errans*
Alterius ſectare. Diab. *Animas: Stygi pabula grata:*

Cetera tolle tibi. Ang. *Procul hinc.* Diab. *Tu quò lubet iſtinc.*
Heîc mihi magna lucri ſpes. Ang. *Lucri? haud fecero tanti*
Te merceſque tuas. Nulla hîc te præda moratur.
1. Diab. *Fallere.* Ang. *Quid? fallor?* Diab. *Semper mihi pendet ab hamo*
Eſca. Ang. *Quibus?* Diab. *Quibus? hànc quibus eſt guſtare voluptas.*
Hoſce viden'? Ang. *Video.* Diab. *O quanta hac mihi meſſis in herba!*
Ang. *Effuge.* Diab. *Non faciam. Siqua eſt tibi cura tuorum;*
Et mihi cura mea eſt, mea vis, mea copia fandi.
Magnáne promittis? magnis ego ſum quoque diues
Pollicitis. Si dona feras argentea; mî ſunt
Aurea. Non minor eſt huic denique gloria mundo
Plutonis quàm Cælicolûm. Inuiolata tuebor
(Quidquid agas) mea iura: Orcum ſic teſtor opacum.
Ang. *O Stygis in miſeros mortales vſque minacis,*
Immortale odium! Sed magna potentia cælo;
Quæ vires fraudeſque Erebi & molimina frangat.
Rumpo moras, ne quemquam aſtu dulcique veneno
Hoſtis agat retrò. Iuuenes, prodite: timoris
Nil habet, horriſonis timidos percellere flabris
Qui ſolet; imbelli ſed abactus terga pauore
Vertit, ſi leuibus contrà conatibus itur.
TEMPVS, *ades; teque his* OCCASIO *amabilis offer:*
Præſidio vt freti veſtro, Cæloque fauente,
Dent operam ſtudiis alacres, & rebus honeſtis.
Conſilium auxiliumque feram: mihi fidite tantùm.
Temp. *Vt, qui ſim, norint homines, hæc pauca profabor.*
TEMPVS *ego: ſine quo nihil eſt quodcumque creatum eſt.*
Me

Me ſine nec cælum, neque cælo ſidera, nec ſol
Aureus irradient: ſine me, nec terra, nec æquor,
Nec quidquid vaſtâ mundi compage tenetur,
Exiſtat. Sed enim per me velut omnia conſtant;
Omnia ſic rurſum per me reuoluta labaſcent.
Et, quia Muſarum cultoribus omnia præſens
Suppedito, quibus ad Sophiæ conſcendere poſſint
Virtutiſque iugum: viſum, me ſiſtere coràm;
Et facere, ad magnos nihil his vt deſit honores.
At, germana ſoror, OCCASIO, *quæ mihi ſemper*
Fida latus cinxti, comes i. Quia dura nouerca
Dum te incauta rapit, primâ ſub origine, caſſam
Reddidit his oculis: ideóque obtutibus ægris
(Vt tegat indecorem vultum) à ceruice reducti
Mæſta capillitij oppandit velamen: & inde
FRONTE CAPILLATA ES; SED POST, OCCASIO, CALVA.
Ne tamen intereà proprij ſtudioſa pudoris
Vſque domi latites, fruſtratis fœnore tanto
Terrigenis; meritò genitrix Natura monebat,
Lux tibi duxque forem. Quare, veſtigia fratris
Ponè legas, quocumque manu vel arundine lentâ
Duxero. Tu intereà tua commoda fida recenſe,
Cognita quò fias mortalibus, hiſque fruatur
Quiſquis auet, cuique vllus amor ſtudiúmve ſalutis
Eſt propriæ: nihil vt valeat prætexere culpæ,
Si te contemtâ meritum damnetur ad Orcum.
Occaſ. *Illa ego, quę Angelicis olim cum mentibus auras*
Ducta ſub ęthereas, rerum primordia noui.
Has inter, quæ me dignatæ amplexibus, omnes

Sedibus

Sedibus aſſerui ſuperis: meaque ora peroſis
Dira dedi horrifici fundare palatia Ditis;
Et luere æternas mixtâ caligine flammas.
Illa ego, ſub primis vix nomine cognita mundi
Principiis: quam cùm paradiſi (heu fata!) colonus,
Verſuti implicitus ſpiris ſerpentis, abegit;
Nudus & infelix mortem, miſerandaque pendit
Supplicia, in totam fundens contagia ſtirpem.
Illa ego, quæ optato rurſum data tempore, gentem
Fractam reſtitui: dum terris naſcitur infans
Patre Deo; qui mirando cum morte duello
Congrediens, propria arma ſuum contorſit in hoſtem.
Illa ego, primorum quondam quæ prouida fratrum
Conſilio intereram. Quam cùm maleſanus abhorret
Voce minax ſenior, cæleſtia numina læſit:
Primus & innocuam fraterno ſanguine terram
Imbuit; hinc miſeram extorris pro crimine vitam
Traxit. At, expanſis dum me complectitur vlnis
Et pius & prudens alter; cæleſtia ſtructis
Incenſiſque ſibi promiſſa fideliter aris
Promeruit, iuſtique viri per ſæcula nomen.
Illa ego, quæ quondam Iſacidûm genitrice Rebeccâ
Partu vno effuſis geminis oblata, modeſtè
Adriſi, cupiens vtrique placere. Repulſam
Sed quando à maiore tuli, bona cuncta repulſam
Paſſa fuêre ſimul; mox ſuccedente malorum
Iliade, ob ſtultum facinus. Sed me minor omni
Dum colit officio; gaudet: cælique ſolique
Munere fœcundo cumulatur, creſcit in horas;
Ac fratrum, inuerſâ geniture lege, ſuorum

Accipit imperium, famâ ſuper æthera clarus.
Jlla ego, quę Phariis quondam verſabar in oris,
Me ſpretâ dum fuſca phalanx Pharaonis, ab vndis
Ebria Erythræis, periјt. Sed cara fideli
Abramidûm populo, atque hilari ſuſcepta fauore,
Diuiſa incolumem victo hoſte per æquora duxi.
Jlla ego, quæ Sauli primùm Regalia gentis
Jſraële ſatæ moderanti ſceptra, benignum
Promiſi obſequium, & proſperrima regna ſpopondi.
Quam dum faſtidit; cæleſtes protinus iras
Senſit, & indignus ſolio vitáque, decorem
Jmperiј poſuit, merſo in ſua viſcera ferro.
Tanti me ſpreuiſſe fuit. Jeſſeïa proles
Dum mihi conſpectæ miro gratatur amore,
Amplexæque genis figit mille oſcula; felix
Conſcendit regale decus: fit gloria gentis
Ipſe ſuæ, patriæ columen, cæli inclytus heres.
Jlla ego, quam Iudæ plebes dum negligit excors,
Fruſtrata eloquiis vitæ, ieiuna relicta eſt.
Porrò Barbaricæ gentes hoc munere gaudent,
Cæleſtiſque tenent Regni depoſta fidemque;
Quandò Palęſtinæ ſceleratis finibus actam
Suſcipiunt, atque hoſpitiј dignantur honore.
Illa ego, quam vaſtum dum contemſere per orbem
Tot turritæ vrbes, tot regna arceſque; ruinam
Extremam perpeſſa iacent. Obſcura viciſſim
Dum loca multa meum non adſpernantur amorem;
Florida ſplendeſcunt, ac laude in ſidera ſurgunt.
Cetera quid memorem? Quicumque ab origine mundi
Hactenus oblatam non faſtidiuit, amico

Sed fouit captiuam animo, mandata capeſſens;
Ille ſibi, compos voti, decora ampla parauit.
Aſt primâ queîs fronte minùs fortaſſe placebam,
Atque adeò vel ſpreta fui, vel iuſſa proteruè
Ire foras, quocumque pedes, vel quò via mœſtam
Duceret; (ô facinus!) cladem miſerandáque fata
Paſſi, ſtultitiæ pœnam cum morte dederunt.
Vos, ô præclari iuuenes! quibus ardua virtus
Et ſtudium cordi, ſine me indulgete labori
Si lubet; aſt operam atque oleum perdetis, & omnis
Incaſſùm conatus erit. Sin me duce læti
Attentatis opus; faciles mea dicta per aures
Demiſſa in pectus ſeruatis, & aurea dona
Accipitis; quondam vos gloria tollet Olympo.
At dedignati tantum ſiquando fauorem
Negligitis; me mox aliò pede præpete TEMPVS
Abripiet: ſors intereà vos dura manebit.
Diſcite quod rectum eſt moniti, dum tempus & anſam
Dant Superi: quæ ſerò Phryges elapſa requirant.

SCHEMA II.

Ad frugem vocat Angelus: auocat diabolus.

Occaſio, Tempus, Angelus: omnes Iuuenes; & diaboli.

Occaſ. H*Em frater!* Temp. *Nuſquam deſum.* Occaſ.
Accingamur, vt æquum eſt,
Huic tam fido operi. Temp. *Faxo.* Occaſ. *Dux prçuius eſto.*

Palladiis, agedum, properè ſiſtamur alumnis.
Temp. *Adſumus. En placidâ cuncti nos fronte morantur.*
Ang. *Macte nouâ grex dote, frui cui munere Diuûm*
Conſpectuque datur. Equidem feliciter actum
Vobiſcum ô pueri! Celeri licet aëra pennâ
Sulcet, & aſsiduo præteruolet hora volatu;
Ecce tamen coram vobis, OCCASIO, TEMPVS,
Quodq́ue fero CAELO *auxilium, quàm molliter adſtant!*
Druſill. *O nos felices & amicâ ſorte beatos,*
Gratia queis cælo ceu roſcidus adpluit imber!
Torn. *O ter felices, quos entheus ales ab alto*
Allapſus compellat ouans! Storia. *Res magna profectò:*
Obſtupeo totus. Mirand. *Meq́ue admiranda rapit vis*
Eloquij & vultus. Darotiſt. *En, vox mihi faucibus hæret.*
Golph. *Quid facimus?* Britto. *Fugimus?* Pont. *Turpis fuga.* Morin. *State ſodales.*
Druſill. *Macti animis ſocij; nec enim niſi fauſta precatur*
Angelus. Exhilarent potiùs tanta omina pectus:
Et cœpti ſeriem videamus ab ordine læti.
Torn. *Ritè mones, monitiq́ue tui me magna fouet ſpes.*
Ang. *Ergo manus proferte alacres: quamq́ue obtulit vltrò*
Prenſandam ſacra Nympha comam conſtringite palmis;
Et fortunatam prudentes carpite ſortem.
1.Diab. *Non ſic, ô Iuuenes! Deliria vana faceſſant.*
2.Diab. *Læta decent lætos, triſtes Dea calua Catones.*
1.Diab. *Hem prædam! hem prædam! Date retia & ocyùs hamos.*
Druſill. *O caput inuiſum! fruſtrà mihi retia tendas.*
Tornus. *Præda nec ipſe tibi.* Storia. *Neque me tuus hamus adhamet.*

Mirand. *I, truculente, tuos aliis expandito caſſes.*
Darotiſt. *Prædo ſceleſte, nihil tua retia blanda moramur.*
Druſill. *I, gruibus pedicas; i, technas ponito truncis.*
Nos fugimus; dum Numina nos optata reuiſant.

SCHEMA III.

Fatui, inſtinctu Satanæ, turpiter tempus terunt.

Diaboli, Golphus, Britto, Pontanus, Morinus, Oleander, Angelus.

1. Diab. E*Ffluat in riſum* TEMPVS. *Quid rectiùs iſtam*
Ætatem deceat, quàm ludere, quamque iocari?
2. Diab. *Dum ver molle ſinit, rapiat ſua quemque voluptas.*
Golph. *Heus ſocij; quanti nobis* OCCASIO *riſus*
Obtigit! Britto. *Egregium iuuenem!* Pont. *Quàm diſcolor alas*
Pluma ſuo cultu pingit! Morin. *Liceat precor vnam*
Vellere de tantis, illamque aptare galero.
Oleand. *Fas etiam mihi ſit, tergo vnam demere pennam.*
Golph. *Quantulum id eſt damni, tantillam inſumere partem*
TEMPORIS, *ad votum? iocus eſt, non praua voluntas.*
Britto. *Sors ſua cuique cadat: non hac præſtantior vlla.*
Golph. *Hui, quæ ſphæra! Polo ſubdam caput. En, nouus Atlas.*
Morin. *Deſine flere; tibi reddetur amice tiara.*

Golph. *Quantus honos ori atque oculis!* Britt. *Quæ gratia fronti!*
Unde precor nouus hoſpes adeſt? quæ patria tales
Producit iuuenes, alatos, fronte micantes?
Pont. *Cernite, præpetibus talaria fulgida pennis.*
Morin. *Si plantiſque humeriſque mihi Deus adderet alas;*
Semper ego ante omnes vellem contingere metam.
Quando fatigarer curſu, per aperta volarem.
Britt. *Incipe, care, ſeca volucri liquidum aëra plantâ;*
Et ſupra capita alta vola: mox inde reuerte.
Nos quoque conſutis tentabimus ardua flabris.
Morin. *Me potiùs ſubuectum humeris in ſidera tolle.*
Oleand. *Aſt ego ſubſiliens equitabo in arundine longa.*
Golph. *Roſtrum habet æratum; ne mordeat ergo caueto.*
Britto. *Redde puer falcem: non eſt ea luſibus apta.*
Pont. *Vitrea quid ſibi vult geminata cucurbita? Papæ!*
Cedo precor: tremulâ hinc bullas educere lymphâ,
Et calamo difflare leues ſublime per auras,
Iucundum pueris. Golph. *Si me donaueris iſtis;*
Fulua domi latitat matre ignorante columba;
Hanc (quamuis magno ſteterit mihi) munus habebis.
Britto. *Nec donat, neque dona negat: vi tollere, iniquum.*
Attamen ingenioſa mihi ſe pandit ad iſta
Dona via: in noſtros venient hæc obuia caſſes.
Golph. *Quę via, quæ ratio?* Brit. *Dicam, vos ora tenete.*
Sunt ludi nobis varij: latrunculus, orbes,
Alea, cum chartis, diſcus, pila, quadra, trochuſque,
Sunt choreæ, & ſaltus, curſus, & lucta palæſtræ.
His ego certamen ponam, iuuenemque laceſſam
Mille modis; nil vt timeat deponere mecum

Hæc

Hæc quæcumque gerit. liceat ſic fallere TEMPVS.
Oleand. *O benè conſultum! Sic* TEMPVS *abibit inane.*
1.Diab. *Sic decet, & fas eſt: ſic præſens exigit ætas.*
2.Diab. *Seria ſint ſenibus, pueris ioca & otia curæ.*
Omnis enim teneris ludit natura ſub annis.
1.Diab. *Sic fruticant frutices, vituli vitulantur in herbis:*
Subſultant agni, luctantur cornibus hœdi.
Sic catuli, & parui miſcent iocularia catti.
Æquum eſt & pueros æuo meliore fruiſci.
Ang. *O ſtultas iuuenum mentes, ô ludicra ſemper*
Ingenia in magnis, neglecto TEMPORE, *rebus!*
Síccine ludibrio decuit triuiſſe proteruo,
Quod vobis nimium larga indulgentia cæli
Ad Sophiam & veros donauit TEMPVS *honores?*

SCHEMA IIII.

Stimulante dęmone, miſerè eluditur OCCASIO.

Angelus, Diaboli, Britto, Golphus, Pontanus, Morinus, Oleander.

Ang. S*At ludo probriſque datum eſt.* OCCASIO *vobis*
Non ſimili irritanda modo. Veneramini honore
Quo decet; & gratis admittite munera dextris.
Eia agite; ô tandem reſipiſcite: Spes ſuper iſta eſt.
1.Diab. *Mirari ſatis & riſum compeſcere buccis*
Non valeo, dum tam noua mundo ſurgere monſtra

Conſpi-

Conſpicor. 2.Diab. *En, quàm bellè inuerſam dixero ſponſam!*
1.Diab. *Digna profectò mihi thalamo quam Pluto iugali*
Copulet, & feſtos agat infera turba Hymenæos.
Hanc quoque nunc, iuuenes, certatim inuadite laruam.
2.Diab. *Arripite inuiſam, & ſaltem ſit fabula vobis*
Tantiſper, ludiq́ue ióciq́ue OCCASIO, *donec*
Elabatur. 1.Diab. *Vbi noua fecero gaudia nuptæ,*
Vos paranymphi eritis: Stygiâ regnabitis aulâ.
Britto. *Golphe, quid hic video? reliquos accerſe ſodales.*
Golph. *Huc ſocij, noua naſcitur hic* OCCASIO *riſus.*
Pont. *Prô, monſtrum horrendum!* Morin. *Quid id eſt?* Olean. *Num femina? num mas?*
Golph. *Fronte capillitium gerit: aſt glabrum occiput olli.*
Morin. *Quid tu autem Pontane putes?* Pont. *Empuſa, vel vna*
Eumenidûm. Golph. *Huc patulas (quiddam mens ſuggerit) aures.*
Res equidem multò mihi iucundiſsima viſu
Incidit. Britt. *Illa placent, ſed agas.* Pont. *Quid, Golphe, moraris?*
Golph. *Mos pueris ſponſam Maijs ornare calendis,*
Reginæq́ue inſtar longâ deducere pompâ:
Et ramis capiti obtenſis, fauſta omina Nymphæ
Acclamare nouæ. Quid ſi pro tempore, pro re,
Hæc eadem nobis ludatur fabula? 2.Diab. *Bellè.*
1.Diab. *Quandoquidem dat ſponte ſua ſe* OCCASIO *ſponſam.*
Morin. *Conſulis egregiè: ô lepidum caput!* Golph. *Ergo capeſſat*
Ramum quiſque ſuum; & læti Pæana canamus.

Morin.

Morin. *Britto, præi modulos: nos bini ponè ſequemur.*
Britt. *Tu potiùs Morine.* Morin. *Mihi laus magna præire.*
Britt. *At, quînam incedet? ſi antrorſum promouet; ecquis*
Paßis antè comis, non cenſeat ire retrorſum?
Golph. *Ergo age, retrogrado potiùs pede inambulet: vtque*
Credatur recto ire gradu, hanc inducite laruam,
Pro facie, occipiti. Pont. *Tali res conſule ſalua eſt.*
Oleand. SPECTATVM ADMISSI RISVM TENEATIS AMICI.
1. Diab. *Quis vel in ardenti non rideat iſta camino?*
2. Diab. *O factũ benè! macti animis:* SIC ITVR AD ATRA.
Ang. *O ſtulti in proprium exitium! ſic* TEMPORIS *aurêi*
Sordeſcat pretium? tantarum OCCASIO *rerum*
(O cæcas hominum mentes!) ſatin' apta videtur,
Seruiat vt veſtris, ceu fabula, luſibus? Eheu!
Credite; vos olim facti meminiſſe pigebit.
TEMPVS, *abi: atque aliò, duce te, ſe* OCCASIO *vortat.*
Inuenies alios his faſtidite ſodales.

SCHEMA V.

Tempus & Occaſionem Prudentes ſtudioſè obſeruant.

Angelus, Diaboli, Tempus, OCCASIO, Druſillus, Darotiſtus, Storia, Mirandulus, Tornus.

Ang. E*Cce, vt ſe veſtris lætè conſpectibus alter*
Grex offert iuuenum! maior ſpes fulget in iſtis.
O Iuuenes! vobis iamnunc datur eſſe beatis.

Vos ſapite; atque aliis ſpretum ne temnite Numen.
Eia igitur, dum TEMPVS *adeſt*, OCCASIO *dum ſe*
Oggerit; immenſos componite laudis aceruos
Virtute & ſtudiis: aderit fauor ætheris alti.
1. Diab. *Non opis eſt veſtræ tantis onerare cerebrum*
SOLICITVDINIBVS. 2. Diab. *Iuuenilia voluite cœpta.*
Ang. *I procul, impoſtor coluber ſuaſorque malorum:*
Non ſunt hi præda apta tuis fera belua technis.
Temp. *O clari ingeniis iuuenes! En, nobile pignus*
TEMPVS *ego, ſoror & germana* OCCASIO, *veſtris*
Seruitiis læti offerimus nos noſtraque. Occaſ. *Vobis*
Si quis amor noſtri, vel ſi vos cura ſalutis
Vlla tenet; magnam paruo pòſt tempore meſſem
Proferet, & rutili ſtatuet ſuper atria cæli.
Druſill. *Hoſpes gratus ades.* Darot. *Prô, quàm tua lumina læti*
Adſpicimus! Storia. *Quàm tu noſtris* OCCASIO *ocellis*
Exoptata venis! Mirand. *Quàm te tardante dolemus!*
Torn. *Obſecro, pace tuâ, liceat mihi dulciter iſtos*
TEMPVS *in amplexus ruere.* Temp. *O mihi cara Iuuẽtus!*
Druſill. *Cedo manum, & fidos amplectere fida clientes.*
Occaſ. VIVITE. Darot. *Siqua mones, ſtamus parêre parati.*
Ang. *Gratus hic eſt animi candor: placet iſta voluntas.*
Temp. *Quàm nec in immemores fauor hic ſe impenderit; olim,*
Quandò frui noſtrâ dabitur mercede, ſcietis.
Stor. *Nos veſtra exhilarat præſentia, ſermo, venuſtas.*
Mirand. *Nec labor eſt vllus.* Torn. *Nihil eſt quod iure moleſtet;*
Quod veſtro obſequio vel cedere poßit honori.

SCHE-

SCHEMA VI.

Alacres Occaſionis commoda amplectuntur.

Occaſio, Angelus, Druſillus, Tornus, Storia, Mirandulus, Darotiſtus, Diaboli.

Occaſ. *EN tibi, care, mei magnum in te pignus amoris.*
Hoc ſi ſolicitè ſerues, & noueris vti;
Magnus eris quondam. Druſ. *Grates ago Nympha perennes.*
O præſtans donum, ſuperis quod vênit ab oris!
Sed, quâ lege fruar? tum, quæ vis muneris huius?
Obſecro (ſit venia oranti) mihi ſuggere; quantus
Qualíſve efficiar, ſiquando acceſſerit ætas?
Ang. *In pretio ſint dona tibi: dein, vtere iuxta*
Numinis inſtinctum, & Ductorum iuſſa tuorum.
Quantus eris qualíſve olim; non temporis huius
Fert ratio effari: ſed viuida facta probabunt.
Druſill. *Efficiam, nequa ergo mihi ſubrepat imago*
Deſidię, aut tantis inimica proteruia rebus.
Occaſ. *Túque hilari cape dona manu: ne deſpice, tanta*
Laus tibi proueniet, quantam tua cura meretur.
Torn. *Non ingratus ero, neque muneris immemor huius.*
Stor. *Et me Diua bea.* Occaſ. *Meritò; fas namque petenti*
Expandiſſe ſinum, quem nec præcludo neganti.
Hucdum belle puer; noſtræ cape præmia dextræ:
Diſce, viam ad quantas OCCASIO *muniat artes.*

Tuq́ue meis ornare bonis: quæ fronte benignâ
Si capias, immenſa manet te gloria cælo.
Mirand. *Non ſum muneribus dignus, Regina, profuſis.*
Darot. *Abs te igitur ſolus, virgo, indonatus abibo?*
Hei mihi, quòd minimus ſemper poſt terga relinquor!
Occaſ. *Siſte, puer, lacrymas; hæc ſint tibi pignora noſtri.*
Paruum parua decent: fac tecum creſcat in horas
Munus; vt & magnum quondam te magna ſequantur.
Temp. *Quilibet ergo ſuo fungatur munere.* Occaſ. *Nemo*
Tantis ſe indecorem reddat. Ang. *Deducat in vſus*
Aßiduos; cæptoq́ue operi mentemq́ue manumq́ue
Impendens, ſtudeat dignos adhibere labores,
Quò meritum dent fata olim conſcendere culmen.
Druſill. *Ne dubita: mens iſta mea eſt, mens iſta meorum;*
Et capere, & capto nos munere reddere dignos.
1. Diab. *Angele, ſic noſtris vſque inſidiabere lucris?*
Struximus inſidias; prædæ ſpes magna fouebat;
Sed fruſtrà: inuidiâ ſtimulante intercipis artes.
2. Diab. *Quid nobis partas extorques perfide palmas?*
I, repete æthereas ſedes: hæc noſtra palæſtra eſt.

SCHE-

SCHEMA VII.

Dum TEMPVS labitur, OCCASIONEM fronte capillatâ remorantur.

Occaſio, Druſillus, Tempus, Tornus, Storia, Mirandulus, Darotiſtus, Angelus.

Occaſ. N*Vnc fas eſt alios terrarum inuiſere tractus,*
Auxiliumque anſamque aliis offerre. Valete.
Druſill. *Siccine deſtituas tam raros cara ſodales?*
Temp. *Sic opus eſt.* Torn. *Quare?* Temp. *Num ſede moremur in vnâ?*
Stor. *Quæſo mane.* Occaſ. *Accelera frater; dextraque prehenſam*
Tolle ab humo, atque alias ſubitò me transfer in oras.
Mirand. *Te ſine vt exorem,* TEMPVS. Temp. *Res pernegat.* Torn. *Ergo,*
Si tibi tanta fugæ lex eſt, OCCASIO *ſaltem*
Tardet adhuc; noſtrique vt par eſt iure fruatur
Hoſpitij. Occaſ. *Cur tot nequidquam verba per auras*
Perditis? hinc aliò, mora nulla, recedo. Valete.
Druſill. *Non tam vana ſedet noſtræ ſententia menti.*
Huc ſocij, conferte manus: OCCASIO *triſti*
Ardet abire fugâ, noſtræ ſpes vna ſalutis.
Stor. *Dextram age tu Darotiſte tene.* Darot. *Tu Torne ſiniſtram.*
Druſ. *Vim faciat? paſſos potiùs pro fronte capillos*

Arripiam, quàm ſe noſtris ſubducat ocellis.
Occaſ. *Ai, ſine, ſponte ſequar. Sum victa; iſtiſq; morabor*
Ædibus, ad iuſtam dum vos prouexero metam.
Druſill. *Hac lege implicitis feriantur fœdera dextris.*
Occaſ. *Lex placet; implicitis feriantur fœdera dextris.*
Ang. *Laudo præſtantes Iuuenes, & pectora fida.*
Vis illata placet: neque fert OCCASIO *iniquè*
Hoc vehemens ſtudium: gaudet ſe denique cogi.
Druſill. *Nuncie ſiderei Regni, Dux inclyte noſtræ*
Præſidiumque domus, quî dignâ voce canamus
Te laudeſque tuas? Vtinam pro munere tanto,
Dum nihil occurrit dignum, vice muneris, omnes
Nos habeas: qualique modò dignatus amore es,
Dum duce te TEMPVS *diueſque* OCCASIO *rerum*
Noſtras deuenêre domos; ita deînde morari
Ne pigeat; noſtroſque optato calle labores
Dirigere, & teneros tot contra aduerſa tueri;
Vt vult noſtra ſalus, & magni gloria Regis.
Ang. *Fidite, non deero: ſuperâ promittitur arce*
Auxilium. Druſill. *Grates agimus.* Torn. *Iam,* OCCASIO, *noſtra*
Tecta ſubi, pactos nobis hæſura per annos.
Druſill. *Sic læto vultu & dulci ſermone fruemur.*

SCHE-

SCHEMA VIII.

Imprudentes ſerò ſapiunt, ſuamq́ue deplorant amentiam.

Golphus, Britto, Pontanus, Morinus, Oleander, Diaboli.

Golph. HEi mihi! quò TEMPVS? quò ſe gratiſsimus hoſpes
Proripuit? Britt. *Prô me miſerum, quòd futilis horas*
Ætatiſque meæ florem ſic triuerim. Pont. *Ineptus*
Heu nimium inſulſuſque fui! Quò OCCASIO *rerum*
Tam locuples abiјt? Morin. *O ſi mihi Iupiter illam*
Nunc ſtatuat reducem, neglectaq́ue tempora reddat!
O quàm ſinceris complecterer illa medullis!
Golph. *Vt mihi nulla breuis ſine fructu diffluat hora!*
Olean. *O mihi dilapſi fiat ſi copia vultus!*
Golph. TEMPVS, *ades! Noſtris vtinam te* OCCASIO *votis*
Obtuleris! Britt. *Nos tam veſani pœnitet orſi.*
Pontan. *Grati eritis.* Morin. *Vos amplectemur.* Oleand. *Dona placebunt.*
Britt. *O volucres Diui, pia Numina! adeſte, redite;*
Vos reuoco. 2. Diab. *Fruſtrà.* 1. Diab. *Renuũt auerſa reuerti.*
2. Diab. *Diſcite ſic rapidis expandere retia ventis.*
1. Diab. *Diſcite ſic cribro latices haurire fluentes.*

SCHE-

SCHEMA IX.

Elapſum TEMPVS & OCCASIONEM inſequuntur, non aſſequuntur.

Oleander, Golphus, Britto, Pontanus, Morinus, Diaboli.

Oleand. *Denique nunc video; Volat irreuocabile* TEMPVS,
Nec reditura—— Golph. *Tace. Socij, non omnis ademta*
Spes nobis: noua præteritorum alludit imago.
Brit. *Golphe, vides aliquid?* Golph. *Video, niſi lumina fallunt.*
TEMPVS! *ſiſte gradum.* Britt. *Cur tam pernicibus alis*
Præcipitas? Pont. *Lenteſce precor.* Morin. *Noſque adſpice præſens.*
Oleand. *Ah fugit!* Britt. *Heu! velox* OCCASIO *præterit, ora*
Detorquens aliò. Pont. *Miſeris quid denique reſtat?*
Golph. *Quid vetat iniectis manibus retinere fugacem?*
Ferte manus. Morin. *En eluctata eſt, veſte relictâ.*
Golph. *Prende capillitium, & proprio remorare capiſtro.*
Britt. *Heu! ſerò ſapimus.* POST EST OCCASIO CALVA.
2 Diab. *En auis elapſa eſt; tempuſt, captare volantem.*
1. Diab. *Curre, ſcelus, propera: miſeris impende leuamen.*
2. Diab. *Aſſulto, intendo, prenſo, reuocoque fugacem,*

Sed

Sed fruſtrà: euolitans hominum ſpes ridet inanes.
2\. Diab. *O malè conſultum! quò iam me denique vortam?*
Oleand. *Heu! ſerò ſapimus*: POST EST OCCASIO CALVA.

SCHEMA X.

Quanti damni quantique periculi ſit, OCCASIONEM neglexiſſe.

Diaboli, Golphus, Britto, Pontanus, Morinus, Oleander.

1\. Diab. *Non, vt vos fertis*, POST EST OCCASIO CALVA:
Ecce, capillatam obtendo: gaudete, tenete.
2\. Diab. *Ad barathrum, ad barathrum ſic ſic raptentur inertes.*
Golph. *O ſtultum puerile genus!* Britt. *Prô, dira ſatanæ*
Conſilia! Pont. *O ſerò ſemper meliora ſequentes!*
Morin. *Eheu me miſerum, cui ver geniale iuuentæ*
Frugis inops abijt, METANOEAQVE *ſola remanſit!*
Oleand. *Quàm dolet inſano ſic indulſiſſe furori!*
Omnes. *Parce Deus: tam veſani nos pœnitet orſi.*
1\. Diab. *Iam ſerò ſapitis.* 2. Diab. *Non eſt ſpes vlla ſalutis.*
Golph. *O genus infidum! Cùm nobis ocia dudum*
Occineres, non has fundebas perfide voces.
1\. Diab. *Nō fuerat præſtanda fides: nam, fallere, noſtrum eſt.*
Sic gruibus pedicæ tenduntur, retia ceruis.

2.Diab. FISTVLA DVLCE CANIT, VOLVCREM DVM DECIPIT AVCEPS.

1.Diab. *Deliciæ pueros capiunt, ludi, ocia, riſus.*

SCHEMA XI.

Angelus diabolo prædam extorquet, ad Pœnitentiam.

Angelus, Golphus.

Ang. H*Inc, hinc, fœda lues Erebi; fera peßima, ad Orcum.*
Non hæc tam furuis debetur faucibus eſca.
Abſtulit hos error; ſcelus admiſere, fatentur:
TEMPVS *ijt ſtudiorum*, OCCASIO *iuſta receßit:*
Sed reſipiſcendi ſpatium, atque errata dolendi,
Eſt ſuper. Ergo agite, ô Iuuenes! quod reſtat, in omne
Iam reliquum vitæ tempus, deflete latentes
Deſidiam: obſcuroſque inter, tam fœda ſtupendæ
Crimina ſtultitiæ luite: & prece flectite Diuos,
Cura quòd exſtiterit vobis tam parua ſalutis.
Golph. *Angele, fide comes, noſtræque ſalutis amator,*
Quæſo, tuêre tuos deînceps hac lege clientes;
Vt, licet ad magnas poſthac OCCASIO *laudes*
Et TEMPVS *miſeris perijt; tamen illa ſuperſit*
Anſa, patrocinio veſtro, quæ ritè piandis
Commißis ſatis eſſe queat: ne morte luamus
Æternâ, & numquam liceat ſperare ſalutem.

Ang.

Ang. *Faxo, ſed hæc faciant præmiſſa pericula cautos.*
Terreat, æternùm multorum torrida flamma,
Quos noxa inuoluit ſimilis; neque tergere fletu
Fas fuit, aut errata viæ reuocare prioris.
Terreat, exitium vix effugiſſe ſupremum:
Nam Cælo indultum vobis, quò Numina dignis
Placentur lacrymis; nec ſpes ſiet omnis ademta.
Ergo, icti ſapite; & veſtram vos carpite culpam,
Dum vitæ inuitæ ſuſpendunt ſtamina Parcæ.
Actum eſt, ſi ad veniam perit irreparabile tempus.

SCHEMA XII.

Captæ neglectæque OCCASIONIS diſpares exitus.

Beatorum chorus. Diaboli. Tres animæ damnatæ.

Beati: in cęlo. O *Pietas ſuprema, & inenarrabile donum*
Lætitiæ! Deus alme, tuo quot fonte redundant
Gaudia! FELICES, QVIBVS EST OCCASIO CORDI!
Felices, quos magna olim reſpexit ab alto
Numinis immenſi bonitas; atque vbere largo
Fontis inexhauſti ſitientia pectora fouit!
Queîs dedit, innocuo ſalebroſa pericula vitæ
Mortalis ſuperare gradu, atque euadere ad auras
Æthereas! SIT LAVS SVMMO GRATESQVE TONANTI.

1.Diab. *Væh infernales furiæ! Plutonia regna!*
Ut ringor! quàm me horriſonus furor occupat intus!
Me rabies atque inſatiabilis enecat ira.
Emorerer; pudor, & dolor, inuidiæque venenum
Tolleret; æternos niſi paſcere cogerer ignes.
Non fero, non patior. Phy, quàm pudet & piget! excors
Belua, in oblatam (vah!) quàm malè prouida prædam!
2.Diab. *Quid facimus? noſtris elapſa eſt illa catenis.*
1.Diab. *Sum ratus eſſe meam; ſed ſpes deluſit hiantem.*
Angele; væh, generis noſtri implacabilis oſor!
Inuide, ſic noſtras eludes vſque labores?
2. Diab. *Non ſatis eſt nos vnâ eademque ex ſtirpe creatos*
Exturbaſſe polo, & cæcis merſiſſe tenebris?
1.Diab. *Non ſatis eſt, vos cæleſtis ſpatia ampla palatI*
Incolere vt dominos, pulſis conſortibus; ingens
Inuidia in noſtram cudat niſi prælia gentem?
Æthereas habitate domos: ſint tartara nobis
Et noſtris ſaltem inuiolata clientibus. Ecquur
Tantus amor, noſtris arcere procaciter oris,
Quos vel ſponte iuuat ſe ſubdere Ditis Auerni
Imperio? quos caſtra ſequi, quos legibus vti
Occidui oblectat regni, patriæque nigrantis,
Teque tuoſque omnes turbam diuûmque peroſos?
O quàm nunc tentaſſe dolet! quàm pœnitet, illis
Inſidias poſuiſſe, & fruſtrà fortia facta
Tot patraſſe! modò imprudens ceruicibus iſtis
Arte meâ duo damna & atrocia flagra paraui.
Deinceps tentati ſapient: quin, tuta timebunt.

Sicque

Sicque oculis coram nequidquam retia tendam.
Nunc maiora ferent inuicti præmia, quàm ſi
Nunquam impugnaſſem, vel tela hamata vibraſſem.
2. Diab. *Sic in Chriſtiadas vis noſtra retunditur; artes*
Dum noſtras contra armantur puerilibus annis.
1. Diab. *Hem, ſcio quid faciam: nondum hinc mea caſtra mouebo.*
Peruigil incumbam prædæ, me ſiqua manet ſors.
Intereà, vacuas dum fraudant fercula fauces,
Nec pacata fames, neque ſic benè paſta voluptas;
Mens tamen eſt, aliquâ nunc me oblectare placentâ,
Amiſſamque nouâ ſic laudem laude tueri.
Produc imbelles animas, queis fraude doloque
Perſuaſi pridem, vt, dum florida curreret ætas,
Et TEMPVS *tererent, & quà ſe* OCCASIO *ferret,*
Reſpuerent; nihil aut recti aut ſequerentur honeſti:
At nunc, æternas pendunt ob crimina pœnas.
Produc imbelles animas: furor haud ſinit vltrà.
2. Diab. *Sic faciam.* 1. Diab. *His paſcar dapibus. Nam pœna nocentum*
Et tormenta, meo ſunt eſca optata palato.
2. Diab. *Huc, huc, egregiæ mentes: diſſoluite noſtra*
Veſtro damna malo. 1. Diab. *Volup' eſt, renouare dolores.*
Iamnunc quæque ſuam percenſeat ordine ſortem;
Vt mea fraus, vetereſque doli, veſtræque ruinæ
Auribus acceptæ, pariant noua gaudia plauſu.
Incipe ſpurca lues: quæ ſis ante omnia narra.
2. Diab. *Euome; quid? taceas?* 1. Diab. *Profer maledicta Charybdis.*
1. Anima. *O me infelicem, factis condigna ferentem!*

Heu, quantis crucior flammis! quàm me mala torquent
Innumera! infandi colubri! feralia ſpectra!
Nulla quies, mora nulla, eheu! ſolatia nulla.
Nulla futurorum ſpes alleuat; omnia turbant.
Heu! quò oculos vertam? dolor vndique & vndique terror.
Quis ferat hos morſus? quis viuat in igne vorante?
Eheu! quin morior? tantos tolerare dolores,
Tot tormenta, cruces, angues, peſtemque, necemque,
Nec ſcio, nec didici; tamen eſt tolerare neceſſe.
Quid faciam? Væh! cur viuum profudit ab aluo
Infelix genitrix? cur non exſtinxit in ortu?
1. Diab. *Quò raperis maleſana? tui ne oblita, furentes*
Das ſine mente ſonos? 2. Diab. *Quin quæ ſis iuſſa profaris?*
Dic age, quæ fueris quondam. 1. Diab. *Pudet eloqui? adeſdum,*
Fare, aut candenti terebrabere guttura ferro.
1. Anim. *Heu pudor! heu probrũ! quanta heu infamia, gentem*
Et mores aperire meos! Fas iure ſilentûm
Eſto frui ſaltem. Sileam, & geminate dolores.
1. Diab. *Non faciam: creſcit noſtri nam gloria facti,*
Non modò captiuâ prædâ, ſed fraude malignâ
Illectâ; creſcit generoſo ſtemmate auorum.
Tolle moras: tamen intereà haud minuetur amaror.
1. Anim. *Stirpe fui quondam clariſque parentibus ortus,*
Indole præſtanti iuuenis; ſpes vna meorum.
Ingenuus, pulchro cui gratia ſedit in ore.
Quem multi generis columen patriæque futurum,
Fixurumque Deo, cæſo hoſte, tropæa canebant.
Huc ortus, ſpes omnis, & omnis cura parentum,

Et præceptorum labor improbus, intendebant.

1. Diab. *Perge; quid hic ceſſas?* 1. Anim. *Heu pulchris quàm malè cœptis*

Conſului, dum virtuti tam commoda ſpreui

Tempora; dum ſtudiis ludumque iocoſque præopto!

Semper iners inimicitias & prœlia moui.

Nec patris monitus, lacrymæque per ora volutæ

Materna, his animum potuere auertere cœptis.

Intereà TEMPVSQVE *& fœta* OCCASIO *rebus*

Præterit; & vitiis vires creuere fouendo.

Prædo latronumque caput, pro milite Chriſti,

Graſſabar; multoſque neci, ius faſque refringens,

Crudelis mea dextra dedit: fœduſque cruore

Innocuo perij, deſperans Numen amicum.

Nunc meritas pendo pœnas Phlegetonte ſub imo.

1. Diab. *Nec ſanè immeritò.* 2. Diab. *Nam te tua praua voluntas*

Supplicio immerſit. 1. Diab. *Quanta hæc ſunt gaudia nobis!*

Hæc tu eadem narrando crea; omni ambage remotâ.

2. Anim. *Stemmate non equidem illuſtri, tamen ortus honeſtâ*

Progenie, laudandus eram: nutritus in omni

Et fidei & morum ſtudio, Muſiſque ſacratus.

Spes erat, & rerum ſeries, & vota meorum

Huc incumbebant, Medicâ vt famoſus in arte

Conſpicerer; vel Iura ſciens, patronus haberer,

Eloquio doctus populi compeſcere motus;

Audirèque, PATER PATRIAE, ASTRAEAEQ. *ſacerdos.*

Cuncta rei tantæ primordia reſpondebant.

Aſt; dum TEMPVS *iners perdo: dum nil niſi vana*

(*Vt*

(Vt fert ingenium iuuenum) conſulta capeſſo;
Heu dolor! è manibus noſtris OCCASIO *fugit.*
Deſeruit deſerta priùs: neque paruit vltrà.
Stultitiæ puduit, puduit reſipiſcere: tandem
Quas callebam artes fraudi patuêre. Nocentes
Eripui pœnis auro corruptus; iiſque
Damnaui inſontes; fœdè periurus, iniquus,
Mendax, verſutus, vecors, infamis, & effrons.
Fas, iura, & leges, quod mens ſibi conſcia dictat,
Sacra, profana, fidem, atque aras, & Numina ſpernens.
Sic fœdam eructans animam, raptabar ad Orcum.
Heu! quanti conſtas OCCASIO *perdita! quanti!*
1.Diab. *Serò ſapis: duplicant ſemper lamenta dolores.*
2.Diab. *Attamen his noſtræ mulcentur cantibus aures.*
1.Diab. *Ergo age, fæx barathri: tua fata, venefica, narra.*
2.Diab. *Ha, Ha: diſſimulat.* 1.Diab. *Noſtin' quare abnuat? olim*
Quò reliquis magis enituit, iam turpior error
Maiorem culpam parit, & pudor ampliùs vrit.
Perge, nihil refert: pudeat licet, attamen ora
Pandere opus't; & te propriâ ſuffundere voce.
2.Diab. *Ni bucam reſeras; obices poſteſque reuellam.*
3.Anim. *O miſeram! ô fœdam! ô maledictam, & dira luentem!*
O morientem animam ſemper, ſed morte carentem!
Heu! quis erit lacrymis modus? Ah, quæ meta dolorum?
Hei miſeræ! O vtinam pœnis euicta morirer!
Mors fugit, & morior: nequeo tolerare tot ignes,
Tot tormenta; tamen cogor tolerare per æuum.
O vtinam hæc celerem pariant ſibi regna ruinam!
Styx, Acheron, vaſtumque Chaos, quin tartara tota,
Mole

Mole ſuâ dêhiſcant; tali condarq́ue ſepulchro!
1.Diab.*Hæc nihil ad rhombum: memora citò perfida cauſas,*
Cur Ditis dignata domo, dignata cubili.
3.Anim.*Me ſatis obſcuri atque inopes genuere parentes.*
Nulla mihi generis, Fortunæ nulla facultas.
Pauper eram: ſed præclaris Natura bearat
Dotibus. Ingenium ſolers, præcelſa mihi mens:
Vis memorandi ingens, effandiq́ue ore diſerto:
Lumina ridebant, & eram ſpectabilis ore:
Flauaq́ue formoſo per candida colla fluebat
Cæſaries; & eram præſtanti corpore totus:
Natus ad egregias, vt res præſagijt, artes.
Educor in ſtudiis ope præſidioq́ue potentum
Certatim; quos ingenij huius & indolis altæ
Huc rapuit ſpecimen, ſpeſq́ue indubitata futuri.
Aggredior: cœptis promittunt cuncta fauorem.
Collegas extemplò omnes præuerto palæſtræ.
Mirantur cuncti; nec me capio ipſe: videbar
Ingenitas aut cælo affuſas farier artes.
Quid multa? (Ah! memini, licet hæc memini ſſe recuſem)
Fatidico vnanimes de me cuncti ore canebant,
Præſul erit quondam, ſacrâ dominabitur aulâ.
Paſtorale pedum manibus, capitiq́ue tiaram,
Omine ponebant læto; & ſublime tonantem
Fingebant cœtu medio, vel ritè litantem.
Jamq́ue adeò rata vota fuêre, adeoq́ue fauebant
Numina; vt & veris fierent quàm proxima rebus.
Quid moror? Ah! numquam ſat deploranda ſupinæ
Orgia ſtultitiæ! Dum RES, OCCASIO, TEMPVS,
Me Diuûmque hominumq́ue fauor ſuper aſtra locarent;

Solus ego aduerſis me contra calcibus iui.
Protriui TEMPVS: *ſiquando* OCCASIO *molles*
Pertentans aditus, mihi ſe & ſecum omnia ferret;
Indignabundus repuli, mœſtamque fugaui.
Me miſerum! quantas dedit hæc amentia clades!
Nam dum ſorte meâ dedignor ſtrenuus vti;
Omnia me aduerſum conſurrexere ſiniſtrè.
Pro paſtore, lupus truculentus, ouile cruore
Fœdaui, ſæuè lanians pecus; aſtraque contra,
Contemtor Superûm, demens arma impia ſumſi.
Propterea æternùm horribilis me incendia flammæ
Torrent. Hei quantum hei crucior! quàm magna malorum
Agmina me cingunt, atque incurſantia mactant
Singula mille modis! Heu quòd mors nulla ſequatur!
1. Diab. *Hem, ſatis eſt: ſic fas inuitas cogere, culpam*
Dicere, quantumcumque pudor vel pœna retardet.
Si vobis METANOEA *olim captata fuiſſet;*
Crimina confeßis fuerat ſperare ſalutem.
Nunc TEMPVS, *nunc apta* OCCASIO, *& omnis ijt ſpes.*
2. Diab. *Serò Phryges ſapiunt*: POST EST OCCASIO CALVA.
1. Diab. *Nunc dignâ cumulare decet mercede laborem.*
Quid ceſſas latro? fla, ſuffla; pix atra liqueſcat:
Bulliat, æſtuet, ardeat, excandeſcat, adurat.
2. Diab. *Pix ignita rubet.* 1. Diab. *Lepida hoc capita vnguine inunge:*
Non ſit parca manus: liquor omnes perfluat artus.
Tedia, deſidia, & torpor, tali illita nardo
Curantur. Vigilem, ſolertem, alacremque ſupinis
Subdimus his animum. 2. Diab. *Sic deſidioſus & excors,*

Et queîs nulla ſui cura eſt, Acheronte fouentur.

1.Diab.*Ite genus miſerum, ad veteres remeate dolores.*

3.Animæ ſimul. HEV, HEV! AETERNVM MISERAS! DVRE HEV DOLOR! EHEV!

EPILOGVS.

PLaudite, ſidereo queîs corda imbuta fauore
Exundant, rebuſque per ardua cœpta gerendis
Opportuna ſibi cælo data tempora captant.
Namque hominum veluti tum demum iacta ſalutis
Anchora, cùm certo voluentibus ordine ſæclis
Adfuit illa dies, quæ æterno Numinis alti
Fixa erat arbitrio; ſic mollia tempora cuique
Seruandis ſuper aſtra animis, vitæque probandæ,
Et faciles per opaca viæ, panduntur Olympo.
Tu modò ſolerti ſtudio infractoque labore
Arripe, cui ſupereſt vel ſolicitudo perennis
Vlla boni, vel qui virtutis ad ardua tendis,
Illiuſque viâ ad verum graſſaris honorem.
Gratia non deerit, comes indiuulſa patroni
Nec manus Angelici, aut OCCASIO *temporis apti,*
Si non defuerit propriæ tibi cura ſalutis.
At, quiſquis tam rara polo data pignora ſpernit;
Corruet in præceps; METANOEAQVE *ſera remordens*
Exedet ignauum pectus; crudelis Auerni
Nec minùs æternâ luet impia crimina flammâ.

APPROBATIO.

DRAMA iſtud P. Ioannis Dauid Societatis IESV Sacerdotis, de ſalutis æternæ omniſque boni OCCASIONE tempeſtiuè amplectendâ, cum voluptate totum perlegi; reperiq; omni ex parte ad ſalutis promotionem vtiliſſimum ac planè dignum, quod iuſto de OCCASIONE tractatui eiuſdem Auctoris, mihi priùs etiam viſo & probato (quemque Archipreſbytero noſtro exactiùs legendum probandumque commiſeram) ad maiorem lucem, efficacioremque animorum tactum, iungatur. Quod & nominis noſtri ſubſcriptione teſtatum volui. Actum Ipris, ipſis Calendis Maij. 1605.

Petrus Simons, Epiſcopus Jprenſis.

IN-

INDEX RERVM.

A.

Abigail prudentia in diſcreto moræ & accelerationis vſu. 124
Abner à Dauide neglecti regis arguitur. 152
Abraham hoſpitalis. 76.85.&c.
Abſalom fallentis mundi ludibrium & typus. 170
Abſentia quæruntur, quæ ſpernebantur præſentia. 146.149.165.194
Accelerationis in expeditionibus commendatio. 123.125.129.132.193
Acceleratio & dilatio quandoque pro re nata. 124
Acco vetula ſecum ad ſpeculum colloquens. 177
Adam Occaſionem neglexit. 64
Adeni oppidi victoria parta, turpiſſimè neglecta. 191
Adoleſcentes. *Vide* Iuuenes.
Adoleſcentiæ imprudentia. 43
Admirandæ expeditiones. 127
Adoniæ temeraria Regni inuaſio. 142
Aeſtimatio rerum æqua eſſe debet. 159.161
Aeternitatis deſcriptio. 6
S. Agnetis gloria reuelata. 153
Agrippa vinctus & ſolutus miro euentu. 37
Alaricus Romam cepit. 165
Alberto Magno diabolus in forma fratris apparuit. 204
Alcedonia, dies tranquilli. 90
Alexander ſuccenſuit inſumenti tempus in rem friuolam. 57
Alexandri in Aſiam traiectionis occaſiones. 31
Alexandri ſpes. 233
Alexandri plurium mundorum imaginatio. 45
Alipij lucta contra ſpectaculorum curioſitatem. 156
Alipius ab Auguſtino per occaſionem adiutus. 153
Altare ingentis magnitudinis. 25
Amani mutatio ſubita, per occaſionem. 36
Amiſſa deplorantur, quæ habita negligebantur. 149.165.194
Amiſſo claudere ſepta boue. 195
Angeli ſtudium quàm nobis cordi eſſe deberet. 18
Angeli munus in Occaſione ſubminiſtranda. 15
Angelorum gaudium in peccatorum conuerſione. 238
Angelo duce magna reſipiſcentiæ vtilitas. 242
Angelum lucis imitatur diabolus. 199.201
Anima è pilo pendet. 58
Animarum amator Chriſtus. 238
Animorum deiectio, erectioque per occaſionem. 160
Annibal Romam capere non potuit, cùm voluit. &c. 183
Annibal plus timebat Fabium cunctantem, quàm Marcellum pugnantem. 30
Annibal cunctãdo fruſtratus ſpe ſua. 133
Annibalis victoria ad Cannas, qua occaſione. 139
Antigonus Occaſionis obſeruator. 28
S. Antonij viſio, temporis diſtributioni ſeruiens. 57
Apollo per Gregorium Thaumaturgum obmutuit, & loqui permiſſus. 87
Aquæ hauſtus opportunè datus, quantæ efficaciæ. 38
Aquæ fluxui temporis fluxus comparatur. 119
Araneus captas muſcas inuoluit. 216
Arcæ ſanctæ præſtantia. 35
Arcæ Noë conſtructionis obſeruatio. 52.64
Arcus in nubibus, telo deſtitutus. 240.
Arius ſcintilla primùm, poſteà incendium fuit. 131
Arma togæ cedunt. 35
Arſenius ſtudioſè occaſionem mali vitabat. 263
Artaxerxi aqua è manibus dono data. 36
Aſinaria porta cuſtodienda. 72
Aſſenſus in malum, quarta cauda diaboli. 216
Aſſueri regis donaria. 94
Aſtus auſuſque diaboli. 230
Aſyli immunitas. 181
Athenienſes non niſi pullis induti pacem

 petebant.

petebant. 147
Athenienſes in Areopago ſuperſtitioſi. 151
Auaritiæ deriſæ punitæque in Ruffino ſpectaculum. 100
Auaritiæ pœna. 113
Auaritia Simoniacæ labis. 207
Auaritiæ occaſio fugienda. 262
Aucupes imitatur diabolus. 169
Aues captare volantes. 194
D. Auguſtino faceta ſalutis occaſio obtigit in mendico. 152
Auguſtini lucta inter bonum & malum. 218
Auguſtinus ſororis contubernium vitabat. 263
Auguſtinus admirabilis occaſionis obſeruator. 256
Auguſtini furtum, non niſi per conſortium. 219
Auguſtinus catenam peccatorum deſcribens & deplorans. 221.&c.

B.

Babyloniorum in Danielem inſidiæ. 24
Balaam ab aſina increpatus. 16
Balaam cadens apertos habuit oculos. 155
Balaami peruerſum iudicium & conſilium. 164
Balſaſar rex ſibi placens, inſipiens factus eſt. 174
Beatitudinis æternæ gloria. 247
Beatitudine æterna hoſpitalitas compenſatur. 97
Beatitudinis æternæ quædam propinatio. 105
Behemoth, diabolus, caudam ſtringit vt cedrum. 217
Beliſarij incuriâ Roma perdita. 175
Bellici inteſtini motus ſubitò opprimendi. 131
Bellicis in rebus occaſio. 26.&c.
Bellica exempla. Vide Indicem Exemplorum.
Bellum ventis inferre. 178
S. Benedicti ſplendidus è viuis exceſſus. 253
Beneficentiæ efficacia. 93
Beneficiorum contemtus. 61.67
Berenice Ptolomæum maritum à ludo ad ſeria reuocat. 49
S. Bernardus diaboli deſcribit aſtutiam. 168
S. Bernardi charitas erga ſeductum. 235
Bibliothecam Studitarum exuſſit Leo Armenus. 77
Bilanx & trutina, deliberatio. 159
Blandi inſidiatores ſcorpionibus ſimiles. 216
Bœotum craſſus aër. 178
Bouis & aſini gratitudo. 19
Branchiam piſcis arripere, eſt diaboli vires elidere. 223

C.

Cæcus videns; Abij, Laui, Vidi. 132
Cæcutientes in propria cauſa. 157
Cæſar exceptus mensâ, gratus hoſpes fuit. 85
Cæſar; Veni, Vidi, Vici. 132
Cæſaris induſtria bellica. 137
Cain blandè eduxit Abelem, cùm vellet occidere. 169
Cain occaſionem neglexit. 64
Calliconis ſtultitia. 148
Calumniatorum princeps Medius. 216
Cancri molitio in oſtreum. 22
Canius Iulius à ludo latrunculorum ad mortem. 49
Canticum Domini in terra aliena importunum. 155
Carpi exemplo ſperet peccator. 240
Catellorum ius. 139
Catena peccatorum oblonga & miſeranda. 221.243
Caudæ ſeptem diaboli. 213.220
Caupones quoſdam dæmon imitatur. 169
Celeritas. Vide Acceleratio.
Certamen bonum & legitimum. 251
Cham occaſionem non arripuit. 65
Charitas refrigeſcit. 69
Chriſti aduentus in mundum opportuniſſimus. 56
Chriſti triumphus. 94
Chriſtophori Luſitani laus, ob ſalutis curam. 54
Chriſtus hoſpitio exceptus à S. Gregorio. 76
Chriſti vis attractiua. 238
Chriſtus ſe hoſpitis more geſſit. 96.98

Chriſtus à ſuis malè habitus. 107
Chriſtus in ſpecie leproſi à Martyrio monacho geſtatus. 97
Cicatrices peccatorum. 176
Circumſtantiarum occaſio. 30
Clepſydra quid deſignet in tempore. 8
Compendium & diſpendium temporis. 49
Concio Occaſionis. 148
Concio Sapientiæ. 148
Conſideratio, quaſi rationum conſtellatio. 160
Conſiderationis energia in deliberatione. 160
Conſolatio puſillanimium multiplex. 233.238. &c.
Conſtanrinopolitanum incendium prædictum, non cautum. 166
Conſuetudo mala, res peſſima. 218
Conuerſionis exempla. Vide Indicem Exemplorum.
Conuerſio vera, fœtus maſculus. 96
Conuerſio Amanguccici populi, occaſione ſputi. 189
Conuerſionis veræ feruor. 228
Corona legitimè certantibus debita. 250
Corpus, hoſpitium animæ. 85
Crerenſium grauiſſima exſecratio, qualis. 218
Critolai libella, animi corporiſque bona librantis. 163
Crœſus non credens conſilio, à Cyro victus & captus. 186
Crucis ſtudium ſalutare. 105
Cura temporis curæ terrenę pręferēda. 53
Cura ſalutis eximia in extremè vulnerato. 55
Curioſitatis tentatio. 156.196

D.

Damnatio æterna. 210
Danielis Stylitæ præmonitio, de incendio Conſtantinop. 166
Dauid Rex ab Angelo inſtructus. 17
Dauid, Chriſti typus. 98
Dauidis manſuetudo. 111
Dauidis lapſus. 22
Dauid pſallens & ſaltans, magnus ſui triumphator. 140
Dauidis in expeditione acceleratio. 129. 131.134.
Dauidis loco, ſtatua ſuper lectum poſita. 179
Deboræ Propheteſſæ virilis animus. 35
Dei dona ſpernentium ingratitudo. 61
Dei benignitas. 70
Dei manus protenſa apprehendenda. 71
Deliberatio iniqua. 158
Deliberatio iuſta. 160.&c.
Deliberatio cum defectu iudicij claudicat. 164
Deſperatio in ſpem & victoriam verſa. 35
Deſperationis illecebra. 168.230.&c.
Deſperationis remedia efficacia. 230.&c.
Dextra Ruffini ludibrio expoſita à militibus. 101
Diaboli ſtudium in occaſione ad malum ſubminiſtranda. 19
Diaboli piſcatio. 21.167
Diaboli nequitiam imitantur peruerſi. 23
Diaboli ſtratagemata. 72.85. 114 167. 169.201
Diaboli cartilago, ſimulatio. 202.204. 210
Diaboli inſidias detexiſſe, viciſſe eſt. 203. 209.211
Diaboli ſtudium, vt tempus teratur. 41
Diaboli inſtigatio ad Occaſionis contemtum. 61
Diaboli dolus, Tryphonis & Alcimi ſimulationi comparatus. 210
Diaboli caudæ ſeptem. 213.&c.
Diaboli catena horrenda. 222
Diaboli pœnis damnatorum delectantur. 265
Diabolus in ſimulacro obmuteſcens. 87
Diabolus in Rege Babylonico figuratus. 82
Diabolus non dormit. 22
Diabolus leoni in ſpelunca latenti comparatus. 224
Diabolus ſe in angelum lucis transfigurat. 199
Dona. Vide Munera.
Drachma perdita, inuenta, peccantibus ſpem veniæ facit. 252

E.

Echinus, hieroglyphicum opportunitatis. 20
Elphegus Archiep. Cantuarienſis diaboli

boli eluſit inſidias. 209
Ephræm miro modo peccatricem conuertit. 264
Error communis per occaſionem vmbraticam peccantium. 112.182
Error ferè omnis ex amputando illo PVTANDI ſurculo pullulat. 188.191.194
Error craſſus Beliſarij in tutanda Roma. 175
Errores caſuales ſtupendi. 109
Eſau Occaſionem non arripuit. 65
Eſau ſibi ſapiens, ſe ipſe fefellit. 157.164
Eſther expeditum conſilium, cum effectu. 126
Eutropius aſyli temerator. 181
Exempla varia. Vide Indicem Exemplorum.
Expeditiones admirandæ. 127
Ezechiæ Regis imprudentia. 82

F.

Fabij cunctatio terrori Annibali. 30
Fabulla ſibi complacens faſtidita, tametſi pulchra & diues. 158
Facies diaboli velata. 201
Fallentes ſeipſos ſapientes ſibi. 157
Falx quid denotet in Temporis typo. 8
Famis tempore captanda occaſio. 31.&c.
Ferrum dum candet cudendum eſt. 90
Feſtina lentè. 124
Feſtinatio. Vide Acceleratio.
Filiorum Iſrael in Babylone lamenta. 154.&c.
Filius perditus ſpem facit errantibus. 232
Fimbriæ in Mutium calumnia. 107
Flaminij expedita ſolertia, pro re nata. 128
Fons patens, Dei miſericordia. 237
Formica docet, habendam temporis rationem. 48
S. Fortunatus Epiſcopus miram à diabolo calumniam paſſus. 83
Frænum peccatoribus diabolus iniicit. 215
S. Franciſcus admirandus Occaſionis captator. 254
Fraudis detectæ neglectus noxius. 212
Fraudulentia diaboli blanditiis variis comparata. 167.&c.210
Fronte capillata capienda Occaſio. 134.&c.
Fucus & impoſtura diaboli. 204
Fugacitati temporis vt inuigilãdum. 122
Fugiendæ occaſiones ad malum. 108.262

G.

Gallus gallinaceus Romæ nomine appellatus. 165
Gedeon Occaſionem arripuit. 17
Giezi punita cupiditas. 110
Gloria cæleſtis eorum qui Occaſionem ſunt amplexi. 247
Gloria æterna. Vide Beatitudo.
Gloriæ ſplendor Occaſionem colentium. 253
Gratiæ diuinæ præſidium. 12
Gratiæ, virgines. 145
Gratiis inuitis nati. 75
Gratitudinis ſtudium. 75.89
S. Gregorij adhuc viuentis gloriæ ſigna. 253
S. Gregorij hoſpitalitas, qua & Chriſtum excepit. 76
S. Gregorius Thaumaturgus à Sacrificulo Iouis exceptus hoſpitio, nec fruſtrà. 87
Gygis annulus nihil ad Chriſtianum. 112

H.

Hæretici ſcorpionibus ſimiles. 216
Hæretici ſimiles vulpibus Samſonis. 219
Halcyonis auiculæ præſagia. 90
Halcyonidæ, ſerenitatis dies. 90
Hallucinatio vmbram pro re captantium. 173
Hanon rex, in legatos Dauidis iniurius. 101
Hieroglyphicum inanis ſtudij. 167
Hieroglyphicum opportunitatis echinus. 20
S. Hieronymus quàm ſtudioſus Occaſionis ſectator. 254
S. Hilarion vitium proprietatis in cicere ſuboluit. 205
Hirundines docent accelerationem. 125
Honorius Imp. cùm Romam perditam inaudiret, gallum gallinaceum ſic appellatum perditum exiſtimabat. 165
Horarum diſtinctarum vſus. 48

Horiperdæ, frugiperdæ. 45
Hoſpes ingratus, notatus ſtigmate in fronte. 84
Hoſpes infidelis dirè mulctatus. 88
Hoſpitalitatis officium. 75.86.89
Hoſpitalitatis præmia. 85.&c.89.95 97
Hoſpitium animæ, corpus. 85
Hoſpitum typo Dei dona pinguntur. 76
Hoſtes animæ, hoſpitio non excipiendi. 81.83
Humilitatis veræ efficacitas. 141

I.

Iacob patriarcha Occaſionis obſeruator. 31
Iacob & Laban. 66
Iactura incomparabilis neglectæ Occaſionis. 193
Iahel, mulier fortis & prudens. 141
Iberorum induſtria in Occaſionis obſeruatione. 28
Iephte filia patri hoſtia facta. 149
Ignauiæ detrimentum in rebus agendis. 132.166
Imaginem pro re ſectantium inſcitia. 174
Importunum opportunum quandoque, diuerſo reſpectu. 122
Incendium ſubitò reſtinguendum. 131
Incuria in rebus maximis intoleranda. 166.175
Incuriâ merâ Roma ſemel perdita. 72. 165.175
Incuria neglectæ Occaſionis, iniuria eſt. 266
Infidelitatis pœna. 84.89
Ingrati hoſpitis typus. 84.98.102
Ingratitudinis deteſtatio. 34.61. 67.70. 99
Inhoſpitalitas & indignitas. 77
Inhoſpitalitatis iuſta punitio. 98
Inimicorum, non dona, dona. 212
Inſenſati, qui quoduis tempus ad quiduis aptum exiſtimant. 182
Ioas rex Iſrael Eliſeum ægrotum inuiſens, quid egerit. 190
Iocus malus ſeriâ pœnâ rependitur. 146
Ioſeph venditus, ſolatio miſeris. 232
Ioſeph Occaſionis obſeruator. 31
Ioſephi caſtimonia. 111
Ioſephi fratres Occaſionē neglexerūt. 66
Irriſores irridentur. 247
Iſraelitici populi ingratitudo. 67
Iudas à Phariſæis primùm blandè exceptus, poſtremò in deſperationem adactus. 170
Iudæ loco Matthias electus. 79
Iudæ ſolertia, in Occaſione ad malum quærenda. 19
Iudæis relictis, itum ad Gentes. 78
Iudicantium malè, temeritas. 164
Iudicij nouiſſimi tempus. 51.54.110. 141.165
Iudicium proprium, ſtatera doloſa. 158. 183.186.194
Iudicium puerile quorumdam in rebus ſeriis. 183
Iudith ab Angelo directa. 18
Iuliana virgo diaboli detexit aſtutiam. 204
Iulianus hoſpitator. 87
Iuuentutis lubricitas. 41
Iuuenum imprudentium proteruia. 41. 43.61.76
Iuuenum prudentium gratitudo & alacritas. 75.103.&c.

L.

Laban Occaſionem non obſeruauit. 65
Labyrintho ſimilis Temporis explicatio. 1.6
Lampas contemta, Sapiens neglectus. 34.186
Laniones imitatur diabolus. 169
Lapſus in peccatum facilis, difficilis exitus. 168
Largitio, & benignitas. 103
Latronis iuſti præconium. 228
Laus proprio ſordet in ore. 158
Legitimè certātibus debetur corona. 250
Leo Armenus Studitarum monaſterium incendit. 77
Leproſorum acceſſu ſoluta Samariæ obſidio 38
Lex præſcripta certamini. 251
Libella deliberationis exacta. 159.162.
Liberalitas & munificentia. 93
Libertatis malæ vitanda Occaſio. 263
Loci Occaſio percommoda. 28
Loth generi, contemnentes Occaſionem, extincti ſunt. 65
Luculli expeditio per accelerationem, aduerſus

uerſus Mithridatem. 128
Lucrum temporis inæſtimabile. 58
Ludi paſtorales. 50
Ludi periculoſi in rem ſeriam verſi. 109
Ludus perdentium tempus deplorandus. 48
Ludus latrunculorum. 49
Ludus teſſerarum. 49.109
Ludus puerorum, ſe mutuò per ordinem tranſilientium. 214
Lupus innoxiam ouem culpat. 108

M.

Macareus, Bacchi ſacrificus infidelis, vt periit. 88
S. Macarij exemplo conuerſus Tribunus. 189
Magnetis & ſuccini vim attractiuam imitatus Chriſtus. 238
Magnum paruũ, in tempore datum. 36
Mali diabolum imitantur. 23
Mali propriè nulla datur Occaſio. 106. 260
Malitia aperta, cauda quinta diaboli. 217
Mali Punici præſtantia. 37
Manibus Dei inſcripti ſumus. 237
Maunæ contemtus, eiuſque præconia. 68
Marci Catonis expeditio, in acceleratione. 128
Mardochæi acceleratio in neceſſitate. 126
B. Maria excepit hoſpitio Dei filium. 86
Maria Moyſi ſoror leprâ pœnas dedit. 107
S. Mariæ Magdalenæ ſolertia in Occaſione ſalutis ſectanda. 257
C. Marij ſolertia in Occaſione capienda. 28
Marthæ hoſpitalitas. 86
S. Martinus aurigam acutè commonuit. 124
Martij imperatoris prudens deliberatio. 160
Martyrij palmâ donatus latro in cruce. 228
Martyrius monachus Chriſtum in formâ leproſi geſtauit. 97
Medius, Alexandri paraſitus, calumniatorum princeps. 216
Mendacij lupus tempus. 10
Mendicitas læta, vt mouerit Auguſtinum. 153
Mentis obnubilatio, prima cauda diaboli. 213
Mentis inflexio, cauda ſecunda diaboli. 214
Mentis infrænatio, tertia diaboli cauda. 215
Mercatores imperiti, peccatores. 45
Merendi Occaſiones in operibus charitatis. 69. &c.
Meretrices ex Gratiis faciunt, qui eis abutuntur. 145
Meretricum merces, eò vnde. 146
Meretrix ſolo picti Polemonis adſpectu conuerſa. 189
Metanœa ad tormentum, quæ. 265
Metanœa, dolor remanens Occaſione elapſa. 147.154.166.170.190.193. 196.224.264
Metanœæ efficacitas ſingularis. 227. 243
Midæ votum ridiculum. 113
Miles rudis, leges certaminis ignorãs. 252
Minatur Deus, ne feriens tangat. 241
Miſeri cur maneamus, hoc tempore. 71
Miſericordia Dei immenſa erga peccatores. 233. &c. 237
Miſericordia Domini, arcui ſine ſagitta, in nubibus, comparata. 241
Miſericordię operum neglectus. 69
Miſeriæ perditorum cum beatorum ſalute collatio. 266
Mithridatis induſtria, Occaſionis momenta librantis. 30
Mons Sion, Eccleſię ſpecula. 177
Mora in omni expeditione odioſa. 123. 129.131
Mora in tempore, pro re nata. 124
Monachi Meſopotameni deceptio diabolica. 208
Mors æterna. 220
Morti proximo, quæ mens ad alia? 50
Mortis meditatio. 44
Mortis neglectus. 49.196
Moyſes Occaſione prouectus, Deo prouidente. 32
Moyſis cum Deo conſortium. 68
Mulier magna, Sunamitis, hoſpitalis. 95
Mulier adultera à Chriſto dimiſſa; ſolatio eſt peccatoribus. 239
Mundani gaudij extrema luctus occupat. 145.220

Mundi

Mundi fallentis typus. 170
Mundi amatores vani. 45.170
Mundi ſapientium inſipientia. 104.164. 243
Munera præmiaque hoſpitalitatis. 85. 95.103
Munerum efficacia. 95
Mutatio rerum ſubita, per Occaſionem. 36

N.

Naaman Occaſionem admiſit. 37
Naballi punita ruſticitas & ingratitudo. 98
Naſſa diaboli; naſſæque piſcatoriæ deſcriptio. 167
Nathan & Bethſabee induſtria, in Regno Salomoni aſſerendo. 142
Neglectus præmonitionis incendij Conſtantinopolitani. 166
Noë arcæ conſtructio neglecta in tempore. 52.64
Noëmi cum Ruth Occaſionem captarunt. 32
Noſce tempus. 9
Nundinatio mundi fallax. 45

O.

Obedientia melior victimâ. 187
Obſidio Samariæ mirabiliter ſoluta. 38
OCCASIO benemerendi numquam deeſt. 139
Occaſio quomodo depingatur. 10
Occaſiones ad bonum ab Angelo ſubminiſtrantur. 15.&c.
Occaſiones in malum à diabolo procurantur. 21.23
Occaſio captanda. 26
Occaſio loci. 28
Occaſio temporis. 29
Occaſio rerum. 30
Occaſio rerum gerendarum mater. 30
Occaſionis vtilitas. 31.34
Occaſionis contemtus. 63
Occaſionem ſpernentium ingratitudo. 61.&c.
Occaſionis acceptæ commoda. 93.137. 189
Occaſionis neglectæ punitio. 98.100. &c.
Occaſionis amiſſę lamēta. 154.166.227
Occaſionis admiſſæ exempla. Vide Indicem Exemplorum.
Occaſiones ad malum fugiendæ. 111. 108.282
Occaſiones erroneæ admirandæ. 109
Occaſionis ad malum calamitas. 110. 113
Occaſio mali non excuſat à malo. 113
Occaſio rerum gerendarum gubernatrix. 129
Occaſio ſiſti poteſt, tempore præterlabente. 117
Occaſionem arripientium negligentiumque diuerſitas. 134.191
Occaſiones maleuolè acceptæ. 109
Occaſio victoriæ Cannenſis ex errore oborta. 139
Occaſionis & Sapientiæ conciones. 148
Occaſio adſtat quandoque ignorantibus. 151
Occaſionis momenta libranda. 161.191
Occaſione neglecta, circa vmbram palpitatio. 173
Occaſionis amiſſæ idea phantaſtica. 174
Occaſio præceps. 175.195
Occaſionis contemtores, vt inſenſati, deridentur. 177.181.264
Occaſionis imaginariæ ſimulacrum. 178.199.206
Occaſionis neglectæ, deplorandum toti Reipublicæ Chriſtianæ exemplum, memorandum. 191.&c.
Occaſionem obſeruans, vt legitimè certans, coronandus. 250
Occaſionis obſcura nonnunquam ſpecies abſtergenda. 258
Occaſionis vocabulum in S. Scriptura in malum acceptum explicatur. 260
Occaſio dextrâ manu data, ſiniſtrâ capienda non eſt. 268
Ocij & negligentiæ damnum, Dauidis exemplo. 22
Ominis boni neglecta Occaſio. 190
Oneſiphori hoſpitalitas cælo compenſata. 97
Operum bonorum retributio. 70.86.97
OPPORTVNITAS captanda. 120.181
Opportunitatis auctoritas. 27.55.99. 135.141.181
Oratio trutinata, quæ. 163
Orationis Martij Imp. ad milites efficacia. 161

Oris diabolici medium, quale. 201
Oſtrei oſcitantia perículoſa, ſic & noſtra. 22
Ouis perdita, ſolatur errantes. 231

P.

Pacem pullis veſtibus petere. 147
Palmæ ſignificatio. 103
Paruum, magnum per occaſionem. 36
Paſtores negligentes increpantur à Domino. 236
S. Paulus certator legitimus, & ſedulus Occaſionis obſeruator. 250
S. Paulus Occaſionem auaritiæ amputat. 262
Paulus eremita primus, quàm acer Occaſionis captator. 254
Peccati merita pœna. 113
Peccator, calamus quaſſatus. 236
Peccatorem qua induſtria Deus in ſpem erigat. 234
Peccatori ſpes veniæ, ſacra anchora. 235
Peccatorum ſingularis cura Deo. 238
Peccatum leue primùm facit diabolus, poſteà grauiſſimum. 167.169
Peccatum quantopere deteſtandum. 112
Peccatorum catena terribilis. 221
Pecuniæ impotentia. 207
Petra ſalis Sapientiæ typus. 16
Phanraſtica quibuſdam Occaſio obtruditur. 176.179
Pharao contemſit Occaſionem. 67
Philiſthæi, per Occaſionem, viri ex non viris facti. 35
Philiſthæorum in Samſonem molimina. 24
Phryges ſerò ſapiunt. 195
Piſcatio diaboli. 21.167.208
Piſcatio ſalutaris neglecta. 21
Piſces docent nos accelerationem. 128
Piſces è naſſa eſcam petentes. 168
Plinius maior nepotem ambulantem obiurgauit. 46
Pœnitentiæ veræ defectus, cauſa tantarum miſeriarum. 71
Pœnitentiæ dolor. Vide Metanœa. Fructus. 228
Pœnitentia, & ſpes veniæ, ſacra anchora. 235
Polemon ex ganeone per occaſionem Philoſophus. 42
Polemonis picti occaſione conuerſa meretrix. 189
Portæ aſinariæ commune periculum. 72
Præmia hoſpitalitatis. 84
Præſentis temporis deſcriptio. 8
Præſentia contemta, deflentur & quæruntur amiſſa. 194
Præſumtuoſorum temeritas. 183.185.187
Præteritis icti, vix futuris ſapiunt. 151
Prætoriani milites per errorem ferè imperatorem trucidarunt. 109
Primi nouiſſimi, & contrà. 228
Propinatur quodammodo nobis æterna beatitudo. 105
Prouidentia diuina. 56.152.&c.
Prudentes Iuuenes Occaſionem amplexantur. 75.136
Prudentium gratitudo, & laus. 75.78.80.248
Pſylli AVSTRO bellum inferunt. 178
Ptolomæus à Berenice vxore prudentiam diſcit. 49
Publius Scipio ſedulus Occaſionis obſeruator in bello. 30
Puellæ captiuæ conſilium vtile Naamano. 37
Puſillanimium multiplex conſolatio. 233
PVTABAM, imprudentium dictum, multa mala progerminans. 188

Q.

Quæ præſentia contemnimus, dolemus amiſſa. 194
Quænam Occaſionis concio. 148
Quærere & acquirere, multum: ſed tueri non minus. 166
Quærens occaſiones recedendi ab amico, exprobrabilis. 25
Quęrens occaſiones dimittendi vxorem, à Deo culpatur. 24
Quæſierunt Babylonij occaſionem contra Danielem. 24
Quęſiuit Deus Occaſionem contra Philiſthiim. 102
Quàm paruum, quàm magnum fit, per Occaſionem! 36
Quàm ſit periculoſa tergiuerſatio. 134
Quantum malum conſuetudo mala. 218
Quaſſatus calamus, peccator. 236

Qui

Qui vicerit, coronabitur. 252
Quiduis quouis tempore attentantium vanitas. 187
Quinque imprudentium proteruia. 41. 265
Quinque prudentium virtus & ſtudium. 75.265
Quomodo futura quaſi præſentia effici queant. 150

R.

Rahab meretrix, ab hoſpitalitate laudata. 96
Rebecca captauit occaſionem. 31
Recreatio honeſta, licita. 53
Reditus Chriſti ex Aegypto, per Angelum procuratus. 18
Regina Saba coram Salomone ſtupeſcens, gaudium beatorum incomprehenſibile figurauit. 248
Regni cæleſtis occaſio obuia. 105
Regni Saulis ſciſſio, pallij ſciſſione ſignata. 187
Relapſus iteratos Iſraëlitarum imitamur. 70
Religioſi proprietarij vitium S. Hilarion in cicere eſt odoratus. 205
Rem negligentes, vmbram captant. 173
Remedia efficacia contra deſperationem. 230.&c.
Reprobatis ingratis meliorum electio. 78
Reuelationes beatitudinis. 253
Ridiculum ſe facit, qui opportunitatem temporis non putat in quacumque re obſeruandam. 121.177
Roma per portam ASINARIAM à Totila capta. 72
Roma per Alaricum intercepta. 165
Roma per Totilam incuriâ Beliſarij capta. 175
Ruffini triſtis exitus, & ludibrium. 100

S.

Sagittarum ictus, boni ominis. 190
Sagittario malo Deus minans comparatur. 241
Salutis incuria dolenda. 72
Samariæ obſidio ſolutioque. 38
Samaritanus noſter Chriſtus. 98
Samſon malè exceptus. 102
Samſonis vulpes, hæretici. 219
Sanctitas ſimulata, cauda quinta diaboli. 217
Sanctorum fidelitas & conſtantia. 112
Sanctorum gloria, pro ſalutis Occaſione benè obſeruata. 248
Sapientes ſibi, falluntur à ſemetipſis. 157.164.193.205.208.259
Sapientis tametſi pauperis præſtantia. 34
Sapientia & ſcientia ſanctorum, qualis. 104
Sapientum mundi inſipientia. 104.164. 259
Saturni deſcriptio. 9
Saul reprobato, Dauid eligitur. 79
Saulis prima expeditio bellica admiranda. 127
Scientiæ munus eximium. 104
Scipio Africanus Occaſionem in bello commendat. 28
Scipio minor Occaſionem obſeruauit. 29
Scorpiaca diaboli cauda. 216
Scorpionis vulnus, hæreticum dogma. ibidem.
Semei ad nequitiam promtitudo. 107
Semei ſolertia, ad captãdam occaſionem, in periculo capitis. 137
Sera, plerumque nulla. 132.166
Serò cum Phrygibus ſapientes. 147.166. 194.&c.
Sertorius dux Romani exercitus, vt tempus redemerit. 46
Simulacrum Occaſionis imaginariæ. 178
Simulatio, cartilago diaboli. 202. 205. 210
Siſara per Occaſionem ex ſemiuiro vir factus. 38
Socrati ſtatua ab Athenienſibus poſt ſupplicium decreta. 195
Spectaculum deflendum Occaſionis neglectæ circa Adenum. 192
Spectaculum ex interemti Ruffini manu. 101
Spectaculum orbis Eutropius. 181
Spes ex deſperatione ſumpta. 35
Spes in dolij labro hæreſcens. 196
Spes veniæ peccatoribus data. 233.236
Spes anchora ſacra. 235
Spei meritum. 234
Sphæra quid in typo Temporis deſignet. 8

Spiritus hæreticorum, ater an albus, ignorabat Zuinglius. 179
Spiritus immundus deſertum requirit hoſpitium. 82
Sponſa Maialis ridicula. 63
Sponſæ inuerſæ ſimulacrum. 62
Sponſi Penelopes nebulones. 53.136.169
Sputi occaſione conuerſio populi. 189
Stactei à morte ſuſcitati relatu, conuerſi duo iuuenes ſancti Ioannis Euangeliſtæ diſcipuli. 243
Statera doloſa, iudicium proprium. 158.164
Statera deliberationis exacta. 159.&c.
Statua loco Dauidis in lecto ſuppoſita. 179
Statuæ inſtar in lecto, Xenocrates. 180
Stephanus Gamma, cunctando fruſtratus. 133
Stratagemata. 30.72.137
Studitarum occaſione, Catholici bonas artes acceperunt. 77
Stultorum eſt, dicere, Putabam. 188
Stulti luctus pluſquam mortui. 149
Stultus Nabal punitus pro meritis. 98
Stultitia Calliconis. 148
Stultorum conditio ridicula. 206
Subito in caſu quid facto opus. 50
Succini naturam imitatur Chriſtus in peccatoribus attrahendis. 238
Superba prauorum potentia, diaboli cauda. 217
Suſannæ pudicitia. 111
Suſannæ trutina in deliberatione iuſtiſſima. 162

T.

Talentorum Euangelicorum figura. 103
Tarditas in expeditionibus inuiſa. 192
Tarditas. Vide, Mora, & Acceleratio.
Temeritas Simonis Magi. 207
Temeritas & pœna malè iudicantium. 164.183.&c.
Tempeſtiuitatis vtilitas. Vide Opportunitas. 27
Tempus, quid ſit. 1.4
Tempus quando inceperit, & quando finietur. 3.6
Tempus, quomodo ſe habeat ad æternitatem. 6
Tempus quare cum talibus inſtrumentis depingitur. 7
Tempus dux & lux Occaſionis. 11
Tempus pretioſiſſimum. 41.46.&c.53
Tempus fallentium inſipientia. 41.&c.
Tempus redimendum. 46.58
Temporis gratiæ opportunitas. 12.56
Temporis opportunitas maximi facienda. 55.120.181
Tempus iuuat, quando fauet. 90
Tempus ad malum, nullum datur. 106
Tempus præſens, præteritum, & futurum. 119
Tempus quoduis non ad quiduis accommodum. 182
Tempori fit iniuria, quando ad malum expenditur. 110
Temporis fluxus varius aſſiduè. 180
Temporis iactura turpiſſima, quæ per negligentiam fit. 180
Tentatio diaboli detegenda. 211.243
Tentationis ad deſperationem remedia. 230.&c.
Tentationis lucta mirabilis in Alipio. 156
Tentator Chriſti, in ſpecie (vt putatur) viri religioſi. 204
Tergiuerſatio odibilis. 123.129.131
Terrenis addicti. 214
Teſſerarum ludus, & corporum caſus differunt. 49
Thaumaſtus ſeruus, per hauſtum aquæ opportunè datum, mirè ſublimatus. 38
Thomæ Didymi illuſio. 199
Thomæ alterius faſcinatio. ibid.
Thomæ cuiuſdam tertij deceptio. 200
Titio fumigans, obnubilatio, cauda prima diaboli. 213
Titus Veſpaſianus exactus temporis trutinator. 47
Tobias adiutus ab Angelo. 17
Totilas Romam capit, per portam ASINARIAM. 72
Totilas Romam capit, Beliſarij neglectu. 175
Tranſitio ab indignis ad meliores. 78.80
Trutina, iuſta rerum æſtimatio. 159.161
Trutinata ſententia, qualis. 163
Tryphon & Alcimus, diabolicæ ſimulationis typi. 210
Turcici imperij clauis per OCCASIONEM oblata, turpiſſimè neglecta. 191.&c.

V.

Vagaonis eunuchi lenocinium erga Iudith. 62
Venator aſtutus, diabolus. 168
Venatores captâ prædâ, quid agant. 200. 215
Veniæ ſpes addictiſſima. 233
Vento AVSTRO Pſylli arma mouent. 178
Ventum pugno ſtringere. 176
Veritas, temporis filia. 10
Victori corona debetur. 252
Victoria ſui, maxima, Dauidis exemplo. 140
Victoria Romæ ferè parta, neglecta. 175
Victoriæ Cannenſis occaſio. 139
Victoriȩ occaſio neglecta, circa Adenum. 191
Vidua Prophetæ per Eliſeũ ſeruata. 138
Viduȩ Sarephtanæ hoſpitalitas remunerata. 94
Vigilum dormitatio. 152
Villicus iniquitatis, ſolatio peccatoribus. 231
Virga ferrea & longa, æterna damnatio. 221
Virgæ in aurum mutatæ. 243
Virginitatis amiſſȩ luctus. 149
Virginum cura. 24
Virtutum ſpeciem vitia induunt. 203
Virum ex non viro facit Occaſio. 35
Vita, via ad mortem. 50
Vitæ longioris ſpes fallax. 44
Vitæ tempus vt expendendum. 51
Vitia virtutes æmulantur. 202. &c.
Vmbram pro re captantium inſipientia. 173. 206
Vmbraticæ occaſiones variæ. 176
Volſcorum fraudulenta legatio. 25
Volucrem captare volantem. 195
Vota ſtultorum præpoſtera. 145. 155. 194
Vtendum conceſſis, in tempore. 105. 194
Vulpecula leonis eluſit inſidias. 223
Vulpibus Samſonis hæretici comparati. 219. &c.

X.

Xenocratis continentia. 180

Z.

Zacchæi ſolertia ex futuro prȩſens faciens. 150
Zeli defectus multum nocet rebuſpublicis. 61
Zuinglius, à ſpiritu atro an albo didicerit, ignorat. 179

IN-

Propria nomina, quòd rebus æquè atque exemplis ſeruirent, in rerum Indicem ſunt relata.

A.

Abiectio animi, ex hoſtium metu. 35
Abiectio animi, in obſidione ciuitatis. 128
Abiectio animi, ob profligatũ exercitũ. 160
Abiectio animi, ob rerum egeſtatem. 16
Vide infrà, Animorum erectio.
Acceleratio in rebus gerendis. 123.127. &c. 132.193
Adeni oppidi victoria in manus data, neglecta turpiſſimè. 191
Ambitio. 100.152
Ambitio, inuaſioq; Regni mox eliſa. 142
Angelorũ officiũ in noſtri obſequiũ. 16.&c
Animorum erectio, in rebus afflictis. 16
Animi erectio, in articulo mortis. 55
Animorum erectio ad recuperandam victoriam. 160
Animorum erectio ex deſperatione ipſa ſumta. 35
Animorũ erectio ad præclara facinora. 17
Animi erectio, in extrema neceſſitate. 58
Apparitio Chriſti, vide, Chriſtus.
Apparitio Sanctorum, vide Viſio.
Aſinina quorumdam incuria, circa portam Aſinariam. 65.72
Aſtus diaboli, vide, Diaboli fraudulentia; & Inſidiæ.
Aſyli immunitas ab eodem violata & vſurpata. 181

B.

Beatitudo cæleſtis. 97.249.253
Bellandi opportunitas, vide Occaſio. 124
Bellãdi cupiditas intẽpeſtiua. 30.185.187
Bellandi lex ſuperſtitioſa. 137
Bellicæ expeditiones. 127.167
Bellicoſi milites, vide Pugnaces; & Victoria.
Bellum Auſtro vento qui inferant. 178
Beneficentia. 36. *& ſequentibus.* 93
Beſtiarũ quadã prudentia. 19.20.90.126

C.

Calumnia. 24.46.83.101.107.216
Calumniatorum princeps. 216
Caſtitas, vide infrà, Continentia.
Charitatis opera. 87.95.97
Vide Miſericordia.
Chriſtus apparens, iterũ pati paratus. 240
Chriſtus vt hoſpes in hoc mundo. 76.86
Chriſtus in forma leproſi in humeros ſublatus. 97
Confeſſio peccatorum. 55
Conſiderationis libella. 160
Vide, Deliberatio.
Conſilium bonum. 37.124.130.142
Conſilium bonum neglectum. 16.166. 186.210.212
Conſilium malum. 62.101.164
Conſolatio. 101
Conſortium. 156
Conſtantia. 162
Conſuetudo mala. 218
Contemtus ſpiritualiũ & cæleſtium. 68.78
Continentia. 180.263
Vide, Zelus pudicitiæ.
Conuerſio peccatorum. 238
Conuerſio filij prodigi. 232.235
Conuerſio fratrum S. Bernardi. 244
Conuerſio duorum Iuuenum, audita voce ſuſcitati à mortuis. 243
Cõuerſi populi, occaſione ſputi tolerati. 189
Conuerſio Alipij, per occaſionem. 156
Conuerſio Sacerdotis Apollinis, & ad Epiſcopatum euecti, mirabili modo. 88
Conuerſio Polemonis ex ganeone in Philoſophum. 42
Conuerſio Meretricis viſo picto Polemone. 189
Conuerſio Tribuni ad vitam monaſticã, adſpectu & breui verbo S. Macarij. 188
Cõuerſionis ſpeculũ Magdalena. 257.&c.
Credulitas. 84.175.208
Crudelitas, vide Inhumanitas.
Curioſitas. 22.82.156.196
Curioſitas diſpendioſa. 133

D.

Damnatio æterna. 114
Dei miſericordia, vide, Miſericordia.
Dei prouidentia, vide, Prouidentia.
Deliberatio trutina. 160.162

De-

Deliberatio malè trutinata. 65.68.78. 158
Diabolica fraudulentia. 22.83.167.203. 209.223. *Vide Fraudulentia & Illuſio.*
Diaboli tentatio detegenda. 222. &c.
Diaboli inpotentia. 88
Dolus bolus. 179

E.

Echini terreſtris ac marini ſolertia nos docet prudentiam. 20
Epulonis exemplo oſtenditur, quas daturi ſint pœnas donorum Dei contẽtores. 266
Error grauis, at innoxius. 87
Error grauis, culpa non vacans. 89
Error grauis, periculo plenus. 109
Error grauis in victoria Cannenſi. 139
Error grauis in Romæ amiſſione, ex nuncio non rectè intellecto. 175
Expeditiones bellicæ celeres. 127.132
Exploratores. 72.82.84.101.184

F.

Famis tempore, captanda occaſio. 32.38
Felicitatis dolium malè cuſtoditum. 196
Figuram angeli aſſumit diabolus. 204
Filius per errorem parentes occidit. 87
Filij quandoque parentum cauſâ luunt, vt in ijs parentes plectantur. 82.83
Frater fratrem, ad imitationem immolationis, ludendo iugulauit. 89
Fratrum gratia. 65.66.68.107
Fraudulentia. 22.25.88.169.212
Fuga peccati, vide, Occaſio ad malum, fugienda.
Fuga periculi. 16.54.129

G.

Gaudium cæleſtium. 260
Gloria beatorum, in Regina Saba figurata. 249
Gloria beatorum, qui occaſionem obſeruarint, in ſanctis ipſis conſiderata. 253
Gratiæ tempus, dies ſalutis. 12
Gratias meretrices ex virginibus faciunt ingrati. 145
Gratitudo animalium erga homines. 19
Gratitudo. 37.38
Gratitudo erga hoſpitem. 94. & ſeqq.

H.

Hæreſis Arrij ex ſcintilla in incendium exarſit. 131
Hæreticorum ſpiritus. 179
Hauſtus aquæ ſeruum Regni fecit adminiſtratorem. 38
Hoſpitalitas. 76.83. &c. 86.88.95
Hoſpitalitatis vtilitas. 86. *Vide Remuneratio.*
Humani ſenſus inconſtantia 68.70.164
Humanitas. 85.87.95. *Vide Miſericordia.*
Humilitas. 141.189

I.

Illuſio diabolica. 200.204.208.244
Imprudentia. 82.191. *Vide Stultitia, Neglectus, Error.*
Incredulitas. 199
Infidelitas in depoſiti cuſtodia. 88
Infidelitas in officij adminiſtratione, vide Vrbium neglecta cuſtodia.
Ingratitudo erga Deum & homines. 62
Ingratitudo poſt acceptum obſequium. 66
Ingratitudo erga beneficum. 67
Ingratitudo erga benignum hoſpitem. 84
Ingratitudo erga amicum & fidum conſeruatorem. 99
Ingratitudo poſt euectionem ad Magiſtratus & dignitates. 100
Ingratitudo erga conſolatorem & beneficum. 101
Ingratitudo Iudæorum erga Chriſtum. 98. *Vide Inhumanitas.*
Inhoſpitalitas. 98.102
Inhumanitas proditoriè, & amici ſpecie trucidantis innoxium. 88
Inhumanitas perſequentium omnis boni auctorem. 98
Inhumanitas Occaſionem faſtidientium, vide Occaſio neglecta.
Inhumanitas incitantium Principes ad inſontium cædes. 100
Inhumanitas opulentorum erga indigentes. 99
Inhumanitas malum pro bono rependentium. 101
Inhumanitas Amani Iudæorum excidium machinantis. 126
Inhumanitas gladiatorum Circenſiũ. 156
Inſidiarum hieroglyphicum, Cancer oſtreo inſidians. 22
Inſidiæ in alterius perniciem. 24
Inſidiæ in propriæ patriæ vaſtationẽ. 210
Inſidiæ bellicæ & proditiones. 210
Inſidiæ leonis in ſpelunca latentis. 223
Inſidiæ Iudæ in Chriſtum. 109
Inſidiæ Iudicum iniquorum in Suſannam. ibidem.

Inſidiæ diaboli, vide Diaboli fraudulētia.
Iudicij defectus, inauditū condēnantis. 84
Iudicij defectus ex ſuſpicione & calumnia ferre ſententiam. 101
Iudicij defectus, ſe in propria ſua aſtutia fallentium. 164
Iudicij defectus in re magni momenti leuiter procedentium. 174
Iudicij defectus, victorias oblatas & partas elabi ſinentium. 192
Iudicij defectus in Occaſione non captanda: vide Occaſ. negl.
Vide Deliberatio malè trutinata.

L.

Lætitiæ communes & epulæ. 94
Leo latens, diabolus inſidians. 223
Liberalitas, vide Munera. 36. &c.
Literarum bonarum à Græcis ad nos tranſmigratio. 77
Longanimitas diuinæ benignitatis. 58. 70.
Vide Miſericordia diuina.
Ludibrium iniquum. 102
Ludibrium commeritum. 101. 181
Ludus latrunculorum, teſſerarum &c. 49
Ludorum Circenſium atrocitas. 153. 156
Ludus in vindictam, cum manu Ruffini deſecta. 101
Ludus luctuoſus. 49
Ludus ferè in luctuoſas cædes verſus. 109
Luſus pueriles. 43. &c. 48. 63
Luſus puerorum ſe inuicem per modum hoſtiæ iugulantium. 89

M.

Manus Ruffini à militibus in ludibrium circumlata. 101
Maledicentia, vide Calumnia. 107
Mater interimit filium, qui fratrem occiderat, & matrem necat ſuperueniens pater. 89
Mendicitatis læta ſpectaculum. 153
Mirandum à ſubtilitate. 58
Mirandum præ ſtupore & raritate vindictæ diuinæ. 89
Mirandum præ celeritate expeditionis bellicæ. 127. 128
Mirandum præ confidētia periculoſa. 152
Mirandum ob incredibilem continentiam. 180
Mirandum à miraculo, & redíuiui relatu. 243
Mirandum præ ſtultitia. 178
Mirandum, quòd Mutius Abbas ſolem, vt alter Ioſue iuſſerit ſtare. 268
Miſericordia Dei. 239. &c.
Miſericordia humana. 97. 101.
Vide Miſericordia.
Mora noxia. 123. 192
Mortis meditatio. 44. 55
Mortis nuncij celeres ſemper expectandi. 126
Mortis præſentis neglectus, & irriſio. 49
Mulier heroica, Propheteſſa, Dux belli. 35
Mulier heroica, maritum Regem Iuſtitiæ normam erudiens. 49
Mulier heroica, Ductorem hoſtilis exercitus triumphans. 141
Mulier heroica, nutans Regnū ſtabiliens. 142
Mulier heroica, ab inuicta caſtitate. 162
Mulier heroica, mariti ſeruatrix admiranda. 179
Mulier heroica, familiæ columen & tutatrix. 99
Mulier heroica, patriæ ſalus. 18
Mundi contemtus. 188
Mundi vanitas, vide Vanitas.
Munera à Regibus populo elargita. 94
Munera Occaſionis. 103
Munera ſponſalia. 85
Munera hoſtium, ſeu dona, non dona. 212
Munuſcula exigua Regibus oblata. 36. &c.
Munuſcula gratiâ captandæ gratiæ data. 205
Mutatio dolēda vitæ fluxæ & caducæ. 42
Mutatio magna, ex ſeruo in proregem. 38
Mutatio ſubita, in victoriæ ambiguitate. 35
Mutatio ſubita in ſuperbi deiectione. 36
Mutatio ſubita Ganeonis in Philoſophum. 42
Mutatio ſubita in diluuij obortu. 52
Mutatio ſubita in nouiſſimo die futura. 52
Mutatio ſubita in Vaſthi Reginæ repudio. 94
Mutatio ſubita in trucidationis publicæ verſa alea. 126
Mutatio horribilis in Rege Balſaſare. 174
Mutatio mirabilis in Eutropio ad aſylum confugiente quod prius exautorari curarat. 181
Mutatio deploranda victoriæ partæ & perditæ. 192
Mutatio admiranda ſtatus bellici circa Bethuliam. 124

Mutatio ſtulta populi Iſraelitici ſuper æſtimatione Mannæ. 68
Mutij Abbatis inopina ex latrone in monachum conuerſio. 268

N.

Nebulones, ſponſi Penelopes. 53.136.169
Neglectus ſalutis propriæ. 22.52.64.66.151
Neglectus mortis propriæ imminentis. 49
Neglectus mortis alienæ, & Iuſtitiæ adminiſtrandæ. 49
Neglectus vrbium cuſtodiendarum, vide Vrbium negl. cuſtodia.
Neglectus officij publici. 72
Neglectus victoriæ. 132.175.191
Neglectus incendij exorientiſque hæreſios. 131
Neglectus incendij Conſtantinopolitani, prædicti tamen. 166
Neglectus excubiarum. 152
Neglectus melioris conſilij, vide Conſilium bonum neglectum.
Neglectus Occaſionis, vide Occaſio neglecta.
Neglectus militaris officij. 175
Nominis cupiditas ex re bellica perperam geſta. 185.187.210
Nihil ex omni parte beatum. 39
Nuptiæ regales. 94

O.

Obedientia melior victimâ. 66.187
Occaſio captata. 31.127.130.137.141.153.160.254.&c.
Occaſio neglecta. 64.&c.67.72.101.&c.174.190
Occaſio, per vnum neglecta, per alterum arrepta. 78
Occaſio ad malum, fugienda. 22.111.263
Occaſio ad malum, arrepta. 107.109
Occaſionis ad malum, arreptæ, punitio. 110.&c.113
Occaſio mali non excuſat à malo. 113
Occaſio ex loci opportunitate capta. 28
Occaſio à tempore ſumta. 29
Occaſio à rebus & circunſtantijs accepta. 30
Occaſiones erroneæ mirabiles in re magna. 109.139
Occaſiones vmbraticæ. 176.178
Oculorum cuſtodia. 22
Opportunitas. 20.27.141.&c.
Orationis ſcholaſticæ efficacia. 43.47.85.153
Orationis ad milites energia. 132.160
Oratorum ſecularium vanitas. 153
Oſcitantia, vide Neglectus.
Otium & ſui obliuio. 22

P.

Pandoræ neglectus. 196
Parentes quandoque in filijs plectuntur. 82.83.89
Parentibus honor debitus. 65
Parentum in filiorum ortu lætitia. 85.86.96
Parentum pia filiorum cura. 55.138.142
Patientiæ efficacia. 58.107.189
Pax comprecata. 99
Pax in pullis veſtibus expetita. 147
Pax ſimulata. 210
Peccati enormitas. 112
Peccati illecebra. 62
Peccati punitio. 114
Peccatum recidiuum grauius. 70.82.83
Peccati excuſatio. 64
Peccatorum confeſſio. 55
Pœnitentia. 138.257. *Vide Conuerſio, & Reſipiſcentia.*
Pœnitentiæ veræ defectus. 71
Populi tumultuatio. 68.130.185
Præcipitatio periculoſa. 109
Prædictio conflagrationis vrbis Conſtantinopolitanæ neglecta. 166
Præſumtio. 80.184.187.207. *Vide Temeritas.*
Prouidentia diuina. 17.19.36.38.79.88.90.153
Proximi cura. 37.49.95.99.235
Prudentia. 25.&c.31.90.223.254
Prudentiæ typus & hieroglyphicum. 16
Pueri fratres, ad immolationis æmulationem alter alterum iugulantes. 89
Putare in bello, magnos errores parit. 139

Q.

Querimonia pia ſuper miſerando peccatoris ſtatu. 222
Querimoniæ vanæ cùm elapſa eſt Occaſio, vide Serò ſapere.
Quinque reges ab Abrahamo deuicti. 126

R.

Ratiocinatio pia. 189

Rationum conſideratio in deliberatione neceſſaria. 191.
Vide Deliberatio.
Religionis contemtus. 174
Religioſus ſui iudicij. 205.208.244
Remuneratio humana. 37.38.175
Remuneratio diuina. 85.95
Remuneratio præpoſtera. 84.99.102
Reprobatio malorum. 77.78.79.94
Reſipiſcentia ſalutaris. 137.243.244
Reſipiſcentia ſera. 16.193.195.164.166.177.267
Reuelatio, vide Viſio.
Roma non ſemel per incuriam perdita. 72.165.175

S.

Saba regina beatorum gaudium repræſentauit. 249
Sacerdos Apollinis factus Epiſcopus. 88
Sacrificus Bacchi horrendè punitus à Domino. 89
Salutis cura. 48.55.86.150.257
Salutis neglectus, vide Neglectus.
Sapientia neglecta. 34.186.212
Seditio. 130
Serò ſapere. 164.166.
Vide Reſipiſcentia ſera.
Seruus per hauſtum aquæ ſublimatus. 37
Simulatio. 205.210
Socordia. 35
Spei ſolatium. 196.233
Spes veniæ. 58.87.232
Stratagema bellicum proditorium. 210
Stratagema bellicum. 72.140.141.137
Stratagema domeſticum. 179
Stratagema naturale inter cancrum & oſtreum. 22
Stultitia. 98.121.148.177. &c.
Superbia. 16.36.80.141.211
Superbia meditantis imperium. 10
Suſpicio. 25.101

T.

Talorum teſſerarumq́; non qualis corporum caſus. 49
Temporis habenda ratio. 46.57
Temporis perditio. 57.58
Tempus, veritatis parens. 10
Tentatio. 156
Tergiuerſatio Annibali in mora fuit, cur minùs Romam à pugna Cannenſi interceperit. 134
Terræ promiſſionis exploratio. 184
Tranquillitatis hieroglyphicum. 90

V.

Vana gloria. 187
Vanitas mundi. 52.82.152.188
Vanitas iudiciorum quorundam. 68.
Vide, Defectus iudicij.
Veritas, tempore detecta. 10
Victoria ſui. 140
Victoria obtenta. 126.128.132.134.137.139. &c.
Victoria neglecta. 35.133.165.175
Victoriæ partæ proſecutio. 134.161
Vindicta diuina. 89.64.67.78.82.100.110.113.141.166.175.181.179
Vindicta humana. 84.101.219
Virginitatis amiſſæ comploratio. 149
Viri ex non viris per occaſionem effecti. 35.124.160. &c.
Viſio glorioſa ſanctorum. 253.255
Viſio horrenda & conſolans ſimul. 240
Viſio falſa & fallax. 204.208. &c.
Voluptas. 82.109
Vrbium ſeruata cuſtodia. 38.124.127.134.183
Vrbium cuſtodia neglecta. 72.165.175

X.

Xenocratis continentia ſtupenda. 180

Z.

Zelus honoris cultúſque diuini. 140
Zelus Eccleſiaſticæ libertatis. 181
Zelus veritatis defendendæ. 184
Zelus animarum. 55.88.151.235
Zelus ſalutis propriæ. 48.126.150.257
Zelus caſtitatis matrimonialis. 36.87
Zelus Iuſtitiæ. 49
Zelus Reipub. conſeruandæ. 128
Zelus Dei. 80
Zelus pudicitiæ tuendæ. 111.162
Zelus erroneus. 87
Zelus indiſcretus. 78. &c. 240

IN-

INDEX SCHEMATVM ET CAPITVM.

SCHEMA PRIMVM;

Quo TEMPVS *&* OCCASIO *ſua munia in Typo declarant.* *pag.* 1

CAP. 1. Quæritur, quid ſit Tempus. 1
CAP. 2. Definitur, ſeu potiùs deſcribitur Tempus, & quando inceperit. 3
CAP. 3. Quando Tempus finietur, & quomodo ſe habeat ad Æternitatem. 6
CAP. 4. Quare Tempus ita deſcribatur, vt in Schemate depingitur. 7
CAP. 5. Cur OCCASIO ita depingatur, & quare ipſi TEMPVS ceu dux vel comes detur. 10
CAP. 6. Gratiæ diuinæ præſidium TEMPORI & OCCASIONI coniunctum. 12

SCHEMA II.

Quo ad frugem vocat Angelus, auocat verò Diabolus. pag. 15

CAP. 1. Angelo duce, OCCASIO, TEMPVS, DEIque auxilium hominibus ſubminiſtrantur. 15
CAP. 2. Alijs præterea exemplis, Angelorum circa OCCASIONEM declaratur officium. 16
CAP. 3. Quantopere nobis Angelicum hoc ſtudium, OCCASIONIS intuitu, cordi eſſe debeat. 18
CAP. 4. Diaboli piſcantur, captantque occaſionem eludendi OCCASIONEM. 21
CAP. 5. Improbi homines, exemplo Diaboli, occaſionem ad malum inueſtigant. 23
CAP. 6. Cauendum ſedulò, ne vmquam elabatur OCCASIO. 26
CAP. 7. Sacris exemplis declaratur OCCASIONIS vtilitas. 31
CAP. 8. Admiranda OCCASIONIS energia & vis, varijs argumentis demonſtratur. 34

SCHEMA III.

Quo fatui inſtinctu ſatanæ turpiter TEMPVS *terunt.* 41

CAP. 1. Improbum diaboli ſtudiū, vt TEMPORIS ratio negligatur. 41
CAP. 2. TEMPORIS ſymbola atque inſtrumenta in riſum vertuntur ab imprudentibus. 43

Cap. 3. Pretioſiſſimum cùm ſit Tempvs, maximam eius habendam rationem. 46
Cap. 4. Exactis calculis oſtenditur, quanti ſit momenti, compendium & diſpendium temporis. 49
Cap. 5. Curæ temporis, ob vitæ incertitudinem, terrena cura poſthabenda. 53
Cap. 6. Temporis opportunitatem, exemplo quoque diuinæ prouidentiæ, maximi eſſe faciendam. 55

Schema IV.

Quo, ſtimulante Dæmone, miſerè eluditur Occasio. 61
Cap. 1. De ingratitudine Occasionem Deique dona ſpernentium. 61
Cap. 2. Stupenda indignitas eorum qui Occasionis opportunitatem eludunt. 63
Cap. 3. Alijs adhuc exemplis, ſpretæ Occasionis damnum oſtenditur. 65
Cap. 4. Intoleranda erga Occasionis beneficium ingratitudo, alijs præterea exemplis declaratur. 67
Cap. 5. De diuina benignitate Occasionem merendi donante, noſtraque in eandem ingratitudine. 70

Schema V.

In quo prudentiores Tempvs *&* Occasionem *ſtudioſè obſeruant.* 75
Cap. 1. Hoſpitalis & gratus erga Occasionem animus valde commendatur. 75
Cap. 2. Oppoſitio aſpernantium & amplectentium Occasionem. 78
Cap. 3. Ab ingratis ad cordatiores tranſitio, more hoſpitum. 80
Cap. 4. Quam indignè agunt, qui hoſtes animæ, vt hoſpites gratos, hoſpitio cordis excipiunt. 81
Cap. 5. De hoſpitis ingrati diſpendio, de hoſpitio animæ in corpore, & præmijs hoſpitalitatis. 84
Cap. 6. Iucundum hoſpitalitatis exemplum. 86

Schema VI.

Quo, quàm alacres Occasionis *commoda prudentiores amplectantur, oſtenditur.* 93
Cap. 1. Liberalitatis ac remuneratæ hoſpitalitatis exempla, per Occasionem. 93

Cap.

CAP. 2. Piæ hoſpitalitatis vtilitas, alijs adhuc exemplis illuſtratur. 95
CAP. 3. Malè exceptæ OCCASIONIS & inhoſpitalitatis punitio. 98.
CAP. 4. Alia non impunè ſpretæ OCCASIONIS exempla. 101
CAP. 5. Munerum titulis, vtilitates OCCASIONIS benè habitæ explicantur. 103
CAP. 6. Nulla Occaſio, propriè dicta, cuiquam ad malum datur. 106
CAP. 7. Occaſiones non captandæ ad malum, ſed fugiendæ: amplectentium verò vindictæ recenſentur. 108
CAP. 8. Occaſionis noxiæ euitatę exempla, & pœna captatæ. 111

SCHEMA VII.

In quo, dum TEMPVS *labitur,* OCCASIONEM *fronte capillatam prudentes remorantur.* 117

CAP. 1. Quomodo fieri poſſit, vt, Tempore pręterlabente, Occaſioni tamen mora inijciatur. 117
CAP. 2. Quia tempus ſemper labitur, ſemperque eſt pręſens, idcircò captanda opportunitas. 120
CAP. 3. Temporis fugacitati incunctanter inuigilandum. 122
CAP. 4. Celeritate vtendum, quando vrget opportunitas, exemplis elucidatur. 125
CAP. 5. Alijs adhuc argumentis oſtenditur, accelerandum negotium, dum ſe offert OCCASIO. 129
CAP. 6. Occaſionem apprehendentiū negligentiumq. diuerſitas. 134
CAP. 7. Statim arripiendam OCCASIONEM, exemplis oſtenditur. 137
CAP. 8. Acceptæ neglectęque OCCASIONIS exempla. 140

SCHEMA VIII.

Quo exhibetur, vt imprudentes ſerò ſapiunt, ſuámque deplorant amentiam. 145

CAP. 1. Extrema mundani gaudij luctus occupat. 145
CAP. 2. Sera lamenta eorum, qui concionem OCCASIONIS contemſerunt. 148
CAP. 3. Occaſionem eſſe captandam: quique pręteritam neglexerit, neque veriſimiliter amplexurum venturam. 151
CAP. 4. Iuſta manet eos METANOEA, qui oblatam OCCASIONEM contemſerint. 154

CAP.

Cap. 5. Sibi ſapientes Occasionem ſæpe reijciunt: & in propria aſtutia capti, ſuo aliorumque malo ſapere diſcunt. 157
Cap. 6. Omne negotium vtraque ex parte benè trutinandum. 161
Cap. 7. Malè iudicantium de rebus temeritas, & merita pœna. 164
Cap. 8. Diabolus peccatum antequam committatur leue facit; grauiſſimum verò, cùm fuerit perpetratum. 167

Schema IX.

Quo elapſum Tempvs, *neglectamq́ue* Occasionem *nequidquam inſequuntur imprudentes.* *173*

Cap. 1. Hallucinatio circa vmbram palpitantium, qui rem neglexerint. 173
Cap. 2. Qui veram Occasionem prætermiſerunt, inanes poſteà phantaſias captant. 176
Cap. 3. Exemplis elucidatur phantaſticæ occaſionis vana captatio. 178
Cap. 4. Occaſionem atque opportunitatem ſpernentium ſtultitia, atque intolerandus eorum ſtupor, qui quoduis tempus ad quæuis opportunum exiſtimant, dummodo velint. 181
Cap. 5. Punitæ temeritatis exemplum, contra Occasionem nitentium. 184
Cap. 6. Quiduis quouis tempore attentantium vanitas, ſpretæque Occasionis punitio. 187
Cap. 7. Perpes ob neglectam Occasionem Metanoeæ ſocietas, & dolor irreparabilis. 190
Cap. 8. Quæ præſentia contemnimus, dolemus amiſſa: ſed volat irreuocabile Tempvs. 194

Schema X.

Quo oſtenditur, quanti damni periculique ſit, Occasionem *neglexiſſe.* *199*

Cap. 1. Diabolus transformat ſe in Angelum lucis, in Occaſione fucata ſubminiſtranda. 199
Cap. 2. Impoſtura diaboli poſt veræ Occasionis contemtum, ſupponentis vmbraticam. 203
Cap. 3. Homines ſibi parùm præſentes, fictam facilè pro vera Occaſionem arripiunt. 206
Cap. 4. Diaboli machinatio, quantumuis tecta, ſub finem ſe prodere ſolet funeſto exitu. 209
Cap. 5. De ſeptem diabolicis caudis. 213
Cap. 6. De tertia & quarta diaboli cauda. 215

Cap. 7.

Cap. 7. De quinta, ſexta, & ſeptima cauda diaboli. 217
Cap. 8. Caudarum diabolicarum cum catena peccatorum collatio, præſenſque remedium eis opponendum. 221

Shema XI.

Quo exhibetur, quomodo Angeli tutelaris obſequio, præda diabolo eripitur, ad commiſſæ negligentiæ pœnitentiam. 227

Cap. 1. Metanoeæ, ſeu doloris neglectæ Occasionis efficacitas. 227
Cap. 2. Remedia contra tentationes diaboli ad deſperationem incitantis. 230
Cap. 3. De ſpe venię peccatorum, & immenſa Dei miſericordia. 233
Cap. 4. Ad ſpem veniæ, tamquam ad ſacram anchoram, peccatori confugiendum. 235
Cap. 5. Chriſtus ſingularē ſemper habuit peccatorum rationem. 238
Cap. 6. Carpi exemplo admiranda Chriſti in peccatores benignitas declaratur. 240
Cap. 7. Angelo duce magna eſt reſipiſcentiæ vtilitas. 242

Schema XII.

Quo captatæ neglectæq́ue Occasionis *diſpares exitus, contrario prorſus ſpectaculo, exprimuntur.* 247

Cap. 1. De gloria eorum qui Occasionem ſuo tempore ſunt amplexi. 347
Cap. 2. Qui ſalutis Occasionem obſeruauerit, vt qui legitimè certauerit, coronam gloriæ eſt accepturus. 250
Cap. 3. Splendor gloriæ eorum, qui Occasionem coluerint, exemplis colluſtratur. 253
Cap. 4. In D. Auguſtino, ac Maria Magdalena, docetur, quomodo & ipſi Occaſionem obſeruauerint; ideoque gloria ſint coronati: & quomodo eos imitemur. 256
Cap. 5. Sacræ ſcripturæ loca explicantur, quibus Occasionis vocabulum in malum accipitur. 260
Cap. 6. Debita Occasionis ad ſalutem datę & neglectę punitio, Damnatio ęterna. 264
Cap. 7. Exemplo diuitis Epulonis oſtenditur, quas daturi ſint pœnas, diuinę gratiæ Occaſioniſque contemtores. 266
Epilogvs totius operis. 268
Drama, ſeu Dialogus, De Occasione. 271

INDICVLVS ORATIONVM XII. SCHEMATVM.

1. AD benè vtendum occaſione alijſq́. Dei muneribus. 13
2. Ad declinandas diaboli inſidias, & Angelico præſidio inuigilandum. 39
3. Pro bona pretioſi temporis ratione. 59
4. Contra ingratitudinem & oſcitantiam. 73
5. Pro vera cæleſtium donorum agnitione. 91
6. Vt cæleſtibus donis ſincerè vtamur, ijſq́ue reſpondeamus. 115
7. Vt medijs ad ſalutem conceſsis benè vtamur. 143
8. Pro vera pœnitentia, vitæq́ue emendatione. 171
9. Vt contemtis terrenis, amemus cæleſtia. 197
10. Ad vitandas diaboli inſidias. 225
11. Ad ſpem veniæ concipiendam, obtinendamq́ue Dei miſericordiam. 245
12. Vt euitata gehenna cæleſtibus aſſeramur. 269

ERRATA.

Pagina 21. lin. 5. à fine, lege, *extemplò*.
Pag. 32. dele totam vltimam lineam.
Pag. 52. lin. 6. pro *nomini*, lege, *nouum*.
Pag. 72. lin. 4. lege, *erga*.
Pag. eadem. lin. 21. comma illud poſt *Gothi*, præponendum eſt.
Pag. 80. lin. 3. à fine, in margine pone, *A*.
Pag. 117. lin. 3. lege, *capillatam*.
Pag. 209. lin. 7. à fine, lege, *conſiderat*.
Pag. 274. lin. 3. à fine, lege, *ceu*.
Pag. 278. lin. vltima, lege, *ſectare?*
Pag. 300. lin. 12. lege, *noſtros*.
Pag. 304. lin. 9. à fine, lege, *buccam*.

AD LIBRVM.

Vade, Liber. Dubitas? comes eſt OCCASIO, *vade.*
Hac duce Mæandros teſqua nec vlla time.
I, propera; adſpirans tibi velificabitur aura
AVSTRIADVM : *inciſas quæ velit eſſe moras.*
Auſter, io, perfla. quid enim? cæco impete Pſyllus
Auſtrinis iterùm flatibus arma mouet.
Namque procellarum quondam furibundus habenis
Exitium ſpirans Auſter agebat equos.
Arma, arma, exclamant Pſylli : ſimul arma capeſſunt;
Et ſtolidè in ventos irrita tela vibrant.
Auſter, arenarum cumulos mugitibus inflans,
Mergit arenoſis arma viroſque iugis.
Ecquid in obſcuris ludo? nox atra recede.
Quis mihi nunc Auſter, quis mihi Pſyllus erit?
Fallor? an Hæretici Pſyllorum in imagine pugnant?
Scilicet hydrorum ſanguine vtrique tument.
Hæc ſi Aquilas contra armigeras (quas ardua GENTIS
AVSTRIACAE *attollens gloria in aſtra rapit)*
Veſanas ductans acies malè prouida turba
Iuerit: aut flammâ luminis icta cadet;
Aut malè ventoſis compoſta tumultibus Auſtri
Sentiet in proprium tela retorta caput.
Ergo, Liber, temnas inimica auſa omnia, cùm te
Maieſtas & amor protegat AVSTRIADVM.
Et propera ſecurus iter; ne OCCASIO *ridens*
Ingerat; En, ſequeris, quæ fugienda doces.

I. C. B.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ Infantis Hiſpaniæ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Priuilegio cautum eſt, nequis librum *P. Ioannis Dauid Societatis* IESV *Sacerdotis*, cui titulus eſt, OCCASIO ARREPTA. NEGLECTA. præter voluntatem *Joannis Moreti*, Typographi Antuerpienſis, intra octennium imprimat, aut alibi impreſſum in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecus faxit, confiſcatione Librorum & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ XX. Septemb. M. DC. IV.

Signat.

I. de Buſchere.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD IOANNEM MORETVM.

M. DC. V.


LABORE ET CONSTANTIA